



BIBLIOTECA NAZIONALE
VITTORIO EMANUELE
C
28 F
16



PHILOLOGICARUM
EPISTOLARUM
CENTURIA UNA



DIVERSORUM A RENATIS LITERIS DOCTISSIMORUM VIRORUM,

in qua veterum Theologorum, Jurisconsultorum, Medicorum, Philosophorum, Historicorum, Poëtarum, Grammaticorum libri difficillimis locis

vel emendantur vel illustrantur:

insuper

RICHARDI DE BURI EPISCOPI DUNELMENSIS, &c.

PHILOBIBLION

BESSARIONIS PATRIARCHÆ Constantinopolitani & Cardinalis Nicæni EPISTOLA ad Senatum Venetum,


Omnia quondam edita ex Bibliotheca

MELCHIORIS HAIMINSFELDII GOLDASTI,

Cum duplici, uno rerum & verborum, altero Auctorum, qui explicantur, Indice;

addita nunc Præfatione

HERMANNI CONRINGII.



LIPSIÆ,

Impensis JOH. BART. OELERI.

Literis COLERIANIS. M DC LXXIV.

HERMANN CONRINGIUS
Benevolo Lectori
S. P. D.

NOn temerè alius qvispiam in conqvirendis variis, rempublicam Imperii simul & literarum illustrantibus, monumentis felicior, simulq; in iisdem communicandis liberaliorem sese gessit Melchiore Goldasto. Fuit scilicet viro illi ingenium ut capacissimum, ita accedente inusitata industria, tantùm non omnigena doctrina planè subactum. Hactenus itaq; aptus sanè fuit commodo publico adjuvando. Non potuit autem duntaxat prodesse, sed reapse plurimum profuit, instructus illâ qvam dixi felicitate. Enimvero Athenienses olim in Prytanæo suo illum aluissent, si iis vixisset temporibus, atq; suæ præstitisset urbi, qvod contulit Germaniæ nostræ. Et tamen ingens superat, cum alibi fortassis, tum cumprimis in illustris reipublicæ Bremensis locupletissima Bibliothecâ, Goldasti studio collectus optimorum scriptorum thesaurus, hactenus non publicatus, paratus tamen videre lucem; Qvi ubi prodierit, qvod uti propediem fiat, publicè interest, eoqve & futurum speramus, non poterit non cre-



ſcere apud bonos qvosq; & intelligentes tanti viri admiratio, qvamvis jam tũ merito ſit maxima. Cum omnia autem Goldaſtina debeant eſſe in manibus, pridem accidit tamẽ emptorum aviditate, ut etiã edita qvæq; raro compareant, in tabernis certe librariis haud facile inveniantur venalia. Ac proinde excitanda eſt bibliopolarum natio ad novas illorum editiones: cumqve hanc curam qvaſi ultro ſuſceperit Oehlerus noſter, & qvaſi in prægustum exhibeat nunc Centuriam illam Philologicarum Epiſtolarum, qvam ante hoſce ſexaginta tres annos, Francofurti vulgavit Goldaſtus, gratiæ illi debebuntur. Et verò qvemadmodum de humili caſa dixiſſe olim fertur Heraclitus, *etiam hic Dii ſunt*, ita & de hoc libello jure nos poſſumus profiteri, hic qvoq; gemmas delitescere. Qvem porro bonum atq; ingenue eruditum non delectet, audire lumina ſui ævi, de varia doctrina familiariter qvaſi per litteras colloqventes! Tu ſaltim, Lector eximio huic Goldaſtinorum operum edendorum instituto, favebis ſcio. Vale autem & mihi qvoqve fave, Helmeſtadii Kal. Octobr. Anno cIↄ Iↄc LXXIII.

Am-

Amplissimis & Consultissimis Viris,

D. MICHAELI LEFOENIO

&

D. GEORGIO MICAELI LINGELSHEMIO.

Socero ac Genero, Serenissimi Electoris Palatini in supremo Consistorio Consiliariis,

MELCHIOR HAIMINSFELDIUS GOLDASTUS S.P.D.

Viri dignitate magni, consilio fortes, eruditione nobiles, claritudine conspicui, & humanitate spectabiles: Partem hanc meorum adversariorum, quæ olim in Academiis & peregrinationibus meis collecta, nunc, qvo flagitatores Typographos absolvam, qvi audiverunt mearum scidarum esse segetem perbonam, & à literatis eas coli solere, ad compilandum pæne compellor, passus sum exire in publicum, non qvod non longe meliora à me sperari velim, sed qvia profecta sunt à summis viris, qvibus res literaria omnem prope vitam debet. Eas

Amplissimo nomine vestro proscribere volui, tum ut novo hujus Urbis statuto paream, cui adversari nefas duco, tum ut tester meam, ut vere dicam, summam, ac prope dicam, singularem adversus vos observantiam. Qvum enim ex qvo tempore in hanc vicinam vobis urbem perveni, & in amicitiam vestram me insinuavi, incredibili vestra humanitate me semper complexi sitis, animus meus non amplius acqviescere voluit in iis sermonibus, qvos privatim & inter amicos cottidie de vobis libenter cadere solitus sum, sed gestivit magis qvasi foras prodire, & facere, ut qvam fieri posset, plurimi intelligerent, nihil virtute ad alienam excitādam acrius, nihil mihi videri prudentia vestra excelsius, nihil humanitate, in hac summa dignatione, svavius, nihil amabilius. BB. VV. Francofordia, propridie

Kalend. Januar. A. C. N.

M DC X.

SYL-

Syllabus Auctorum, Juxta Epistolarum Seriem.

Martinus Dorpius Theologus XXXIIX.

Matthias BergiusPhilosophus & Professor Altorphinus.LXXIIX.

Matthæus Bonfinis Asculanus.XLVII.

Michael Humelbergius Medicus Ravenspurgensis. XXX.

Michael Piccartus, Theologus, Philosophus & ProfessorAltorphinus. XCIX. C.

Nicodemus Frischlinus Medicus & Comes Palatinus. LXIX.

Obertus Giphanius IC. & Consiliarius Cæs. Majest.LXIV.

Paulus Melissus Francus Comes Palatinus & Professor Heidelbergensis. LXXVI.LXXVII.

P. Guirandus Alosianus IC. XCIIX.

Petrus Mosellanus Professor Lipsiensis. XXXVII.

Petrus Nannius Alemarianus, Professor Lovaniensis. LIX.

Petrus Schottus IC. & Canonicus Argentinensis. XIIX. XIX.

Philippus Scherbius Helvetius, Medicus & Professor Altorphinus. LXXXII.

Riccardus Bartholinus P. L. in Aula & Castris Maximiliani I. Imp. XXXIII.

Rudolphus Agricola Frisius,Professor Heidelbergensis. XVII.

Sebastianus Munsterus, ProfessorBasiliensis. XXXIX.

Sebastianus Lepusculus Professor Basiliensis. LXI.

Theophilus Maderus Helvetius, Medicus & Professor Heidelbergensis. LXXIX. LXXX.

Thomas Erastus Helvetus. Medicus & Philosophus. LXX.

CATALOGUS
Omnium tum Veterum tum Neoticorum Auctorum, qvorum in Epistolis hisce Philologicis, passim, crebra fit mentio, secundum Alphabeti ordinem digestus.

Bea-

Em-

Ho-

Mar-

Ther-



EPIST. I.

FRANCISCUS PETRARCHA Thomæ Messanensi S.

Dictu difficile est, quantum aures meas, vulgari fessas strepitu, epistola tua bis terq; relecta permulserit: quæ quanquam tibi verbosa videretur, ut ex fine cognovi, ego tamen in ea nihil præter breviloquium accusavi. Itaque comminationem illam ultimam, quod deinceps compendiosior sis futurus, invitus aspexi: mallem prolixior esses. Ut libet tamen, Pater: non te mihi, *sed* me tibi morem gerere dignum est. Sed itane totum in tua manu positum erit? An ignoras, quòd sæpe consilio dissimilis est eventus? Audies forte, quod vel silentii avidum loqui cogitat. Vis, quod minitari videor, jam nunc rebus impleam? Testor in primis eandem me de te opinionem gerere, quã de Aristotele Macrobius: seu illam amor seu veritas genuerit, vix te aliquid ignorare posse arbitror. Si quid autem vero adversum tibi accidit, aut minus prævidisse, aut, quod de eodem ait idem, lusisse te suspicor. Nempe

Ex MS. correcta & supplета.

Hieronymus inter Patres an summus.

quod de Hieronymo scribis, te illum sacrorum Doctorum ex numero prætulisse, haud novum est mihi: vetus est jam & late cognitum hoc judicium tuum. Equidem frustra de comparativis litiges, ubi ad superlativa perventū est, falli non potes. Optimum ac maximū erit, quicquid elegeris: licet de hac re inter amicū tuum claræ memoriæ Lomberiensem Episcopū Jacobum & me crebro disceptatū esse meminerim, illo per vestigia tua semper uno ore Hieronymū, me vero Augustinum inter scriptores Catholicos præferente. Et sane si neque veritatem, neque te verear offendere, dicam, Pater, quod sentio. Cum multa, varia, & luminosa sint sidera, ut sit hic Jupiter, hic Arcturus, hic Lucifer, Sol Ecclesiæ Augustinus est. Sed hæc, ut dixi, haud magni momenti fecerim, quoniam & electio tuta est, libera debent esse judicia. At quod sequitur, te inter mortales Valerium præferre, quis non stupeat, si tamen serio perseveranterque dictum est, & non jocandi tentandique animo? Si enim Valerius primus est, quotus, quæso, Plato est? quotus Aristoteles? quotus Cicero? quotus Anneus Seneca, quem in hac re magni quidam extimatores omnibus prætulerunt? Nisi illud forte Platonem ac Tullium excludit, quod in epistolæ tuæ parte perlectum novi stuporis mihi causa fuit, ubi nescio quid cogitans illos Poetas esse, & Poetarum choris

Augustinus inter Patres primus.

Valerius Maximus quanti faciendus.

Plato ac Cicero an Poetæ.

choris annumerari oportere dixisti. Quod si loquendo consequi potes, plus fortasse, quàm putas, secundo Apolline & plaudentibus Musis magnos duos incolas umbrosis Parnassi collibus addideris. At quid, oro, te movit, ut id opinareris aut diceres, cum Tullius in priorib9 libris summus Orator, in ultimis Philosophus illustris appareat? Sicut autem ubiq; Virgilius Poeta, sic Tullius nusquam; quoniam, ut in declamationibus legimus, Virgilium illa felicitas ingenii oratione soluta reliquit, Ciceronem eloquentia sua in carminibus destituit. De Platone quid dicam, qui maximorum hominum consensu Philosophiæ meruit principatum? Cũ Cicero & Augustinus, & alii quàm plures in omni sermone, ubi Aristotelem cæteris Philosophis præferunt, Platonem semper excipiant, non intelligo quid Platonem faciat Poetam, nisi unum fortasse Panetii verbum à Tullio relatum; qui *Homerũ Philosophorũ* illum vocat, quod nihil est aliud, quàm Philosophorũ principẽ ac talẽ inter eos, qualis inter Poetas est Homerus. Alioquin quid ipsi Tullio dicemus, qui in epistolis ad Atticũ quodã loco Platonẽ suũ *Deum* vocat? Omnib9 quidẽ modis id agũt, ut Platoni divinitatem ingenii attribuant, hinc & *Homeri*, &, quod est expressi9, *Dei* nomẽ. Proinde sũpta hinc occasione, mira dulcedine loquendi de rebus incognitis, in tractatũ Poetarũ tu9 sermo immergitur, quis qua ætate sit genitus

Cicero primus inter Oratores. Virgilius Poetarũ primus.

Plato Philosophorum maxim9.

Homerus Philosophorũ i. princeps.

Deus cur Plato à Cic. vocatus.

tus, quem quisq; styli modum, quod poetandi genus, quem famæ gradum teneat. Longum est singula persequi, tam multa nunquam aliis audita nos omnes discendi avidos facundis tuis literis docuisti. Quod si interfari aliquid non mihi, sed professioni meæ permittitur, miror, quid ita tibi Nævii Plautique nomen ignotum est, ut quasi barbaricum nescio quid locutum putes, quòd eos literis ad te meis inserui, & ausum (ut ait Flaccus) *personam formare novam* tacita licet admiratione castiges. Adeo scrupulose enim in hac inquisitione versaris, ut nihil restet, nisi temeritatem meam condemnare in scenam nova & peregrina nomina producentem. Frenasti tamen impetum, & tandem ignorantiam tuam culpare maluisti: urbane quidem ac modeste. Ceterum aliud verba sonant, aliud clamat (nisi fallor) intentio. Prorsus mirabile, cum tam familiarem habere Terentium videaris. Ille enim jam statim à principio in ipsius Andriæ procemio & Nævii & Plauti unà cum Ennio, eodem meminit versiculo: in Eunucho, & Nævii itidem & Plauti: in Adelphis, Plauti solius mentionem fecit. Eorundem quoq; simul meminit Cicero in senectute, & A. Gellius in Noct. Atticis, ubi amborum epigrammata describit sermone vetustissimo. Sed quid ago? Quis enim, quæso, unquam poetriæ nomen absq; illorum nominibus audivit? Itaq; stuporem tuum stu-

Nævius & Plautus Poetæ.

peo, & cum bona venia, Pater, obsecro ne in manus alienas ista perveniant. Quo enim clarior est fama tua, eo tibi studiosius consulendum est. Mecum quidem non aliter quàm tecum omnia loqui potes, &, quod secum docti faciunt, mutare ac retractare, quæ dixeris: at postquam in vulgus dicta pervenerint, ea demum facultas eripitur, & multorum judicia subeunda sunt. Ego epistolam tuam ad te sub fida custodia remitto, & hanc illi alligatam mitto, cujus exemplum apud me manebit nô ob aliam causam, nisi ut si quid adhuc respondendum duxeris, dum verba verbis confero, memoriam non fatigem. Unum præterea novi & exotici dogmatis inducis (utar enim plena libertate, quando semel non cœpisse non possum.) Asseris, Ennium & Statium Papinium coætaneos fuisse. Quis te, (oro) Pater, in hanc Chronographiam impulit? Quis à te nunc ista poscebat? Atqui exactiꝰ hoc inquire, invenies Ennium sub Africano majore, Statium aliquot seculis interjectis sub Domitiano Principe floruisse. Habes quibus, nisi fallor, & respondere velis, & tam breviter, ut putabas, non possis. Unum adderem, si bona fide veniã dares, quod olim dum in Vasconiæ partibus adolescens agerẽ, verecunde quidẽ, ut illam ætatẽ decuit, tibi scripsisse recolo, cũ vulgaribꝰ scriptis tuis offenderer, quæ ad eum, cujus supra memini, Jacobum de Columna interdum ea tempestate

Ennius qua ætate vixerit. Statius Papinius qua ætate vixerit.

mittebas, cujꝰ me amor ſicut in eas terras traxerat, ſic in Æthiopiam traxiſſet; ſed tunc pene pueriliter, ut qui vix dum ferulæ manū ſubduxeram: tempꝰ eſt, ut jam virilis oratio mea ſit, ita tamē, ut dixi, ſi tu veniā dederis. Quid ais? Rides, puto: bene habet, veniā tribuiſti. Audi ergo, Pater, & vide, & inclina aurē tuam, ne qua externa auris interveniat. Tibi enim loquor, & te rerum tuarum judicem ſtatuo, quæ accuſare videor aliis accuſantibus defenſurus, nec tamen ignarus nimis acrimonioſam & inſolentem filii ad patrem epiſtolam reprehenſoriā videri; ſed amor audaciam excuſet. Ita enim mihi clarum nomen non popularis auræ ſuffragio, ſed virtute contingat, ubi ab ineunte ætate ſingularis quædam mihi tui nominis cura fuit. Hæc me loqui cogit, ne, ſi ego tacuerim, idem ab aliis audias, vel, quod metuendum magis eſt, tacito judicio lacereris, & quidam iniqui rerum arbitri ampliſſimum ingenium tuum ex his, quibus ludens te includis, peregrinæ facultatis anguſtiis metiantur. Animadverti enim te in ſcriptis tuis omni ſtudio, ut appareas, niti. Hinc ille diſcurſus per ignota volumina, ut ex ſingulis aliquid decerpens rebus tuis interſeras. Plaudunt tibi diſcipuli, & omniſcium vocant innumerabilium auctorum nominibꝰ attoniti, quaſi omnium, quorū titulos tenes, etiam notitiam ſis adeptꝰ. Docti autem facile diſcernunt, quid cujuſque pro-

Multorū autorum allegatio & memoriæ oſtētatio, indicium ignorātiæ & ſervilis ingenii.

propriũ, quid alienũ sit: & rursus quid mutuũ, quid precariũ, quid furtivũ, quid è medio haustũ, quid à prætereunte delibatum. Memoriam ostentare puerilis est gloria *viro*, ut ait Seneca, *captare flosculos turpe est* : quippe quem fructu deceat gaudere non floribus. Tu vero in hac ætatis parte venerabilis, & in tua professione clarissimus, imo, ut non semper pungam, sed interdum ungam, solus sine exemplo nostri temporis earum, quibus es debitus, literarum princeps nescio quo juvenili animo, dimissis finibus tuis, in alienis pratis ociosus & vagans, inclinata jam die, interlegendis flosculis tempus teris. Placet ignota tentare, ubi sæpe viam non inveniens aut vageris aut corruas: placet illorum sequi vestigia, qui scientiam quasi mercimonium aliquod ante fores explicant, cum interim vacua domus sit. Certe tuum est, ad id potius niti, ut sis aliquid plus, quàm videris. Operosa semper & periculosa jactantia est. Adde quod, cum magnus videri voles, innumerabilia incident, quæ te non modo veram ad mensuram redigent, sed infra etiam contrahent. Uni ingenio satis est unius studii gloriam mereri. Qui multarum artium superbiunt, aut divini homines sunt, aut impudentes, aut insani. Quis uspiam aut Græcorum aut nostrorum id præsumpsisse memoratur? Novus mos, nova temeritas, gloriosas inscriptiones præ se ferunt, propter

quas(ut ait Plinius) vadimonium deseri possit: at cum intraveris, Dii Deæque, quàm nihil in medio invenias! tu igitur, si quid mihi credis, esto tuis finibus contentus: noli illos imitari, qui omnia pollicentur, nihil præstant, *faciuntq́,* ut omnia contrectando, itaq; (ut ait Comicus) *intelligendo nihil intelligant.* Græcum vetus & salutare proverbium est; *Quam quisque novit artem, in hac se exerceat.* Vale.

EPIST. II.

Franciscus Petrarcha Thomæ Messanensi S.

SIc est, ut putabam. Libertas iram peperit, veritas odium, admonitio fastidium. Sed quid agam? verba non redeant. Blandior fuissem, si te blanditiis delectari crederem; imo vero severior, & hunc ipsum affectum in viro forti fœmineũ liberiꝰ arguissem. Nunc quoniã (ut video) amicitiæ inimica libertas est, forte consultius agerem, si facerẽ. Sed id quoq; per-metuo, est ubi silentium bilem movet. Loquar ergo, ne rursus offendam, sed tam breviter, ut coactum noveris. Primum ego te judicem feci omnium, quæ dixi, aut dicam: tu sententiã brevem fers, errasse me in quibusdam, in multis, in omnibus. Gaudeo equidem me potius errasse, quàm te, eo quod apparatior est omnis in luce deformitas, & error in sene desperatior: sed tamen est aliquid quod ampliꝰ requirã. Ades ergo, ad tribunal tuum provoco, nullis assessoribus opus est, solꝰ solius. Sed tu Hieronymum

Hieron. an Augustino præferẽdus.

nymum præfers Augustino? Hoc sciebam: sed eam, quam affers, judicii rationem profiteor me non intelligere. Quid enim, quæso, sibi vult, quod ait, non te illum propterea prætulisse, quasi sit major, sed quia fructuosior Ecclesiæ, quod in quodam opere tuo probasse te dicis disputatione longissima, quam vellem literis inseruisses: sed profecto vel nuntio pepercisti vel epistolæ. Quod tamen ad hujusce rei probationem præcipuum erat, addidisti, hoc scilicet Augustini ipsius auctoritate concludi. Sed an ignoras, quod *in generali sermone persona loquentis excipitur*? Quid vero, inquis, si Augustini aperta confessio est sibi Hieronymum præferentis? Quis non videt, quid ad hæc dicidebeat? hoc, inquam, unum est, in quo illius sacratissimæ animæ testimonio non starem, cui insitum scio, ut de aliis gloriose, de se autem humiliter & loquatur & sentiat. Ego quidem fructuosi laboris palmam in Ecclesia Augustino dabam, haud pertinaciter tamen, velut is qui nec opinioni, nec sectæ, nec homini usque adeo sum addictus, ut abire non possim veritate comperta. Hoc apud M. Tullium, hoc apud ipsum patrem Augustinum didici, quod ipse apud eundem Tullium se didicisse non negat. Nam apud Horatium Flaccum;

Nullius jurare in verba Magistri.

puer valde didiceram. Quanti autem ista sint,

ipse non dissimulas, qui hac defensionis parte deserta mox, ad aliam evadis, dicens; *omnibus excussis omninò nihil esse, quod te in hanc opinionem traxerit, nisi indignam quandam & singularem erga Hieronymum ingratitudinem Italorum.* Hoc est illud unicum patrocinium causæ tuæ, hoc est (inquam) illud mihi nulla ex parte intellectum intelligibile argumentum. Quænam enim hæc ingratitudo est? Sumus, fateor, non erga Sanctos tantùm, sed erga Sanctorum Dominum ingrati. Quænam Hieronymo singularior quàm cæteris querimoniæ causa est? aut quænam potius Italorum culpa quàm hominum, cum nec ipse Italus origine, & sæpius in Oriente versatus sit? versa te, Pater, hac illac, ratio (ut arbitror) non erit sufficiens probare, quòd intendis, nisi forte qui rationis vice fungitur, instinctus animi tacitus, & pia magis quam examussim trutinata devotio. Verùm ista prætervehor: tam sacra enim nomina disputatiunculis peccatoris obsolescieri ac quodammodo prophanari sacrilegio simillimum reor. Itaque, jam tacere de his consultius fuerit: nam preciosarum rerum confricatio atque collisio periculosa est.

Plato & Cicero an Poetæ. Ad Platonem ac Ciceronem transeo, quos tu ob duas fabulas morum doctrina & (ut de altera Macrobius testatur) tripartitæ Philosophiæ integritate perfectas, ac procul ab omni

metro-

metrorum lege in mediis Politicæ ac rerum publicarum libris insertas, Poetas facere niteris. Frustra Macrobius idem ambos excusat adversus insultantes non debere fabulam à Philosopho confingi. Ego quidem gratulor & hos, Aristotelem, & Senecam, & Varronem, si fieri possit, in agmine Poetarum cernere: quod forte non ineptius de horum quolibet quàm de Platone & Tullio dici possit. Nam & Aristoteles Poetriam de Poetis, & Varro Satyrarum libros edidit. Seneca autem Tragœdias, quæ apud Poetas profectò vel primū vel primo proximum locum tenent. Sed cur, quæso, non & histriones fecisti, quoniam aliquid forsan in vita ludicrum dixerunt aut fecerunt? Præsertim Tullius, cujus tam multa, quæ risum moveant, scripta sunt in Saturnalibus, ut Tyro libertus ejus de patroni jocis librum scripserit. Cur non piscatores aut remiges, aut tale aliquid, quia forsan aut hami jactu aut remi tractu in solitudine positi animum relaxarunt? Visne tu mihi castrensem morem scholis inferre, ut sicut unum duellum Torquatos atque Corvinos fecit, sic una actio Poetam faciat? Perseverantia requiritur: unus actus habitum non inducit. Hæc hactenus. Nam de Ennio ac Statio in ultima epistola nulla mentio erat; credo annorum numerum in digitos reduxisti.

Postre-

Postremo ad illum longum atq; continuum orationis tuæ textum, ubi omnibus modis efficere studes, ut injuste monuisse videar, quòd ingenio tuo nihil impervium sit, nihil aliud dixerim, nisi quod bene tibi est, si hanc de rebus opinionem habes. O te tuo qualicunque judicio felicem. O utinam hanc me artem & docere possis & doceas, qua talia ipse mihi de me noverim conflare judicia. Nescio enim an melius sit interdum de errore gaudere, quàm semper de veritate dolere. Ad id vero, quod me velut juratæ militiæ desertorem arguis, quoniam cum maxime florere inciperem, studium Juris Bononiamq; dimiserim, expedita responsio est, quæ tibi & civitatem illam & studium singulariter illustranti minime (ut arbitror) placitura. Quoniam itaque satis exagitavi, id totum silebo, quo factum meum tueri soleo. Fuit enim hæc mihi quæstio sæpe cum multis, præcipue cum Oldrado Laudensi Jurisconsulto nostra ætate clarissimo. Hoc unum est quod salva concordia dici potest: *Nihil enim contra naturam bene fit.* Solitudinis amatorem illa me genuit non fori. Denique sic habeto, me aut nihil unquam proinde fecisse, quod magis puto, aut si quicquam, hoc in primis non audeo dicere sapienter, sed feliciter factum est, & quod Bononiam vidi, & quod non in hæsi. Vale.

EPIST.

EPIST. III.

Franciscus Philelphus Kyriaco Anconitano. S.

PLacuisse tibi literas meas,&ea,quæ de Virgilii Maronis sententia scripsimus in Æneida,gaudeo. Quod autem petis, qua ratione Neptunus ab Ovidio Nasone cognominatus sit *Amphitrites*, & Fortuna *Rhamnusia*,paucis accipe. *Rhamnusia* quidem non est Fortuna,ut vulgo exponunt magistri ludi , sed indignationis Dea , quam Græci tui Νέμεσιν vocant. Nam cum Narcyssus formæ bonitate abuteretur superbius,recte fingitur ejusmodi Dea adversus illum indignata justis precibus assensisse. Est enim indignatio animi ægritudo adversus eum , qui bonis præsentibus sit indignus. *Nemesis*,inquam , indignationem significat. *Rhamnusia* vero dicta est à Rhamnus, qui est Atticæ vicus,ubi colebatur.Cujus quidem Deæ simulacrum eo in loco pulcherrimum fuisse tradunt,factum à Phidia ulnarum in altitudine decem illud marmoreum. Neptunus autem nequaquam est *Amphitrites* cognominatus. Dictio illa depravata est apud Ovidium librariorum inscitia. Est enim fœminini generis , declinaturque more Græco, nominativo *Amphitrite*,genitivo *Amphitrites*. Fingitur autē à Poetis esse Neptuni uxor.Unde Claudianus de raptu Proserpinæ ita cecinit:

Feist. l.5. eleg.9. Rhamnusia.

Nemesis.

Amphitrite.

Etiam

Etiam Nertia glauco
Neptunum gremio complectitur Amphitrite.

Nam *Amphitrite* mare significat, dicta illa quidem ab ἀμφὶ circum & τρεῖν terrere. Mare enim circum se navigantes pereundi terrore insequitur. Ex Amphitrite autem & Neptuno Triton natus fingitur à Poetis. Si quid est, quod aliud à me velis, nunquam frustra requires officium meum. Vale, ex Venetiis quinto Kalendas Februarias. M. CCCC.XXVIII.

EPIST. IV.

Franciscus Philelfus Petro Perleoni. S.

De aspiratione vocum Latinarũ.

QVas unas dedisti ad me literas, eo jucundius lectitavi, quò diutius eas desiderabam. Et ut, quæ tibi secus ac volueras acciderunt, mœrore me affecerunt: ita quæ ex sententia contigerunt, mirificam mihi voluptatem attulere. Deus tibi cœpta indies magis magisque secundet. Tu interim facito, ne tibi ipse defuisse videare. Dicteria Plutarchi ad Trajanum Cæsarẽ, quæ in Latinam vertimus, propediem dabo ad Joannem Cornelium hominem clarissimum. Et cum his orationem quoq; & acrem & longiusculam mittam ad te, & quidem talem, qualem non Oppegius modo, sed Cosmus etiam ipse medices multo magis doliturus sit. Nunc vero ad id, quod petis. Cupis

Lacrima.

tu quidem à nobis scire, an *lacrima* aspirationem admittat, revocans nos ad Grammaticos.

Mos

Mos tibi tamen gerendus est. Si vim naturæ rationemq; attendimus, nulla consonans in latinis dictionibus aspiratur. Fecit tamen doctissimorum hominum consvetudo, idq; jampridem, ut quorundam verborum consonantes aspirationem reciperent, ut *inchoare, pulchrum, sepulchrum, lachryma*. Et id sane ob eam rem factum existimo, quo ejusmodi consonans vehementius sonet. Tametsi *inchoare*, si à chaos descendit, quod non ab re dictum à quibusdam puto, ab sui ipsius origine aspirationem servat. Quod autē mones, dictare istic quosdā non *lachryma* esse apud A. Gellium, sed *lacrima*: & ita quodam in codice legisse te. Profecto codex iste Latinarius quispiam est. Nam hi omnes, quotquot in Tuscia sunt, Gellii codices habent *lachryma*, non *lacrima*, qui & emendatissimi sunt & istorum omnium (ut ita dixerim) parentes. Præterea duo me ad hanc rem plurimum movent, quod & Romæ in quodam vetustissimo monumento, & in illo meo, quem nosti, de natura Deorum antiquissimo Ciceronis Codice *lachryma* & cum aspiratione & per *y* tenui scriptum adverti. Quo fit ut etiam Græcum esse nomen, hoc est à Græco ductum, quod illi δάκρυον vocant, nequaquam dubitem. Quod autem *d* in *l* mutata sit, nihil est quòd miremur, nam & *l* in *d* rursum *d* in *l* plerūq; mutari invicē cōsveverunt, quippe & μελετᾶν *meditari* dicimus, & *alido* pro adido, & *medido*

Inchoare

A. Gelli lectio.

Lachryma.

D. in L. L. in D.

Meditari. Alido.

Medido. Medius fidius. Lachruma. υ in u. Fuga. Tu. Mus. Sus. Thus.

medido,& *medius fidius* pro eo quod est Jovis filium. Videmusq; apud vetustissimos Latini eloquii auctores nonnusquam *lachruma* pro lachryma usurpari. Nec id ea ratione, qua *optumus* & *maxumus* pro optimus & maximus dicitur: sed potius, ut *fuga* pro φυγὴ, *tu* pro σὺ, *mus* pro μῦς, *sus* pro σῦς, *thus* pro θύς: & id quidē Doriensium more, qui pro υ proferre *u* consveverunt. Quamvis placuerit & Varroni & Prisciano nomen hoc non à Græco sed à Latino verbo, quod *tundo* est, derivari, cupientibus iis quidem, ut existimo, blandius hac via Latinis uti, quibus admodum gratificari voluerunt, quasi nostris etiam armis jus nostrum tueri possimus. Si quis autem miretur cur *lachryma* aspiretur, cum δάκρυον sit inaspiratum: repetat memoria ipse secum etiam ἄγκυρα, καὶ τρόχαιον, καὶ πύθιος apud Græcos nō aspirari: at *anchora*, & *trocheum*, & *Phytius* apud nos vulgo aspirantur. Idemq; & in *horchus* & in *lurcho* intueri licet. ὄρχος enim nunquam aspirant Græci; nec itidem λαρκὸς, quod est cophini genus, unde *lurcho* deductum est. Fit id, inquam, sæpè ut valentiùs sonet dictio: nec in consonantibus solum, sed in vocalibus quoque invenias idem observatum. Sic *mihi* dictum est, sic *hallucinari*, sic *honus*, sic *honustus*, quod tamen permulti volunt non ab *honus*, sed ab *honos* descendere. Sic *helluo* & *helluari*, quod ab eo manat: sic *vehemens*, quod ex *væ* & *mens*

Anchora. Trocheū. Phytius. Horchus. Lurcho.

Mihi. Hallucinari. Honus. Honustus. Vehemens.

mens componi arbitror, tametsi *vehemens* eo quidam dictum velint, quo vehatur eminentius. Permultaque hujusmodi inveniri licet, quibus eruditissimorum usus, qui ipse rationem facit, aspirationem suo quodam jure addiderit. Itaque non est mirandum *trahere* & *vehere* aspirari. Fit enim non solum differentiæ causa, ut quibusdam videtur, sed etiam magis ut augmento spiritus sonantius proferantur: sicuti etiam in *prehendo*, *vehemens*, *aha*, *vaha*, *ohe*, & in similibus patet. Nam *cohors* à cohortando dicitur. *Nihilum* vero ex ni & hilum compositum est. Sed de his hactenus. Quod de statu nostro certior fieri cupis, en accipe. Nos hic valemus rectè & commodè, sane & honestissime agimus. Id unum est, quod virtutem ociosam esse non sinat. Quotidie Puccini homines impurissimi per veneficos ac siccarios vitæ nostræ insidias tendunt. Ego autem non modo intrepide me constanterque defenso, sed omni etiam cura & industria molior reficioque, ut permagno ipsi detrimento pernicieq; premantur, ac extremo conficiantur exitio. Id quod brevi divina benignitate futurum suspicor. Qua in re illud est, quod me unice perturbet, Venetos justissimos sanctissimosque viros, quibus omnia jure debeo, Puccinorum socios appellari. Si qua fortasse virtuti & constantiæ cum temeritate & furore, si fidei cum perfidia, si pietati

Trahere. Vehere. Prehendo. Aha. Vaha. Ohe. Cohors. Nihilum.

cum ſcelere eſſe ſocietas ulla poſſit. Vale. Ex Sena, idibus ſextilibus. MCCCCXXXVII.

EPIST. V. Florentiam.
Franciſcus Philelfus Lapo Florentino. S.

Homeri locus.

PEtis à nobis, quomodo apud Homerum verſus ille intelligatur, quo Agamemnon veluti convitio à Calchante acerbiùs laceſſitus reſpondet:

Βούλομ' ἐγὼ λαὸν σόον ἔμμεναι ἢ ἀπολέσθαι.

Dicis enim Ambroſium Monachum ita interpretatum: *Volo ego populum ſalvum eſſe, aut populum perire.* Et inepta hæc ſane interpretatio eſt & falſa. Subdis Carolum Codrum interpretatum aliter, quippe qui ab Ambroſio diſſentiens ita expoſuerit: *Volo ego populum ſalvum eſſe, aut meipſum perire.* Et inepte rurſus & prave. Errat autem uterque: ac ne quidem mirum. Non enim ii ſunt, qui Græcæ orationis ſignificationem, proprietatem, differentiam, elegantiam teneant. Et ut reliqua omittam, is omnis error eſt inde, quod illius dictionis ἢ ſignificata non norunt. Significat enim vel *aut* vel *an*, & hæc quidem vulgo. Significat item *quàm* pro eo, ut in comparativis adverbio utimur, & quemadmodum apud nos *quàm* ſignificat interdum *& non*, ſic etiam hoc loco ἢ cum tenui ſpiritu & accentu gravi ſignificat *& non*. Reſpondet enim Agamemnon, velle ſe populi ſalutem & non perniciem atque interi-

ἢ.

Quàm

teritum. Quod quidem si minus Philelfi auctoritati stare decreveris, & apud Aristarchum, & apud Aristotelem, & apud Porphyrium Commentatores in Iliada, eosdemque diligentissimos doctissimosque viros, perdiscere plane queas. Quæris secundo loco an ἀεὶ aliud, quàm *semper* significet. Nam eosdem Ambrosium & Carolum affirmare, eam dictionem aliquod prorsus nihil quam *semper* significare. At invenisse te plerunque apud Thucydidem eandem ipsam dictionem ἀεὶ, quæ ejusmodi significatum recipere nullo modo possit. Rectè tu quidem dubitas. Significat enim non solum *semper*, sed quandoque *diu*, ut Homerus: ἔχων κότον ἐμμενὲς ἀεὶ. Et Sophocles: ὡς λελοι πόσω κεῖνον τὸν ἀεὶ βίοτον ἐξεπίσασο: hoc est diuturnam senectutem, diuturnam vitam. Quandoq; autem significat *usque*. Unde Thucydides in prohemio: ὄπως μὲν οὖν μοι δευντειι υει λόγοις. Quas equidem easdem significationes invenias usq; apud nos habere. Vale. Ex Sena, pridie Nonas Septembres, M. CCCC. XXXVII.

Citat Harpocratio, unde restitues.

EPIST. VI.

Franciscus Philelfus Catoni Sacro I.C.S.

QVis te non amet atque magnifaciat, Cato, quem videam nihil omnino velle ignorare. Sunt nonnullli ordinis tui homines, qui Bartolum modo Baldumque lege-

rint, quos certè minime contemno (sunt enim ad emungendas pecunias vel extorquendas potius licitatores minime vulgares,) ii aliud nihil curent neque pluris faciant diem quam noctem. Sed tu, ut es vir & acutus & gravis, nullis tenebris delectaris, sed versaris semper in apertissima luce ingenii atq; veritatis: nihil tibi obscurum, nihil reconditum, nihil anceps, nihil ambiguum pateris. Quæris à me duo ex prima quæstione M. Tul. Ciceronis. Primum, quid sibi vir eloquentissimus voluerit, apud quem ubi esset propositum *mortem videri malum*, continuo subdiderit perinde atq; necessario consequens: *si malum, ergo miserum*. Ais enim id videri tibi non satis docte neq; acute dictum. Sunt enim pleraq; mala in homine, neq; tamen ejus ponderis sunt, ut miserum efficiant. Num illum virum dicemus miserum, inquis, qui summa virtute præditus & primariis corporis atq; fortunæ bonis pollens, si aut interdum ex pedibus laboret aut in maximis divitiis vel eqvum vel bovem amiserit? Nam hæc etiam mala sunt, sed non talia, quæ tali atque tanto viro miseriam importent. Petis secundo loco, quid *Clepsydra* significet. Nam ejus quoque verbi mentionem fieri eodem in libro. Paucis ad ista tibi respondeo & de *Clepsydra* primum. Hoc enim verbum est Græcum quod à κλέπτω compositum est & ὕδωρ, κλέπτειν autem furari significat

Ciceronis locus.

Clepsydra. κλέπτω.

cat ac velare. Descēdit enim κλέπτω à καλύπτω id quod significat velo, & inde ἀποκαλύπτω hoc est revelo. Unde habetur apud Joannem Apostolum Αποκάλυψις quo verbo revelatio significatur. Nam proprium furacis hominis est, qui κλέπτης dicitur, velare & abscondere, quæ clam & per insidias surripuerit. *Clepsydra* vero duo significat & fontem & horologium. Est enim fons Athenis in arce illa Minervæ quondam, nunc beatæ Mariæ Virgini consecrata. Is per alveum subterraneum latentemque fluens stadia viginti surgit tandem in rivos ad vicum Phalereum. Erat præterea vas quoddam vitreum, quod æqualibus dimensionibus signatas horas ostenderet: ad cujus etiam fundum erat foramen, quod aquam apertum emitteret, & ita horæ per aquæ diminutionem quot essent videri poterant. Itaque non absurde sive de fonte accipias sive de horologio, rectè Clepsydra nominatur, quod aquam aut velet aut furetur. Cæterum in prima Tusculana eam pro horologio intelligi oportere, haud est ambiguum. Vocata est autem *hora* ὤρος, quo verbo *urina* significatur. Animadversum enim in Ægypto perhibent, quo tempore sacrificium quoddam esset faciundum, hostiam immolandam quater ac vigesies æqualibus inter se spatiis minxisse. Et ita *hora* nomen accepit ab ὤρος id est urina, quod idem etiam ὄρος dicitur. Et

Καλύπτω

Αποκάλυψις.

Hora. ὤρος.

ὄρος.

Dies naturalis & artificialis.

illud quoq; ambigendum nō eſt, dupliciter dici *diem*, & natura, qui noctem unam cum die dimetiens quatuor atq; viginti horas complectitur:& arte,qui integrum hunc diem in duas dividens partes ex duodenis conſtat horis.Qua dimenſione & Romani uſi ſunt & Hebræi. Ad alteram vero tuam quæſtionem, qua Ciceronem videris & obtuſitatis & inſcitiæ accuſare, illud cenſeo reſpondendum non tibi, quem nihil ab re quærere ſolitum animadverti,ſed tuis iſtisSophiſtis,qui cum omnia noſſe volunt exiſtimari, nihil ſciunt omnino in omni & facultate & arte & ſcientia.Principia quædam veluti fundamenta conſtitui ſolent,quibus conceſſis, quæ inde manant facilè confirmantur. Academici, quorum auctor fuit Plato, & Peripatetici item quibus & nomen & initium dedit Ariſtoteles Platonis diſcipulus, triplicia bona in hominis vita eſſe voluerunt.Prima animi,& ea ſane cæteris omnibus potiora: ſecunda corporis, quæ tanto ſunt quàm animi deteriora, quanto corpus animo eſt inferius: Tertia fortunæ,quæ quo minus in noſtra poteſtate,eo cæteris bonis minoris ſunt facienda. Præterea in ſingulis hujuſmodi bonis eas differentias eſſe volunt, ut alia aliis præſtare arbitrētur. At Stoici,quorum Princeps fuit Antiſthenes Socratis auditor condiſcipuluſq; Platonis, id ſolum ac ſummum cenſuit bonum, quod honeſtum eſſet. Quæ vero vel ad corpus vel ad fortunam pertine-

Bona quotuplicia.

tinerent,neq; bona appellanda existimavit,nec mala,sed indifferentia, quod & bene ac secundum virtutem iis uti possemus,& male atq; vitiose, ob eamq; rem tum commoda tum incommoda nominantur. Nec parum & nimis, nec plus & minus, nec excessum & defectum ullum inter animi bona Stoici esse volunt; ut, cum quid dicatur bonum, id constet omni bonitate & ratione & numero. Et idem malum, quod ex parte & absolutissime malum sit. Cum solo igitur bono Stoici humanam felicitatem definiant, quam rectissime Cicero Stoicos secutus, cum propositum esset mortem videri malum, respondit: *Si malum, ergo miserum*, id quod & ad propositionem & fortassis ad veritatem aptissime subtilissimeque consequitur. Quanquam iccirco fortassis ipse non probas, quod podagra tibi non malum modo, sed summum etiam malum esse videatur. Quod si te ipsum collegeris, aliter sentias. Vale. ex Mediolano IV. Nonas Junias. M.CCCC.XLI.

EPIST. VII.

Franciscus Philelfus Saxolo Pratensi. S.

QVanquam hoc tempore mihi ocii nihil erat, ne tamen mea taciturnitas tibi molesta esset, respondi ad ea paucis, quæ petieras. *Cercopes* duo fuere, quorum nomina Æschines Sardianus in Jambis scripsisse traditur. Nā alter Andulo dictus est, alter Atlandus. Hos autē deceptores mendacesq; exstitisse apud Æschinē Cercopes.

 Athe-

Athenienſem in Legatione patet. Quos etiam Anaxagoras venandorum ſimiorum gratia in eas inſulas trajeciſſe narrat, quæ à ſimiorum nomine, qui πίθηκοι appellantur, vocatæ ſunt *Pithecinæ*. Κέρκωψ præterea & jocoſum ſignificat, & eſt eorum ſimiorum ſpecies, quibus caudæ ſunt longiores. Quod autem petis idem ne ſignificet ει & οι & εει, certè nequaquam idem, nam quod ſcribitur ſine ι. θέλεος εἰ, *vis* à volo ſignificat: ſed ſi ſcribatur τέλοιος εἶ ſignificat *potes*, id quod ex uſu legendi non obſcure animadvertes. De *anno* autem *proſcenio* apud Plautum, textus ille corruptꝰ eſt. *Nannio* enim ſcribi oportet. Fuit enim *Nannium* illuſtris meretrix, quam & Hyperides contra Patrocleum & Apollodorus in iis, quæ ſcripſit de Meretricibus, αἶγα, hoc eſt capram, ut ſcis, nominatam ſcribunt: ea ſcilicet ratione, quòd tabernarium quendam Thallum nomine, id quod virgultum ſignificat, exederet. Virgultis enim capræ plurimum delectantur. Antiphanes vero Junior in iis, quæ de Meretricibus reliquit ſcripta, *Nannium* dicit vocatam eſſe cognomine proſcænium, quoniam extrinſecus formoſiſſima videretur inſtar proſcæniorum theatralium. Recte igitur Plautus vituperationibus occurrens oſtendit, ſe primum non eſſe, qui tragœdiam dimiſcuerit comœdiæ, cum in Namnio proſcenio idem antea fuerit factitatum ab alio Poeta, quiſquis tandem ille fuerit,

Pitheci- næ inſulæ. Κέρκωψ.

Plauti locus. Nañium Proſcanium.

rit, ut patet ex ipsis verbis, quæ tanguntur in textu. Qui vero ille fuisset, certi habeo nihil: vaticinari autem nolo. Vale. Ex Mediolano, pridie idus Junias. M. CCCC. LI.

EPIST. IIX.

Franciscus Philelfus Gabrieli Mauro S.

LAudo te, mi Gabriel, quòd te à literis abdicare nolueris, ut solent nonnulli vulgo, ubi ad gerendam Rempub. se contulerint. Lege semper aliquid, aut scribe, cum tibi licet per publica munera. Magno tibi commodo, mihi crede, literæ sunt futuræ, si his uti pro ingenii tui magnitudine præstantiaq; volueris. Nunc ad id, quod petis. Vis enim scire, quid intersit inter *feciales & caduceatores*. Fæciales eos fuisse constat apud priscos, qui certa juris solennitate bellum hostibus indicebant. At *Caduceatores* esse pacis legatos à caduceo, quem manu gestabant: & Caduceum quidem ipsum Apollinem invenisse & eo donasse Mercurium, à quo ipse lyra donatus sit. De qua quidem re apud Horatium mentio est in eo carmine, quod incipit.

Fæciales. Caduceatores.

Mercuri facunde nepos Atlantis.

Ubi etiam patet, Mercurium auctorem extitisse non lyræ solum, sed & eloquentiæ, & palestræ præstigiarum. Vale. Ex Venetiis pridie Kalend. Januarias M.CCCC.XXVII.

EPIST. IX.

Franciscus Philelfus Saxolo Pratensi S.

QVæ tibi ex Bononia ob subitam abitionem meam respondere non potui (nam cum inde solverem, redditæ sunt mihi literæ tuæ) nunc ex Ticino verbis paucis respondi tibi. Petis enim, qua ratione scurræ sint apud Græcos βωμολόχοι nominati: & item qui apud nos sint, quos Græci ὀλεχίνυς vocant: & quæ loca essent, quæ Athenis κύκλοι, hoc est circuli appellabantur. Βωμολόχυς proprie illos Græci dicebant, qui sub aras in sacrificiis sedere consveverunt, ita nominatos ab ara, quæ βωμὸς vocatur, & λοχεῖν quod insidiari significat, quoniam ad aras insidiarentur, utpote qui cum assentatione efflagitarent. Quamobrem & qui in sacrificiis suscipiuntur tibicines & vaticinium profitentes, Bomolochi vocabantur. Ex hujusce autem rei translatione Bomolochi etiam ii dicti sunt, qui apti ac faciles atq; iidem humiles omnia lucri gratia perferrent jocando cavillandoque, & hi quidem apud nos *Scurræ* appellantur, homines sane ineptri atq; contemnendi, qualis est hoc tempore apud Florentinos Nicolaus Nicolus & Poggius Bambalio, qui, ut sumptuosioribus cœnis intersint, à nullo sese scurrilitatis genere continent. Qui vero à Græcis ὀλεχίνος est appellatus, crustis & spinis tectus, petrisq; assuetus, hunc nostri *Remoram* vocant, aquatile animal ad-

βωμολόχοι. Scurræ. ὀλιχῖνος. Remora.

admodum breve, in quo tanta ineſt tamen naturæ vis, ut navim perniciꝰ iter facientem ejus carinæ inhærens adnixiusq́; retineat ac remoretur. Ob eamq́; rem & à Græcis *Olechinum*, & à noſtris *Remora* nominatũ. Habetur iſtiuſmodi animal amatoriis veneficiis infame, litesq́; atq; judicia dicitur remorari, gravidarum fluxus ſiſtit in utero & partus ad puerperium continet. Et id tamen in cibũ addi prohibetur, ut Plinius refert. Huic ſpina eſt parva & ova amara ad quinq; numero; at ora in medio corpore atque in terrã verſa. Præterea Olechino pedes eſſe Ariſtoteles aſſeverat, utpote cui pennæ pedũ inſtar locatæ ſint. Quanquã alii ſũt, qui dicãt, eos ſpinis uti pro pedibꝰ, & ita ingredi, ut in orbem volvantur. Itaq; detritis ſæpe aculeis inveniri. Nam quoniam futuros maris æſtus ſævitiamq́; præſagiunt, hoc correptis ſe lapillis operire, ut eo pondere ſtabiliatur mobilitas & ita ſpinas volutatione atterere. At Mutianus muricẽ eſſe tradit purpura latiorem, cui roſtrũ neq; aſperũ eſt, neq; rotundum, neq; in angulos prodit, ſed ſimplicem concham eſſe autumat, quæ uno latere ſeſe colligat. Tirebus vero Niger L. Lucilii familiaris ſcribit, hunc piſcem haud eſſe pede longiorem, neq; digitis quinq; craſſiorẽ: cujus ea ſit vis, ut & naves ventorum flatibꝰ plenas ſiſtat, & in ſale ſi fuerit aſſervatꝰ, aurũ quoq;, qui in altiſſimos deciderit puteos, ubi admotus ſit, extrahat. Hujus etiam Lucanus meminit libro ſexto ſuæ pharſaliæ inquiens: *Non*

Mutiani locus.

Non puppim retinens Euro tendente rudentes
In mediis Olechinus aquis ———

Hujus meminit Theophrastus libro quarto de hujusmodi animalibus, ubi dicit: *Echinorum tres esse species, ex quibus Olechinos & magnitudine & crassitudine cæteros præstare.* Et est sane Olechinus, quem meminimus, dictio quadrisyllaba. At *Echinus* dictio trisyllaba, est suavis esu & paulo minor Olechino, cujus etiam Juvenalis meminit, inquiens:

Echinus.

Ostrea callebat primo deprendere morsu
Et semel aspectu dicebat littus Echini.

Præterea *Echinus* apud Græcos significat terrestre id animal, cui est apud nostros *Haretio* nomen, quod ipsum ab hærendo deductum est, & æque spinis hirsutus est atque maritimus Echinus. At *circuli* quod quæris ad postremum, loca erant Athenis, ut Dinardus contra Calleschrum ostendit, ubi aliqui veniebant. Id autem nomen tractum est à circulari circumsistentia vendendorum. Quare Menander in Ephesio ait: *Itaque ego mihi videor per Deos immortales in circulis videre meipsum indutum currere circum ac venire.* Habes à me paucis, quæ petieras. Vale, & Leonardum nostrum Aretinum, eruditissimum & eloquentissimum virum, nomine meo salvere jube.

Hæretio.

κύκλοι Circuli.

Ex Ticino, Kalend. Novembribus
M. CCCC. XXXIX.

EPIST. X.

Franciscus Philelfus Kyriaco Anconitano S.

QVod & gratularis mihi teq; propediem apud nos futurum denuncias, dici nõ possit, quanta me tuis literis voluptate affeceris. Utrumq; enim summæ benevolentiæ argumentum est. Facito igitur, si me amas, sicut certè amas, ut te uti quàm primum fruique affatim possimus. Interim autem rem mihi pergratam facturus es, si, ad quod temporis naves onerariæ sint istinc Byzantium soluturæ, per te certior factus fuero, quo vel tibi vel nostro splendidissimo Scalomonti dem aliquid litterarum ad Marium filium. Quod autem placere tibi ostẽdis περὶ Σμίνθεως καὶ Σμύρνης, ea per Z & non per Σ scribi, & idem Ptolomæum sensisse in suo de Orthographia libro. Ego quidem neq; tibi, neq; Ptolomæo ipsi assentior, quicunque is tandem, aut alteruter Alexandrinus, aut Ascalonites, aut Ephites cognominatꝰ, aut alius quispiam fuerit, qui se Grammaticum profiteri voluerit. Idem ratio prohibet, quæ istiusmodi consonantium numerum similem esse non patitur: id quod etiam apud Priscianum in primo de octo orationis partibus intueri licet. Quare quæ tu epigrammata istiusmodi characteribus scripta invenisti, literis Atticis (ut ajunt) scripta esse fatendum est vel ante Archadas potius, quos καὶ πρὶν.

Ζμινθεύς Ζμύρνη. Z pro Σ

Ptolomæi locꝰ

Ptolemæi Alexãdrini

Ptolemæus Ascalonites.

Ptolemæus Ephites.

Ptolemæus Grãmaticus.

περὶ τοῦ ἡλίου καὶ τῆς σελήνης extitisse fabulantur. Mihi tamen & epigrammata tua, & tua quæ scripta abs te sunt, jucundissima fuere. Vale. Ex Mediolano V. idus quintiles. M. CCCC. XL.

EPIST. XI.

Franciscus Philelfus Scalomonti Equiti aurato S.

Horologii invētio.

Ægyptiorum Hieroglyphica.

Anguillæ hieroglyphicon.

Leporis hieroglyphicon.

Acham horologii inventor.

Ægyptii horologii invētores.

ET de horologii inventore, & unde nomen acceperit, respondebo tibi, quod didici lectitando. Habetur in sacris literis non Ægyptiorum, inquam, sed Hebræorum. Nam Ægyptii sacras literas vocabāt, quibus per quædam animalia ac signa verba ipsa significabant, utpote verbi gratia *Anguillam* pingentes invidiam intelligebant, & invidiam ea ratione quod anguilla cum aliis piscibus nullam habet communionem, sed ab eis semper seorsum se continet: & sub *leporis* figura auditum, quoniam lepores sint acerrimi auditus. Habetur, inquam, apud Hebræos lib. Regum IV. Acham omnium primum horologium invenisse. At his Ægyptii nequaquam assentiuntur, qui ut hominum genus ob cœli temperiem ab se ortum cœpisse volunt, ita etiam cum alias pulchras artes & disciplinas, tum horarum rationem repertam esse, quippe qui afferant hostiam, quæ immolanda foret, quater ac vicies paribus inter sese distantiis minxisse animadversam, & inde

de unius integri diei tempus in horas quatuor ac viginti fuisse distributum, quod & diem scilicet compleEteretur & noctem. Cæterum approbatissimis traditur auctoribus, Hermen Trimegistum, cum esset olim apud Ægyptios, sacrum animal quoddam Serapidi dicandum conjecisse id in diem totum duodecies fecisse urinam, pari semper interposito tempore, & inde hunc horarum ordinem constituisse dimensum, scilicet in diem horas duodecim, ac noctem eodem modo. Id autem eo videtur probabilius, quod *hora* ab ὧρ⊕, quod urinam significat, nomen habet. Sunt præterea, qui acutius rem velint inventam. Dicunt enim cœli quadraturam in duodecim partes pro ratione Musicæ dividi, & inde horarum manasse rationem. Aquam enim, quæ tenuissima caverna deflueret, cum per totum diem excepissent hanc majores nostri in duodecim partes diviserunt, ex quibus quidem partibus numerum horis imposuerunt. De *Halcyone* autem quod requiris, ea nata est patre Mænolo & matre Canabe, nupsitque Cyeci. Quæ quidem avis vitam agitat circa littus, ejusque pulli auferuntur à fluctibus & (ut ferunt) dies quatuordecim circa hyemales versiones quiescit. Dicta autem est Halcyon quoniam in mari concipiat. Nam ἅλς, ἁλὸς, salum, hoc est

Hermes Trimegist9 horologii inventor.

Hora ὧρ⊕.

Halcyon.

est mare, significat: & κύειν concipere, & ob hanc rationem aspiratur in prima syllaba, & scribitur per y tenue. Vocatur etiam *Halcyone*.

Pan. De *Pane* verò pastorum Deo, duplex apud Græcos habetur fabula. Nam alii dicunt eum esse natum matre Penelope Ulyssis uxore & patribus procis omnibus, ob idque *Pana* esse nominatum. Πᾶν enim omne significat. Alii vero contendunt, eum natum esse ex Penelope & Mercurio converso in hircum. Et hæc hactenus. Tu velim me facias certiorem de omni tuo statu, id quod proximis tuis litteris te prætermisisse miror. Scis enim tua mihi omnia curæ esse. Quod si de me quæras, mihi perbelle est. Nam Principi huic meo universæque & aulæ & civitati sum charissimus. Vale. Ex Mediolano IV. Kalend. Octobres M.CCCC.XLIV.

EPIST. XII.

Franciscus Philelfus Jacobo Puteo JC. S.

Timotheum Citharœdum virum Musicæ disciplinæ doctissimum sane eruditissimumque fuisse reperio. Ad quem ubi quotidie Atheniensium more permagna auditorum turba discendi gratia confluerent, eum, quicunque se audituri essent, rogare solitum accipio, habuissentne ullos ante id temporis ejus peritiæ præceptores? Quod qui negassent, cum his certam doctrinæ suæ pacisci mercedem: si

ſi qui autem reſpondiſſent, quibuſpiam antea uſos ſe magiſtris, cum iis niſi duplicata mercede convenire nullo pacto conſueviſſe. Ajebat enim vir callidiſſimus, ad duplum laborem dupla etiam mercede opus eſſe. Qui enim iſtiuſmodi diſcipulis recta ulla præceptio tradi queat, niſi omnium primum eorum mentes inhærenti fuerint depravataque diſciplina omnino liberatæ. Longe profecto difficilius eſt ac multo laborioſius dedocere quam docere. Nam quis ignorat, natura fieri, ut qui habitum jam firmatum ac penitus inſidentem eruere diſſolvereque ſtudeat, id ſine multo & tempore & labore conſequi non poſſe? Quæ quidem noſtra tam longe repetita oratio quorſum tandem evadat, etſi minime vereor, Jacobe Putee, te pro tuo ſingulari ingenio ſummaque prudentia non obſcure intelligere, tamen ut vel tui auditores plerique omnes & ſtudioſi & clari adoleſcentes, vel ſi qui alii tecum ſentiunt, quibus de rebus inter nos controverſia ſit dilucidius teneant, apertius eam alloquar, quanquam non una controverſia eſt, ſed duæ. Verum de qua magis veluti triumphare viſus es, primus nobis ſit ſermo: deinde breviter de altera diſſeremus. Prima nobis diſceptatio eſt de *Licitatore*, quem tu eum eſſe omnino vis, qui in auctione ſuperpoſitus rei vendendæ in deceptionem alterius precium auget: id- Licitator.

D que

que declaras exemplo. Titius aut Fisci aut suo alteriusve cujuspiam nomine proscribit vectigalia aut prædia. Calphurnius emptor offert mille sestertium. Crassus à Titio emptor suppositus ad mille sestertium, centum addit. Calphurnius, qui habendæ rei desiderio tenetur, addit ad centum a-lia sestertia decem. At Crassus ad ea rursus viginti. Tum Calphurnius refrigescit ab emendo, manetque subdubius, & vix tandem addit sestertia quinque, quod animadvertens Titius veritusque, ne si rursus per suppositum Crassum rei proscriptæ precium auxerit, seipsum potius fallat quàm Calphurnium, quod proscripserat, dat Calphurnio, & ita est Crassus tua sententia licitator. Quanquam tu cum diceres *licitari* aliud nihil significare, quàm precium augere, & ita quod proscriptum esset dare plus offerenti, non magis Crassum quàm Calphurnium in eo, quod plus offerret, licitari velle videbaris, eoque interdum tua tendebat oratio, ut inter *licitationem* & *auctionem* nihil prorsus interesset. Adduxistique pro tua causa, ut tibi videbaris, ex ipsis Jureconsultis exempla firmissima. Gajum enim super legem, quæ incipit: *Licitatio vectigalium, quæ callore licitantis ultra modum solitæ conductionis inflavit, ita demum admittenda est, si fidejussores idoneos*

Licitari.

tit. de pub. & vectigal. L. 9.

& cautionem is, qui licitatione vicerit, offerre paratus sit. Et eundem Gajum non multo post super eandem legem: *Licitatores vectigalium ad iterandam conductionem, antequam superiori conductioni satisfaciant, admittendi non sunt.* Adducisque in eandem sententiam Paulum, qui super legem *Valerius*, ff. *de jure Fisci*, ita locutus est: *Valerius Patronus procurator Imperatoris Flavio Statilio prædia certo precio addixerat. Deinde facta licitatione idem Statilius recepta ea licitatione prædia obtinuerat, & in vacuam possessionem ita inductus erat. De fructibus medio tempore perceptis quærebatur. Patronus Fisci esse volebat. Plane si medio tempore inter primam licitationem & sequentem adjectionem percepti fuissent, ad venditorem pertinere; sicut solet videri cum in diem adjectio facta est. Deinde melior conditio allata est, nec moveri debemus, quod idem fuisset, cui primo adjecta fuerant prædia. Sed cum utraque adjectio intra tempus vindemiarum facta fuisset, recessum est ab hoc tractatu. Itaque placebat fructus emptoris esse.* Hæc tu duo exempla ex Gajo & Paulo pro tua causa intulisti. Nam tuum illud tertium est abs te excogitatum argutius, ubi ageretur de dolo malo; etsi, quantum ad licitatorem attinet, non est à mea sententia admodum alienum. Sed antequam ad Gaji dicta Paulique respondero, afferam etiam ipse, quo fir-

§. 2.

L. 50.

mior tua videatur tibi opinio, exemplum ex Vulpiano, modo intelligas. Quod tu nudiustertius, cum apud nos esses, interpretabaris, in Gaji sententiam, ubi ait: *Licitatio vectigalium, quæ Callore licitantis ultra modum solitæ conductionis inflavit*: tu, inquam, *calore* per unum I. efferebas, dicebasque *calore* scilicet iracundiæ. Quis hoc tibi concedat, quem tibi locum iracundiæ dederis? *Callore* enim per geminum II. & scribendum & intelligendum est, pro calliditate & astutia. Est enim *calliditas*, secundum Aristotelem, quædam prudentiæ pars, quæ ita versatur in parvis ut prudentia magnis in rebus. Recte igitur Cicero, cum vellet ostendere in libris de Natura Deorum, quid inter versutum & callidum interesset, *versutum* esse describit eum, cujus mens celeriter versetur: At *callidum*, cujus animus usu, ut manus opera, concalluit. Sed redeatur ad Vulpianum. Sic enim ait: *Si res ejus venierit, & existat, qui plus liceatur, an integrum propter lucrum restituendum sit, quotidie prætores restituunt, ut rursus admittatur licitatio.* Audi item M. Tullium Ciceronem in epistola ad M. Marium. CICERO M. MARIO S. *Mandatum tuum curabo diligenter. Sed homo acutus, ei mandasti potissimum, cui expediret illud vænire quàm plurimo. Sed eo vidisti multum, quod præfinisti, quo ne pluris emerem. Quod si mihi permisisses, qui meus amor*

Callor.

Calliditas.

Versutus. Callidus.

Lib. 7. epist. 2.

amor in te est, confecissem cum hæredibus. Nunc quoniam tuum precium novi, licitatorem apponam potius, quàm illud minoris væneat ed. Sed joco satis. Habes, mi Jacobe vir Juris consultissime, omnia, quæ afferri adjumenta possunt in causam tuam. Cæterum quæ paucis dicturus sum, æquo animo accipe.

Omnium primum videamus *licitari licerive* secundum antiquos eosdemque probatissimos authores artis Grammaticæ quid significet. *Licitari* (ut ait Nonius Marcellus) *est congredi & pugnare.* Id autem esse ita, patet apud Cæcilium Poetam in Hymnide : *Qui macherâ licitari adversa eum cœpisti sciens.* Festus Pompejus docet eum *licitari, qui decipiendo inducit.* Et rursus ait: *eos esse licitatores, qui in mercando pugnandove contendunt.* Audi nunc Ciceronem libro tertio de officiis : *Tollendum est igitur,* inquit, *in rebus contrahendis omne mendacium, non licitatorem venditor, nec qui contra liceatur, emptor apponet. Uterque si ad loquendum venerit, non plus quam semel eloquatur.* Ex significatis hujusmodi verbi vel *liceri* vel *licitari,* quæ à duobus eximiis & Latinitatis & litteraturæ professoribus, Festo Pompejo ac Nonio Marcello, cognoscimus, possumusne alium esse licitatorem opinari, quàm eum, qui Græce προξενήτης dicitur : quo etiam nomine nonnullos Jureconsultos usos videmus. Quid autem aliud est proxenetarum, hoc

Licitari. Liceri.

Ciceronis locus.

hoc eſt licitatorum officium, ut ita loquar, quàm tum emptorem tum venditorem & contendendo & decipiendo inducere, ut & vendat ille & hic emat, idque non minus minuendi ratione, quàm augendi precii, & quamvis alia vel arte vel fallacia modo objecit quod inierit? An ſumus uſque adeo rerum imperiti, ut ignoremus, quantum emolumenti hujuſmodi nebulones percipiant ex hujuſmodi dolis ac fraudibus? ſive igitur in rebus privatis ſeu in publicis vendendo, emendo, locando, conducendo, contrahendoque licitator interſit, aut ſuo doloſe aut alterius nomine, hunc eſſe eundem, qui nomine à Græcis accepto *Proxeneta* dicitur, manifeſtum eſt. Recte igitur præcepit Cicero, nec à venditore licitatorem, nec item ab emptore apponi debere, ſed ipſos potius, ſi ad loquendum venerint, non plus quam ſemel eloqui oportere.

Hoc enim obſervandum inter viros graves & bonos, iccirco præcipit Cicero, ut nulli licitatoris mendacio, nulli dolo relinquatur locus. Hæc tu ſi in Gaji, ſi in Pauli, ſi in Ulpiani reſponſis diligentius conſiderare inſtitueris, longe aliter ſenties, quàm in hanc diem conſveveris. Quod autem contenderis, idem eſſe & *auctionari* & *licitari*, eodemque modo *licitatorem* & *auctionatorem*, nihil eſt quod tibi minus aſſentiar. Video apud Ciceronem

Auctionari & Licitari quid differant.

ronem in Oratione pro Rege Deiotaro hæc verba: *Ille iterum, ille tertio auctionibus factis pecuniam dedit, qua ad bellum uteremini.* Et rursus: *Quo tum Rex erga te animo fuit, qui auctionatus sit seséq́ expoliare maluerit, quàm tibi pecuniam non subministrare.* Num licitationibus factis, num si licitatus sit, dixisset Cicero idem esse significatum? Sed hæc hactenus multa. Non enim dubito, te pro magnitudine ingenii tui egregiaque doctrina iturum in sententiam meam, & eundem esse licitatorem concessurum, quem etiam *proxenetam* nunc vulgo vestri Jureconsulti nominant. Dicebas secundo loco, mirari te Ciceronem, atque arbitrari illum in Dialecticis parum fuisse exercitatum. Nam si secus esset, eum nunquam fuisse dicturum in prima quæstione Tusculana: *si malum, ergo miserum:* cum esset propositum vel assumptum potius, *malum mihi videtur esse mors.* Non enim quod malum est, id continuo miseriam afferre, cum multiplicia mala sint & animi & corporis & fortunæ. Nec esse tamen consentaneum, qui in pluribus maximisque totius hominis atque fortunæ bonis cum eculeum amiserit quempiam aut catulum, iccirco eum affirmare miserum, quoniam ea equitii canisve amissio in malis habenda sit secundum Peripateticos. Indocte igitur Ciceronem

Cicero defenditur. Mors an malum.

eam complectionem ad id adjecisse, quod erat assumptum. Concederem tibi profecto, quod Ciceroni objicis, si Peripateticum se eo in loco is, quàm Stoicum maluisset. At Stoici nihil in malis ducunt, nisi quod turpe sit: nec item in bonis quicquam, quod honestum non sit. Honestate bonum Stoici, & turpitudine malum definiunt. Præterea neque in bonis nec item in malis aut plus esse judicant aut minus, quàm quod honestum sit: id esse putant omni ex parte bonum: quemadmodum id esse volunt omnino malum, quod à turpitudine proficiscitur. Quare si mors habenda foret in malis, quod certe non est, recte à Cicerone responsum esset, id esse miserum. Nec enim præterire te existimo, quæ aut corporis sunt, aut fortunæ tributa, ea à Stoicis neque bona neque mala censeri, sed indifferentia, & à plerisque *commoda*, quæ etiam alii *prælata rejectaq;* nominant, perinde atque talia sint, in quibus selectio locum habeat. Utrum tibi gravissimo & eruditissimo viro satisfecerim, nescio. Mihi certe feci satis.

Ex Mediolano, Kalend. Septemb.

M. CCCC. LX.



EPIST.

EPIST. XIII. Mediolanum.

Franciscus Philelfus Francisco Piccolpasso Mediolanensium Archiepiscopo, S. D.

DE Phœnice quid ſentiam, avem loquor, ſuperioribus diebus coram commentatus ſum tecum. Deinde inveni noviſſime apud Græcos, hujuſmodi autem temporibus Claudii Cæſaris veniſſe in Ægyptum poſt ſexcenteſimum quinquageſimum quartum ætatis annum, ut ubi ipſa ſibi pyram vel Ambroſiano loquendi more, techam (hoc eſt loculum) ex Caſſia & Myrrha conſtituiſſet, diem obiiſſe, ac demum ex eo verme, quem vulgo prædicant, revixiſſe, & continuo revolaſſe, unde modo ad Ægyptios devolarat. Ad hæc cum ſanctiſſimi & eloquentiſſimi viri Hieronymi nudiustertius epiſtolas paſſim lectito, in eam incido, quæ ad præſidium inſcripta eſt. Hanc autem centeſimam decimam nonam inter epiſtolas numerari puto. Ubi cùm alia pleraque Hieronymus perpulchre complexus eſt, tum de ipſo Phœnice longe plura commemorat, quàm Ambroſius. Ego tamen ſententiam nondum muto: verum quæ voluntati fore tibi exiſtimavi, volui tibi mecum eſſe communia. Nam neque in Ægypto, neque in Arabia illiuſmodi avem uſque viſam arbitror, quippe quæ mea ſententia nulla ſit. Phœnix.

Cuperem jam ruris tædium ut saltem satietas te cepisset, quo ad te salutatum & commode & frequenter accederem. Nam quo magis te ruri contines, eo majore tui desiderio crucior. Idq; cum multis vel potius cum bonis omnibus. Vale, Ex Mediolano, Kalend. Novembribus, M.CCCC.XL.

EPIST. XIV.

Franciscus Philelfus Cyriaco Anconitano. S. D. P.

Homeri patria & sepulchrum.

QVod me donas sæpenumero perpulchris quibusdam epigrammatis, habeo tibi gratias, idque ut etiam quàm sæpissime facias, rogo te. Quod autem eulogium in Homeri sepulchro insculptum ad me misisti, subdisque id satis esse argumento, Homerum non Smyrneum extitisse, sed Chium: neque probo sententiam tuam, nec omnino reprobo, præsertim cum & Acusilaus libro tertio & Hellanicus in Aglantide *Homeridas*, quæ familia apud Chios erat illustris, ab Homero Poeta nomen duxisse tradiderint. Quorum opinioni adversatur libro secundo Seleucus inquiens, erravisse Cratera, qui putarit Homeridas, Homeri fuisse posteros. Nam illos hoc nomen accepisse ab ὁμήρεις hoc est obsidibus, quoniam Chiliæ quondam mulieres, cum desipissent in Baccanalibus, manum cum viris obseruere. Cumq; postea recõciliatis animis

Homeridæ.

ὁμηρεῖ.

mis ὁμήρους id est obsides invicem sponsos sponsasq; dedissent, qui ex iis posteri nati sunt, eos *Homeridas* vocavere. Quod si ea legeris, quæ tum ab Herodoto & Plutarcho, tum ab aliis nonnullis de illius Poetæ præstantissimi vita literis sunt mandata, neq; de ejus patria, nec item de ætate, hoc est quo aut ipse natus, aut mortuus, aut ubi sepultus fuerit, quicquam certi invenies. Tantum autem fuit & tam illustre ac præclarum Homeri nomen, ut permultæ etiam nobilissimæq; urbes eum suum fuisse civem contenderint, ac sepulchrum ejus ostendant. Itaq; non absurde id possit de illo dici, quod Socrates de se respondere sit solitus. Ut si quis quærat, cujas Homerus extitisset, respondeatur, eum extitisse mundanum, sc. divinum potius virum, quàm humanum. Vale. Ex Mediolano XI. Kalendas Decembres, M.CCCC.XLVIII.

EPIST. XV.

Agapitus Portius Nicolao Barzellonio, S.

Vixit ætate Philelphi, circa An. Dom. M. CCCC. XL. De Año.

Tuis literis breviter respondeo. Usque ad Octavium Augustum profunda caligine annum habitum fuisse. Apud Ægyptios quatuor mensium erat: apud Archades trium: apud Archananos sex; & in Italia apud Lavinios tredecim, qui ferebantur CCCLXXIV. diebus. Sed Romani ab initio decem

decem mensibus annum computaverunt, inchoantes à Martio & terminantes in Decembre: & sex menses tricenorum dierum erant; reliqui vero tricenis & singulis explicabantur. Sed cum à cursu Lunæ ratio ista deviaret, & ante Numam Pompilium lunari computatione peræquatus est, adjectis LI. diebus. Sed ut XII. menses perficerentur, de sex prioribus detracti sunt singuli dies, & eos quinquaginta istis & uni diebus annexuerunt factique LVII. Divisi sunt in duos menses, quorum alter XXIX. alter XXVIII. diebus agebatur: & cœpit ita annus habere CCCLV. dies. Sed deinde cum temere videretur annus clausus in dies, quos dixerint, & cum Sol cursum suum per Zodiacum non ante CCCLXV. diem perficeret, quadrantem & decem dies addiderunt, ut annus perficeretur CCCLXV. diebus & quadrante. Unde propter impares dies Januarius diis dicatus est, & propter pares Februarius ut Diis inferis abominosus. Quapropter ob quadrantem varie intercalabatur, & temporum peræquatio fiebat. Nam Græci singulis annis XI. dies & quadrantem detrahebant, quos octies multiplicatos in nonum annum reservabant, ut contractus nonagenarius numerus in tres menses per tricenos dies scinderetur, qui anno nono restituti CCCCXLIV. dies efficiebant, quos embolismos vel hyperballontas nominabant.

Quod

Quod cum initio Romani probassent, brevi neglectum perdiderunt, & in sacerdotes intercalandi potestas translata fuit, qui aliquando gratificantes pro libidine detrahebant vel augebant tempora. Et cum hæc ita in confuso ducerentur, hyemales menses in æstivum vel autumnale tempus incidebant. Quapropter C. Cæsar, ut turbationem temporum præteritam componeret, X X I. dies & quadrantē intercalavit, & hoc pacto menses regradavit, habuitq; annus ille solus CCCXLIV. dies. Alii autē deinceps CCCLXV. dies & quadrantem. Tandem cum perciperent, ut quarto anno diem unum intercalari necesse esset, & id observari quarto anno confecto, antequam quintus auspicaretur, illi quarto incipiente intercalarunt non desinente. Itaque per annos sex & XXX. cum novem tantum dies sufficere debuissent, XII. intercalati sunt, quod cognitum Augustus reformavit, præcepitque annos XII. sine intercalatione decurrere, ut tres illi dies, qui ultra novem necessarios temere fuerant intercalati, hoc modo repensarentur. Ex qua postea disciplina omnium temporum fundata ratio fuit. Hæc demum tibi, ut potui, succincte scripsi, cum cognoscam tibi librorum copiam non esse, ut facilius his incumbere valeas. Et ne me fortasse tibi puerilia scribere autumes; velim non ignores ad unguem tibi me recensuisse no-

stro-

ſtrorum auctorum verba & ſententiam. Vale.

EPIST. XVI.

Agapitus Portius Altinio ſuo. S.

Ardea. Piſæ. Tyrrheni. Cora. Tibur.

QVod ſentio, ſcribo. Dane *Ardeæ* auctrix fuit. Pelopides *Piſas* condidere. *Tyrreni* à Tyreno Lydiæ Rege nuncupati ſunt. *Coram* Dardani condidere. *Tibur* teſte Catone, à Catillo Arcade claſſis Evandri præfecto, qui Amphiarei filius fuit & in Italia tres filios procreavit, Tiburtum, Coram & Catillum, qui depulſis ex opido Siciliæ veteribus Sicariis nomine Tiburti fratris natu maximi urbem vocaverunt. *Parthenope* dicta eſt à Parthenope Sirenis ſepulchro, & eam Auguſtus Neapolim præcepit nuncupari.

Sicavis. Parthenope.

Præneſte Arpos. Benevēt. Pataviū. Metapōt. Sollatiū. Salētini. Gabii. Tarentū. Pæſtum. Tarentū. Caubona Threma. Locri. Heretū. Heræ.

Praneſte ſecundum Zenodotum à Peneſto Ulixis nepote, Latini filio, aut ſecundum aliquos à Cæculo: & hoc idem Maro affirmat. *Arpos* à Diomede: *Beneventum* in Samio à Romanis: *Patavium* ab Antenore: *Metapontum* à Pyliis: *Sollatium* ab Athenienſibus: *Salentinos* à Liciis; *Ancon* à Siculis, qui Dorienſes fuere; *Gabii* à Galatio & Bio fratribus: ab Heradibus *Tarentum* à Bionibus, *Pæſtum* à Dorenſibus: à Miſcello & Archia *Croton*: à Calcidenſibus *Regium*, *Caubona* & *Threma* à Crotonienſibus: à Naritiis *Locri*: *Heretum* à Græcis in honorem *Heræ*: ſic enim vocant Junonem.

Paritia

Paritia ab Archiloco Siculo: Liciano placet à Mesappo Græco *Mesappiæ* datam originem, postmodum in nomen *Calabriæ*, quam in exordio Oenoter frater Peucetii *Peucetiam* nominaverat. *Palinurum* à gubernatore Æneæ Palinuro: *Misenum* à Miseno Æneæ tubicine: à consobrina *Leucasia*: à Cajeta nutrice *Cajeta*: ab uxore Lavinia *Lavinium*, quod secundum Cussonium quarto anno post excidium Trojæ extructum est, ab Ascanio *Alba*, *Fidenæ*, *Antium*: à Tyriis *Nola*: ab Euboeensibus *Cuniæ*: à Romulo *Roma*. Hæc tibi impræsentiarum sat sint, ut colligere potui. Vale. Mesappia Calabria. Peucetia. Palinurũ Misenum Leucasia Cajeta. Laviniũ. Alba. Fidenæ. Antium. Nola. Cuniæ. Roma.

EPIST. XVII.

Rodolphus Agricola suo Alexandro Hegio. S. D.

QVæris, quid inter Mimum & Histrionem & Personam intersit. *Mimum* & *Histrionem* idem crediderim esse, eum dico qui fabulas in scena agit, nisi quod *Mimus* à Græco μιμέομαι id est imitor, originem ducit. Histrionis Thuscum verbum esse, auctores affirmant. Fuit tamen & poëma apud veteres, quod *Mimos* vocarent, salibus tantum & dicacitate gratum & humillimi inter omnia scenica generis. Unde ego etiam *Mimi* nomen fere humilius quam *Histrionis* apud auctores invenio, quanquam tamen Paridem Juvenalis *Histrionem* vocet: Mimus. Histrio.

Quod

Quod non dant proceres, dabit Histrio.

Pantomimus. Idemque Pantomimus fuerit. *Persona* à personando dicta est, ideo quòd Histriones faciem suam in scena tegebant alienamque præferebant, id est apud Juvenal.

Persona.

Personam Thyrsumq; tenent & sublegat acti.

προσώπειον μορμολυκία. Ut sit quod Græci προσώπειον vocant vel μορμολυκίαν, quanquam μορμολυκίας nomen ad terrorem incutiendum magis pertineat. Dicitur etiam *Persona* is, qui Personam sustinet, πρόσωπον. πρόσωπον, secundum synecdochen, ut est mulier, nempe ipsa videtur non persona loqui. *Scurra* Latinum nomen esse ejus, quod *parasitum* Græci vocant, puto, nulloque distare, nisi quod parasitus ἀπὸ τοῦ παρασιτεῖσθαι ab accubando velut honestiore parte nomen habet. *Scurra* à libertate licentiaque linguæ dici videtur. Uterque vero is, qui victus quærendi causa omnium se ludibriorum patientiæ addixit. De parasito Juvenal. *Viridem thoraca jubebit*

Scurra. Parasit9.

Afferri minimasq; nuces assemq; rogatum
Ad mensam quotiens Parasitus venerit infans.

De Scurra: *Populi frons durior hujus,*
Qui sedet & spectat triscurria patriciorum.

Subjicit deinde, quæ sint ea: *planipedes audit Fabios*, & quæ seqvuntur. *Nebulo* quid sit, idem auctor docet. *Et eodem jure natantes.*

Nebulo.

Mergere ficedulas didicit nebulone parente.

Quanquam *nebulonis* nomine, quod ex verbis

verbis Gellii significari videtur, proprie accipiebantur hi, qui hodie retia circumferunt, & dicacitatis certamine victum quærunt. *Nepos* dicitur, ut arbitror, quasi non potens gulæ: idem fere qui apud Græcos ἄσωτ☉ς. *Leccatoris* nomen Germanicum est, ut pleraque alia apud nos corrupta, quale est *reisa*, *Burgimagister*, *Scultetus*, sicut & Gallica *Passagium* pro expeditione bellica, *Guerram* pro bello, *Treugam* pro induciis accipimus. Ἀνθρώπου nomen unde ducatur apud Græcos, æque ineptum puto quærere, quàm apud nos, unde *hominis*, quasi ullius rei nominandæ debeat hominibus antiquior fuisse cura, quam sui ipsorum, sive ab ἀνὰ & τρέπω, sive (ut alii) quasi ἄνω ῥέπων secundum methathesin, sive ab ἀνὰ & τρέφω dici quis velit, ingenii magis quàm veritatis opus crediderim, quocunq; modo dicatur. *Vesper* extremum diei est. Sallust. in Jugurt. *Jam diei vesper aderat.* Et alio loco: *postquam castra locata, diei vesper erat.* Catull.

Nepos. Leccator. Reisa. Burgimagister. Sculteto. Passagiū. Guerra. Treuga. Ἀνθρωπ☉ς. Homo. Vesper.

Vesper adest, juvenes consurgite, vesper Olimpo
Expectata diu vix tandem lumina tollit.

Nam quod tu *vespere* apud Ovidium pro plaga occidentali legis, ἑσπέρω, dictum est ut apud eundem:

Eurus ad Auroram Nabatheaq; regna recessit.

Auroram enim proprie cœli faciem dicimus rubore propinquantis Solis suffusam: deinde tempus diluculi: tamen etiam ἕω, id est orien- Aurora.

Vesperæ. tis partem. *Vespera* quoque apud Plin. est in octavo libro epist. *Variis*, inquit, *sermonibus vespera extenditur*. Et *sub vesperum* dicit Cæsar in Commentar. Belli civilis. Nam quod nos *vesperas* pro vespertino officio, quemadmodum pro matutino, quomodo veteres locuti sunt, *matutinas* dicimus, non satis Latine puto. *Bonum sero* sitne Latine, quemadmodum *Bonum mane*, addubito, nam *mane* adverbium quum sit, invenimus tamen apud Persium:

Vesperæ.

Matutinæ.

Bonum sero.

Bonum mane.

Jam clarum mane fenestras
Intrat & angustas &c.

Sic etiam, fueritne *sero* apud veteres aliquando in locum nominis? non quod sciam apud ullum auctorem, qui extet, hujus locutionis esse exemplum. Illud certum est, quemadmodum ad veram loquendi legem corruptum est, ita *bonum serum* non male dici. Sic enim est apud Svetonium in Augusto:

Et jam diei serum erat

Rubeus. Plinii locus.

Rubeus audio qui putent barbare dici. Ego apud Plinium invenio, nisi tamen sit erratum in litera, & *u* pro *n* positum, & debeat *rubens* esse. Ego qvum *rubri* nomen habeam, tutius malim quàm licentius loqui. De Analogia derivandorum componendorumque nominum, vix mihi permiserim quicquam fingere, quod non apud auctores invenerim. Varia multiplexque res est, de qua nihil præcipi

Analogia nominũ fingendorum.

cipi perpetuum possit, & in qua nihil audeam, nisi sit fortasse, ut inquit Horatius: *Necesse,*

Indiciis monstrare recentibus abdita rerum.

Tamen ego & *Socratitas* & *Platonitas* & *Entitas* fortasse dixerim, quamvis repugnet Vallensis noster. Quidni tam libere qvum necesse sit, quàm Cicero nulla necessitate *Appietatem* & *Lentulitatem*, & Pollio *Patavinitatem* quandam dixit sonare T. Livium. *Tignum* est lignum minus trabe, cui tecta domorum incumbunt, forte à tegendo dictum, quamquam dicat Cæsar: *Tigna bina sesquipedalia paulum ab imo praeacuta*, & reliqua quæ seqvuntur. Deinde subdit: *hæc utraque insuper bipedalibus trabibus immissis.* Ut mihi videantur ista non mensura, sed usu in ædificiis distare, ut *tignum* sit, cui incumbat aliquid: *Trabs*, cui tabulata insternuntur: *asser* ab asserendo, id quo gestamen aliquod aut libitinam manu asserimus, hoc est prehendimus, nomen habet. Nam quod vulgo *asserem* vocamus, *tabula* dicitur propriè. *Contignatio*, conclavatio tignorum est. In Pandectis est titulus *de tigno injuncto*: eum legas censeo. *Dioecesis* ἀπὸ τοῦ διοικοῦμαι, διοίκησις id est administratio vel procuratio dicitur: quo nomine & Cicero usus est ad Atticum: *Mihi Campaniæ Dioecesis attributa est*, debetque Latino sono

Tignum. Trabs. Asser. Tabula. Contignatio. Dioecesis

pronunciari, circumflexo in penultima accentu, quemadmodum & *paracletus* dicere, quod Græce παράκλητος est, debemus. Scribis, cupere te, *ut Dialectica mea edatur. Dialectice* fœmineo genere ars ipsa est διαλεκτική; ficut ἀριθμητική, arithmetice: sed τὰ διαλεκτικά, hæc Dialectica; & τὰ ἀριθμητικά, hæc Arithmetica, quemadmodum *Georgica*, *Bucolica*, libri sunt. Unde M. Manlii liber *Astronomicon* non *Astronomice*, & Aristotelis *Ethicon* non *Ethice* inscribitur. Scribis etiam, *quanto tempore eum ad te redire jubebis, ne dubita, quin si in illis literis*, & reliqua. Latinum est illud *quanto tempore*, sed in ea significatione, qua tu vis, improprium, non enim quæris *quanto tempore*, hoc est quàm celeriter, aut quàm tardè profectionem ad me redeundi explicaturus sit, sed intra quantum aut post quantum temporis ad me rediturus sit: ut si dicas eandem figuram orationis aliis verbis; *duobus ad te mensibus redibit*, intelliges duobus eum mensibus in itinere futurum. Sin dicas, *intra duos menses* (nam *infra duos* in temporis significatione barbarum est) aut post duos menses redibit, jam planum est dicere te post duos eum menses ad me daturum. Deinde est, *ut plura brevibus complectar* rectius erat, *ut plura paucis complectar*. *Brevia* verba sunt, quæ paucis syllabis constant, sicut *longa*, *multis* ex multis paucisque verbis longa, proinde brevisque fit oratio. Est etiam,

Paracletus.

Dialectice, & Dialectica.

Quanto tempore.

Brevib9.

juve-

juvenum institutores. *Juvenes* scis vulgo vocari, quicunque sunt minores natu, & ego scio. Mallem *adolescentium* aut *puerorum* dixisses. *Juvenes* enim sunt, qui viro proximi sunt, qui jam non admodum in ludum literarium eunt. Præterea scribis, *quid tignum quidve contignatio*, & reliqua. Subjicis deinde in fine, *ubi ex te rogavero quærendi finem faciam.* Hoc si præcessisset interrogationem, scite per verbum futuri de futuro pronunciasses, ut esset, reliqua sunt, quæ ubi ex te rogavero, quærendi finem faciam. Deinde sequeretur, *quid tignum quidve contignatio.* Nunc qvum res præteriisset, de qua interrogaturus eras, mallem dixisses, *quod qvum rogaverim, dicendi finem faciam.* Nec me latet id secundum hyperbaton dictum esse, & nullam aliam esse frequentiorem figuram in omni genere concordandæ orationis. Sed multa eveniunt, quæ repugnent, aut verborum genere aut struendæ orationis ratione, quo minus omnis ornatus omni loco conveniat. Habes quod facere te velim, & ad interrogata responsum, & de epistola tua censuram. Quæ si tibi parum grata sunt futura, desines post hac exhibere mihi negocium: aut si perges molestus esse, nimirum paria pro paribus expectabis. Apud Græcos in proverbio est, cicadam alis prehendendam non esse, quæ ut cœperit strepere, desinere nesciat: ita ubi Juvenes.

quod velis ex me audire quæsieris, sæva etiam mercede, quod nolis, audiendum est, faciliusq; loquacitatem meam evoces, quàm cōpescas. Quin tu calamum arripis, hocque invictum me ferre non sinis: & qvum fines tuos defenderis, tamen meis infers bellum, meoq; me confodis exemplo. Cujus rei diligentes vigilatiq; labores mei, ne dum negligentius profusa epistola, plenam tibi atq; uberem præbuerit materiam. Nec est quod offensum me iri vereare: agam etiam gratias ultro, idq; in præcipuam benevolentiæ tuæ partem numerabo. Nec tam nihil tibi displicuisse in ea, si totam probaris, quàm totam contempsisse, si nihil improbaveris, putabo. Vale. Arnoldo nostro Presbytero & Philosopho meo nomine salutem dicas. Joannes frater honestissimis verbis salvere te jubet. Iterum vale. Datum, Groningi XX. Sept. Anno M.CCCC. LXXX.

EPIST. XIIX.
Heidelbergam.

Petrus Schottus Rodolpho Agricolæ Oratori priscarum elegantiarum.
S. P. D.

SI epistolarum genus illud est præcipuum, ut Ciceroni videtur, quo certiores facimus absentes, si quid sit, quod eos scire aut nostra

nostra aut ipsorum intersit, veniam mihi dabis, vir doctissime, qui te mihi nondum plane cognitum his meis ineptiis adoriri non erubescam. Nam tametsi faciem tuam nunquam viderim, nec dextera dextram (ut ajunt) contigerim, tamen posteaquam honestissimarum artium tuarum quàmplures & eos gravissimos testes audivi: quin & Italos ipsos alioquin gloriam propriam exaggerare, alienam attenuare solitos, te tamen & eruditionem tuam incredibili quodam peritissimorum assensu mirari & extollere, dum Ferrariæ tertium ante annum agerem præsens intellexi: continuo cœpi & amare te quamvis ignotum, (id quod virtus efficere consvevit) & in commune gratulari Germaniæ nostræ, quam sperarem tanto politiorum literarum principe à squalida illa & penitus radicata barbarie aliquando auferendam liberandamque fore. Itaque & tunc libellos, qui in manus meas venire poterant, quos tu è Græcis Latinos fecisti, exscribere curavi, & ubiubi occasio præberetur, familiaritatem tuam, quò eruditior evaderem, inquirendam mihi constitui. Tandem Argentinam reversus cum à Domino Thoma Vuolfio Jure consulto, & Adelpho Rusco, viris mihi singulari amicitia junctis, intellexissem te Heidelbergæ jam cœ-

pisse purgare & linguas juvenum & aures, ut ille nil scelerosum balbutiant, hæ vero tuis tam peritis & dulcibus elegantiis delibatæ omnes illas sciolorum insullas & verbosas ineptias quasi magicas incantationes declinent : tum ego vehementer sum gavisus, & illico meditatus familiaritatem litteris inchoare, si forte (quod Deus, ex re tua tamen, faxit) & præsens convictus accederet. Idque eo audentior egi, quo plurimum ad me ore uno perferebatur, te non tam humanitatis artes profiteri, quàm ipsum omnium esse humanissimum. Quia igitur argumentum quærebam, quo te ad scribendum provocarem, visum fuit super his tuum requirere judicium, quæ & tu promptissime doces, & ego studio singulari desidero. Ea licet minutissima sint, nec digna quibus doctrina tua solicitetur, tamen quo videntur abjectiora, eo me vehementius pudet ipsa negligere, qui sim memor ejus, quod Horatius monet;

Vilibus in scopis, in mappis, in scope quantus
Consistit sumptus, neglectis flagitium ingens?

Primum igitur te obsecro, vir literatissime, ne te pigeat certiorem me facere, qvum in hymno quopiam Ambrosii canimus:

Os

Os, lingua, mens, ſenſus, vigor
Confesſionem perſonent.
Flammaſcat igne charitas.

Et quæ ſeqvuntur: *Flammaſcat* an *flammeſcat* legendum ſit. Invenio ſiquidem *labaſco* & *ingraveſco*. Deinde ſi eam dictionem, quam literæ ſacræ totiens frequentant, *charitatem* dico, Græcam arbitreris an Latinam. Et ſi Græcam, qua deductione ἀπὸ τῆς χάριτος derivetur. Sin Latinam duntaxat, cur ab his, qui eruditiores haberi volunt, aſpiretur. *Auctor* per *c.* ſcribendum ſit ſemper. *Lachrima* & *pulcher*, in quo Apulejus & Servius diſſentiunt, aſpirationem patiantur. *Euxenia* vel, ut quidam contendunt, *Enxenia* idonea ſint vocabula pro ſtrenis & xeniis. Et ſi quid de *morticinis* habes, quo accentu proferantur, & quam apud priſcos ſignificationem obtinuerint. Plura ſunt alia, ſed vereor obtundere. Tuum igitur erit, vir doctiſſime, ignoſcere impudentiæ meæ. Equidem cum te propter doctrinam maximi faciam, atq; ideo mirifice deſiderem à te doceri, inductus ſum ex meo animum tuum expectare, & proinde perſvadere mihi ipſi, non paſſurum te pro liberali ingenio tuo, hanc me ſpem fruſtrari. Sic enim habeto, ſi meum in hac re ſtudium non aſpernatus fueris, fore ut tibi tanta ſim debiturus, quanta ei, qui me beneficio ſuprà quàm dici poſſit grato affecerit. Vale. Datæ Argentina ad duodecimum Kalend.

Flammaſcat & Flammeſcat.
Auctor.
Lachrimæ.
Pulcher.
Euxenia vel Enxenia.
Morticina.

Iend. Martii. Anno à nativitate Salvatoris M. CCCC.LXXXV.

EPIST. XIX. Spiram.

Petrus Schottus Jacobo VVimpfelingio Schletstatens. S. D.

Positionem ex muta & liquida corripi in prosa. Tenebrę, latebræ, quo accẽtu proferantur,

QVoniam priori epistola tua me oraveras, ut in ligato campo ostenderem medias syllabas dictionum ejus generis, qualis sunt *tenebræ, latebræ*, breves incedere posse. Ego tibi carmina probatissimorum non pauca congessi, quibus id luce merediana clarius appareret, nihil tum de soluto stylo, super quo non inquisieras: nihil de accentu dubitari posse suspicatus. Quippe cum perfectum esset tempus penultimæ syllabæ, quam penes Latini pleriq; omnes accentum in trisyllabis metiuntur. Sane perspectum esse duxi, quamvis in posterioribus literis tuis significes illius probationes alias desiderari. Nam quid, obsecro, apud studiosum præclarissimorum ingeniorum sectatorem indubitatius atq; fidelius erit pro dignoscendis syllabarum quantitatibus, quàm si exempla & celebres observationes receptorum Poetarum intueatur? Ex eorum siquidem auctoritate qvum omnes Latinæ vocales dichronæ sint, omnes ferme quantitatum illæ regulæ prodierunt. Nec est quod dicunt aliqui, Poetica quâdam licentia committi, ut vel positio corripiatur: id vero in solu-

ſoluto campo nequaquam licere. Nam non jam licentiæ,ſed vitio merito dabitur, (quanquam etiam licentia vitium ſonat) ſi tam frequenti & crebra exorbitantia Poetæ numeros ſuos,quibus vel ſoli vel cæteris peculiarius ſtudent, afferantur neglexiſſe. Quod profecto de hiſce viris quiſquis ſenſerit, is non modo ipſos, ſed & omnem priſcorum ætatem, quæ eos ut certiſſimos & exactiſſimos venerata eſt, videbitur juſtitiæ nota contaminare. An non callidiſſimi eorum Critici, qui non ſolum in emendate, ſed etiam figurate dicta calumniati ſunt? Nunquid Grammatici plurimi, qui vix pauca aliqua in Poetis,quæ producenda erant correpta per ſyſtolem deprehenderunt, hunc quoq; manifeſtarunt, & celeberrimum uſum ſi ſyllabarum tempori præjudicaſſet, non vidiſſent,notaſſent, caſtigaſſent? Num faciliori opera excuſaſſet Priſcianus illud Virgilii:

Ponite ſpes ſibi quiſque ——

Et hinc quam plura ſimilia, ſi aſſeveraſſet illo poetica licentia poſitionem correptam eſſe, quam quod ad id recurrit S. literam vim ſuam dimittere. Mirum ſane eſt Poetas,qui alioqui rariſſime longarum ſyllabarum naturam accurtaſſe reperiuntur, in hoc genere non ſolum longas natura (ut illi ajunt) ſed etiam poſitione arctatas tam crebro & paſſim corripere. Mirandum vero magis ſi Poetis, qui ligatiſſimi ſunt, diſſolutio tanta con-

concedatur, eos, qui solutam orationem effundunt, ligatos magis esse debere, præcipue cum licentia illa Poetarum non ad numeros, in quibus astrictiores sunt oratoribus, ut M. Cicero dixit, sed ad verborum libertatem spectet. Quid ergo? inquiunt. Num in his, de quibus est quæstio, positionem esse negas? Equidem fateor positionem esse. Nam duæ consonantes contiguæ vocalem in uno etiam seqvuntur vocabulo. Verum in hoc distare dico positionem, quæ ex muta & liquida resultat, ab ea, quam mutæ duæ constituunt, quod qvum hæc vocalem præeuntem utcunque brevem longam perpetuo reddat, duriori nimirum enunciatione fluxum cohercente, illa quod salebrositate quadam moretur præcipitationem, non adeo usque tamen, ut lapsum prorsus exasperet. Hoc efficit ut in carmine, si ex usu Poetæ sit, longa constituere possit præeuntem vocalem brevem. In oratione vero soluta si nonnunquam longe prolatam excuset, frequentius tamen brevem efferre & usus & doctrina tradit. Ecce sententiam nostram, quam si qui minus recipiant, nihil mirum profecto in Grammatica, quæ inter artes cæteras professoribus est opulentior, sectas inveniri, qvum etiam Astronomi quamvis paucissimi, non sint semper unanimes. Verum ut responsum nostrum, quantum ad id, quod de Oratione soluta diximus, astruamus,

(Nam

(Nam quod ad carmen attinet, cum adversariis convenit.) Allegare primo possem celeberrimorum omnium, quos equidem in Italia & extra novi plurimos, consvetudinem & usum, *Quem penes* (ut Horatius ait) *arbitrium est & vis & norma loquendi.* Sed ne calumniæ locus aliquis detur, audiantur tres testes meo judicio omni exceptione majores, quibus si non credatur, nescio quid in Grammatica solidum præcipi possit. Loquatur igitur Diomedes ille antiqvus inter Grammaticos nominis, qui in traditione de accentibus: *In trissyllabis*, inquit, *& tetrassyllabis & deinceps secunda ab ultima semper observanda sit. Hæc si positione longa fuerit, acuetur: ut, Catullus, Metellus, Marcellus. Ita tamen si positione longa non ex muta & liquida fuerit, nam mutabit accentum: ut Latebræ, Tenebræ.* Hæc ibi: Et paulo post: *Si penultima positione longa ita fuerit, ut excipiat tam ex muta quã ex liquida, accentus transfertur ad tertiam ab ultima: ut, Tenebræ, latebræ.* Et postea apertius: *Et tenebras*, inquit, *& latebras acuto accentu prima syllaba effertur.* Tantum à Diomede. Accedat & Priscianus diligentissimus in re Grammatica, qui in tractatu, quem de accentibus reliquit, his verbis testimonium nobis perhibet: *Trissyllabæ vero, & tetrassyllabæ, & deinceps si penultimam correptam habuerint, antepenultima acuto accentu profertur, ut, Tullius, Hostilius. Nam si pura positione longa fuerit acuetur, antepenultima*

ma vero gravabitur: ut, Catullus, Metellus. Si vero ex muta & liquida longa in versu constat, in oratione mutat accentum: ut, Latebræ, Tenebræ. Sic Priscianus. Num hæc clara satis: Numquid aperte & sine ulla circuitione, quod asseveravimus, illi sunt testati? Forsitan adhuc videri poterunt alicui justum auctoritatis pondus in Grammatica Grammaticorum Principes non habere, qui in re tanta sublimiorem quempiam tractatorem desiderabit. Sed ut hujus quoque insolentiæ morem geramus, adducatur Rhetor longe amplioris nominis, quàm ut in tam frivolis ei fides non habeatur. Audiatur itaq; Quintilianus, qui in primo Institutionum Oratoriarum libro sic ait: *Evenit ut metri quoq; conditio mutet accentum: ut —— pecudes pictæq; volucres. Nam volucres media acuta legam, quia etsi natura brevis, tamen positione longa est, ne faciat Iambum, quem non recipit versus Heroicus.* Ecce quam dilucide declarat positioné, quæ ex muta & liquida constat, syllabam brevem prolongare posse, si id versus conditio requirit. Verùm extra carmen accentu proprio debere proferri, qui nimirum alius est ab eo, quem versus exigit. Aliter enim non diceret Quintilianus *metri conditione accentum mutari.* Hæc sunt, vir amicissime, quæ super his ad te scribenda putavi. Quibus si quid pro veritatis tuitione esse effectum putabis, nihil mihi fuerit gratius: sin minus, solabor ego

me

me saltem testificatione grati erga te animi, qui videas me ineptias effundere malle, quàm impositam per te mihi scribendi provinciam omnino declinare. Vale. Datæ Argentina ad Nonum Kalend. Octobres: Anno à nativitate Domini M.CCCC.LXXXVI.

En tibi exempla, quibus præscripta in priore epistola approbavimus.

Virgilius Georgicor. tertio:

Nocte premunt, quod jam tenebris & Sole cadente.

Idem Æneid. tertio:

Noctem hyememque ferens & inhorruit unda tenebris.

Idem in eodem:

Rursum ex diverso cœli cæcisq; latebris.

In eodem idem:

——— Et regna recludat
Pallida Diisq; invisa superq; immane barathrum
Cernatur ———

Horatius:

Pernicies & tempestas baratrumq; macelli.

Juvenalis:

——— Mevius ut rebus
Quæq; reportandis posita est Orchestra cathedris

Idem in eadem.

——— Et spes & oratio
Pœnituit multos vanæ sterilisq; cathedræ.

Idem in eadem:

Respexit cum jam celebres notiq; Poetæ.

Ovi-

Ovidius Metamorphoſ. primo.

Menala tranſieram latebris horrenda ferarum.

Idem in eodem:

Interea repetit cæcis obſcura latebris.

Idem in eodem:

Quod ſi ſola times latebras intrare ferarum.

Idem in XIII.

Funeribus ferri celebriq; in parte cremari.

Idem in quindecimo:

Quid Styga? quid tenebras & nomina vana timetis?

Idem ſecundo de Arte:

Ut ne te capiat latebris ſibi fœmina notis.

Idem tertio de Arte:

Etſi non tenebras & quiddam lucis opacæ,
Quærimus, eſt aliquid luce patente minus.

Lucanus in primo Pharſaliæ:

Involvitq; orbem tenebris genteſq; coegit
Diſperare diem ———

Idem in tertio:

Attonitus mortisq; illas putat eſſe tenebras:
Nox ſubit atq; oculos vaſtæ obduxere tenebræ.

Idem in quarto:

Venturi diſcrimen habent perire latebræ.

Idem in ſeptimo:

licet *latebras* produxerit quod juſte potuit, ſicut & *tenebræ* ſæpe loqvuntur:

Inq; vicem vultus tenebris mirantur opertos.
Hanc fuge mens partem belli tenebrisque relinque

Mar-

Martialis in Xeniis:

Pascitur & dulci facilis gallina farina,
Pascitur & tenebris ingeniosa gula est.

Claudianus in Stillicone:

Interius fuscata genas & amicta dolosis
Illecebris tetos auro circumlinit hyaros.

EPIST. XX.

Aldi Manutii Praefacio in Columellam.

ILlud significandum censui, Amice & studiose Lector, ordinem librorum Columellae alium esse in hoc volumine, quàm in aliis, idque Jucundi nostri diligentia, qui primus eum librum, qui tertius erat, cuius principium est: *Cum de cultu agrorum abunde primo libro praecepisse videamur, non intempestiva erit arborum virgultorumq; cura, quae vel maxima pars habetur rei rusticae &c.* non adnumerandum libris Columellae ad Sylvinum deprehendit tribus praecipue rationibus: quarum prima est, quia hic idem est cum eo, qui statim sequitur, quiq; incipit: *Hactenus arvorum cultus, ut ait praestantissimus Poeta. Nihil enim prohibet nos, Publi Sylvine, de iisdem rebus dicturos celeberrimi carminis auspicari principia. Sequitur arborum cura, quae pars rei rusticae vel maxima est.* Ecce uterque est de arboribus, sed is cuius principium *Hactenus arvorum cultus,* & maior multo est & magis cultus. Secunda, quia in eo ipso libro, quem non adnumerandum diximus,

Columellae librorũ ordo restituitur.

Columellæ hisce de re rustica libris nusquam nominatur P.Sylvinus, ut fit in aliis omnibus. Tertia, quia si ille liber iis, qui sunt ad Sylvinum, inseratur, accusandus foret Author indiligentiæ, qui de arboribus pomiferis, de Cythiso, de clivis, & aliis quibusdam & in hoc & in eo, qui nunc quintus est, tanquam oblitus tractaverit. Præterea quia in principio eius libri qui incipit: *Quæ fere consumabant, P. Sylvine, ruris exercendi colendiq; scientiam, quæque pecuariæ negotiationis exigebat ratib, septẽ memoravimus libris*, non septem sed octo foret dicendũ, tum aliis in locis numerus librorum, qui apud Authorem legitur, esset falsus quia si illum, ubi non est nomen Sylvini, addideris, in eo libro qui *Villicus* inscribitur, quemq; undecimũ esse librum ipse dicit his verbis: *Et hoc undecimum præceptum rusticationis*, foret scribendum *duodecimum*, sed perperam. Nam cum alius alium librum semper citet, ut facile est quærenti cognoscere, necesse est eum esse ordinem librorum, quem instituit iucundus, & ubi author *septimum* dicit, septimum: ubi *nonum*, novum: ubi *undecimum*, undecimum esse oportere. Ipsum autem librum in fine totius operis reiecit, ut & illum quis, cum libuerit, possit legere. An autem Columellæ sit an alterius, tum quare potius Columellæ esse videatur, videant alii. Nobis enim non erat otium. Vale.

EPIST.

EPIST. XXI.

Aldi Manutii Præfatio in Palladium.

IAm pridem decrevi, quacunq; in re pos- Palladius explicatur.
ſem, prodeſſe ſtudioſis. Quam ob rem per quàm utile viſum eſt futurum, ſi hic de diebus, & qui in vigenti quatuar partes, & qui in duodecim dividuntur: tum de horis, quæ ſunt apud Palladium, non nihil dicamus. Atq; eo magis, quod à perquam paucis ætatis noſtræ hominibus intelligantur. *Dierum* duo Dies naturales, civiles.
ſunt genera, alii naturales, alii civiles. *Naturales*, quibus nunc paſſim utimur, conſtat quatuor & viginti partibus æqualibus ab occaſu ſolis ad alterum occaſum, quæ *horæ* appellantur, & Græce ἰσημεριναὶ, latine *æquinoctiales* dicuntur. *Civiles* autem ab ortu ſolis ad occaſum conſtat duodecim partibus inæqualibus, quæ Græce καιρικαὶ, latine *temporales* ſeu, quod idem eſt, *vulgares* nominantur. Atq; hæ duodecim partes hybernis ſolſtitiis breviſſimæ ſunt, & tertia parte minores quam æquinoctiales: æſtivis autem longiſſimæ eademque tertia maiores quam illæ: & quod ſequens eſt, vincunt hybernas duabus quartis ſive, quod idem eſt, dimidio. Id quod ſignificare voluit Virgilio lux.
Virgilius eo verſu:

An ne novum tardis ſydus te menſibus addas.

id eſt Iunio & Iulio, quibus horæ longiſſimæ ſunt. At vere Sole Arietem, autumno Libram ingrediente, pares ſunt æquinoctialib. Horæ naturales Civiles.

eædemque ab hyberno solstitio ad æstivum cum die crescente crescunt: ab æstivo autem ad hybernum cum eodem decrescente decrescunt. Et qvoniam singuli dies civiles, ac noctes totius anni horis duodecim continentur, sexta diei hora semper est Meridies, & prima incipit oriente sole: duodecima eodem occidente finitur. Verbi gratia, mense Martio cum hæ ipsæ horæ temporales fere pares sunt æquinoctialibus, prima hora diei civilis est eadem cum tertia decima diei naturalis: secunda eadem cum quarta decima: tertia cũ quinta decima: quarta cum sexta decima: quinta cum decima septima: sexta cum decima octava: septima cum decimanona: octava cum vigesima: nona cum vigesima prima: decima cum vigesima secunda: undecima cum vigesima tertia: duodecima cum vigesima quarta. Illud igitur in sacris literis: *A sexta autem hora usq; ad novam tenebræ factæ sunt super universam terram*, intelligendum est à decima octava hora usque ad vigesimam primam diei naturalis, ut nunc horæ aguntur. Nam apud veteres *Solaria* in horas tam noctis quàm diei temporales non æquinoctiales dividebantur. Mense autem Iunio cum horæ quam longissimæ sunt, prima hora temporalis est eadem, quæ nona cum tertia parte decimæ æquinoctialis: secunda quod reliquum decimæ cum duabus tertiis undecimæ: tertia, quæ duodecima cum ter-

Matthæo Euang. lux.

Solaria.

tertia parte undecimæ. Atque ita singulæ tres horæ temporales continent quatuor æquinoctiales. Pari modo, quarta est eadem, quæ tertia decima cum tertia parte quartæ decimæ: quinta quod reliquum quartædecimæ cum duabus tertiis quintædecimæ: sexta quod reliqvum quintæ decimæ cum integra sexta decima & est meridies. Item tres temporales, septima, octava, nona, sunt eædem quæ quatuor æquinoctiales, videlicet decimaseptima, decimaoctava, decima nona, duodecima, eædem quæ vigesimaprima, vigesimasecunda, vigesima tertia, vigesimaquarta. Non ab re hic visum est subiungere epigramma Martialis ad Euphemum structorem Domitiani, ubi harum horarum temporalium meminit. Est autē hoc: Martiali lux.

Prima salutantes atq; altera detinet hora,
Exercet raucos tertia causidicos.
In quintam varios exercet Roma labores,
Sexta quies lassis, septima finis erit.
Sufficit in nonam nitidis octava Palæstris,
Imperat extructos frangere nona toros.
Hora libellorum decima est, Eupheme, meorum
Temperat ambrosias cum tua cura dapes,
Et bonus ætherio laxatur nectare Cæsar
Ingentiq; tenet pocula parca manu.
Tunc admitte iocos, gressu timet ire licenti
Ad matutinum nostra Thalia Jovem.

Horæ autem, de quibus agit Palladius, sunt quæ diem ab ortu solis ad occasum dividunt

in partes duodecim quæ umbris sic deprehenduntur. Fiat planities quadrata ad regulam & libellam in loco aperto, qui toto die illustretur à sole, spectetq; uno latere Septentrionem, alio Meridiem, Solem alio orientem, occidentem alio. Deinde in medio quadrati collocetur indagator umbræ, qui Græce *γνώμων* sive *σκιαθήρας* dicitur, observeturq; prima dies cuiusvis mensis. Verbi gratia, Ianuarii, idq; cœlo sereno. tunc tacto gnomone à solis radiis, umbra gnomonis prima hora diei erit longa pedes 29. secunda 19. tertia 15. quarta 12. quinta 10. sexta 9. atq; hac hora semper (ut dixi) est Meridies. Tunc enim sol altissimus facit umbras brevissimas. Deinde incipit delinare & descendere ad occasum, atq; umbræ eadem, qua decreverant, mensura augentur. Quo fit ut septima hora, quæ est prima post meridiem, umbra gnomonis sit longa pedes 10. & respondeat quintæ antemeridianæ (nam horæ ante sextam *antemeridianæ*, post sextam *pomeridianæ* appellantur) octava sit longa pedes 12. & respondeat quartæ: Nona 15. quanta fuerat tertia: decima 19. quot pedum erat secunda: Undecima 29. quot prima. Et quoniam in horarum spatio Ianuarius cum Decembri mense convenit, eædem erunt umbræ singulis horis hoc mense, quæ & Ianuario. Idem quoque faciendum est in cæteris mensibus, ut bini scilicet computentur, & Februarius in hora-

rum

rum mensura cum Novembri mense concordet: Martius cum Octobri: Aprilis cum Sept. Maius cum Augusto: Iunius cum Iulio, quemadmodum in fine cuiusq; mensis apud Palladium licet videre. Illud apud eundem in fine postremi mensis his verbis: *Decembrem Ianuario in horis causa dispar adjunxit, cum linea simili ille augeatur hic decrescat*, intelligendum est & de umbris, quod tam ante meridiem quam post pares atq; eædem in singulis binis mensibus sint, idq; dispari causa: & de diebus, quos constat sex mensibus augeri, & sex decrescere. Nam etsi eadem quantitate sunt horæ mense Ianuario, qua & Decembri, eademque mense Februario qua & Novembri, & sic in reliquis paribus, quemadmodum Author ostendit, tamen ex singulis paribus quantum augetur alter, tantum alter diminuitur. Ascendente enim Sole à Capricorno ad Cancrum (ut supra diximus) dies semper augetur. Decrescunt contra descendente illo à Cancro ad Capricornum. Notandum præterea, crescentibus diebus decrescere semper umbras gnominis: contra decrescentibus illis has semper augescere. Et hinc est, quod mense Ianuario, cum dies brevissimi sunt & augentur, prima hora diei umbra gnomonis est longa pedes XXIX. Febr. quæ est longissima, XXVII. Martio, XXV. Aprili, XXIV. Maio, XXIII. Iunio, XXII. Mense autem Iulio, cum dies longissimi sunt,

& decreſcunt, prima hora diei umbra gnomonis eſt longa pedes XXII. quæ eſt breviſſima Auguſt. XXIII. Sept. XXIV. Octob. XXV. Nov. XXVII. Decem. XXIX. Id quod ut melius cognoſcatur, ſubiunxi mus & eos menſes, quib. dies augentur umbris decreſcentib. & eos quibus dies decreſcunt umbris creſcentib. Incepimus autem ab Ianuario & Iulio, quorum altero dies ſunt breviſſimi & ſemper augentur uſq; ad Solſtitiũ æſtivum, & umbræ longiſſimæ, ſed decreſcunt quandiu dies augentur. Altero dies ſunt longiſſimi, & ſemper decreſcunt uſq; ad ſolſtitium hybernum, & umbræ breviſſimæ ſed augentur quamdiu dies decreſcunt. Et licet à ſolſtitiis incipiendum fuiſſet, quæ Decembri & Iunio fiũt, tuncq; dies vel augeri vel decreſcere incipiunt, tamen incrementa, vel diminutiones dierũ cũ diminutionibus incrementiſq; umbrarum ſic facilius dignoſcuntur. Qua quidem re cognita & diſpar illa cauſa cognoſcetur, qua in horarum ſpatio Ianuarius, Decembri, Februar. Novembri, Mart. Octobri, Apr. Septembri, Mai. Auguſto, Iun. Iulio adiuncti linea ſimili, ut ais Palladius, augentur vel decreſcunt.

Forma horologii ad Manutii præſcriptum adumbrata; quam ad rei intelligentiam interjecimus.

Ianuario augentur dies & umbræ decrescunt.

hora	1	ped.	29
hora	2	ped.	19
hora	3	ped.	15
hora	4	ped.	12
hora	5	ped.	10
hora	6	ped.	9
hora	7	ped.	10
hora	8	ped.	12
hora	9	ped.	15
hora	10	ped.	19
hora	11	ped.	29

Februario augẽtur dies & umbræ decrescunt.

hora	1	ped.	27
hora	2	ped.	17
hora	3	ped.	13
hora	4	ped.	10
hora	5	ped.	8
hora	6	ped.	7
hora	7	ped.	8
hora	8	ped.	10
hora	9	ped.	13
hora	10	ped.	17
hora	11	ped.	27

Iulio decrescunt dies & umbræ augentur.

hora	1	ped.	22
hora	2	ped.	12
hora	3	ped.	8
hora	4	ped.	5
hora	5	ped.	3
hora	6	ped.	2
hora	7	ped.	3
hora	8	ped.	5
hora	9	ped.	8
hora	10	ped.	12
hora	11	ped.	22

Augusto decrescunt dies & umbræ augentur.

hora	1	ped.	23
hora	2	ped.	13
hora	3	ped.	9
hora	4	ped.	6
hora	5	ped.	4
hora	6	ped.	3
hora	7	ped.	4
hora	8	ped.	6
hora	9	ped.	9
hora	10	ped.	13
hora	11	ped.	23

Martio augentur dies & umbræ decrescunt.

hora	1	ped.	25
hora	2	ped.	15
hora	3	ped.	11
hora	4	ped.	8
hora	5	ped.	6
hora	6	ped.	
hora	7	ped.	6
hora	8	ped.	8
hora	9	ped.	11
hora	10	ped.	15
hora	11	ped.	25

Septembri decrescunt dies & umbræ augentur.

hora	1	ped.	24
hora	2	ped.	14
hora	3	ped.	10
hora	4	ped.	7
hora	5	ped.	5
hora	6	ped.	4
hora	7	ped.	5
hora	8	ped.	7
hora	9	ped.	10
hora	10	ped.	14
hora	11	ped.	24

Aprili dies augentur & umbræ decrescunt.

hora	1	ped.	24
hora	2	ped.	14
hora	3	ped.	10
hora	4	ped.	7
hora	5	ped.	5
hora	6	ped.	4
hora	7	ped.	5
hora	8	ped.	7
hora	9	ped.	10
hora	10	ped.	14
hora	11	ped.	24

Octobri dies decrescunt & umbræ augentur.

hora	1	ped.	25
hora	2	ped.	15
hora	3	ped.	11
hora	4	ped.	8
hora	5	ped.	6
hora	6	ped.	5
hora	7	ped.	6
hora	8	ped.	8
hora	9	ped.	11
hora	10	ped.	15
hora	11	ped.	25

Maio

Maio augentur dies & umbræ decrescunt.				Novembri dies decrescunt & umbræ augentur.			
hora	1	ped.	23	hora	1	ped.	27
hora	2	ped.	13	hora	2	ped.	17
hora	3	ped.	9	hora	3	ped.	13
hora	4	ped.	6	hora	4	ped.	10
hora	5	ped.	4	hora	5	ped.	8
hora	6	ped.	3	hora	6	ped.	7
hora	7	ped.	4	hora	7	ped.	8
hora	8	ped.	6	hora	8	ped.	10
hora	9	ped.	9	hora	9	ped.	13
hora	10	ped.	13	hora	10	ped.	17
hora	11	ped.	23	hora	11	ped.	27

Iunio dies augentur & umbræ decrescunt.				Decembri dies decrescunt & umbræ augentur.			
hora	1	ped.	22	hora	1	ped.	29
hora	2	ped.	12	hora	2	ped.	19
hora	3	ped.	8	hora	3	ped.	15
hora	4	ped.	5	hora	4	ped.	12
hora	5	ped.	3	hora	5	ped.	10
hora	6	ped.	2	hora	6	ped.	9
hora	7	ped.	3	hora	7	ped.	10
hora	8	ped.	5	hora	8	ped.	12
hora	9	ped.	8	hora	9	ped.	15
hora	10	ped.	12	hora	10	ped.	19
hora	11	ped.	22	hora	11	ped.	29

Sed

Sed ſciendum, primos quoſque dies menſis deſcriptos tantum à Palladio, nec tantas fore umbras cæteris diebus cuiusque menſis, quantæ fuere primis, ſi quis eas deſcriberet: ſed ſemper vel minores, cum dies creſcunt, vel maiores illis decreſcentibus. Quæ ſi deſcriberentur omnes, magnum efficerent volumen: eſſet præterea opus multis annis, ſi id fieret in Europa. Nam cum oporteat ſingulos quoſque dies totius anni ab ortu Solis ad occaſum tunc eſſe ſerenos, nec id contingat unquam in Europa, obſervandi forent dies ſereni multorum annorum, donec omnes deſcriberentur. Quod quia laborioſum eſt & longi tædii plenum, nec Palladius fecit, nec alius quiſquam; nec forte erit unquam qui faciat. Sed de his hæc ſatis. Tu vero, Lector cariſſime, Vale & me ama. Venetiis.

EPIST. XXII. Viennam.

Aldus Manutius R. Corrado Celtæ, & Vincentio Longino ſuis S. P. D.

AGitur iam annus, ex quo accepi à vobis literas humanitatis, & amoris plenas. Erant meæ partes ſtatim reſcribere, niſi ſummæ occupationes noſtræ, ſummique labores pro Rep. literaria, eouſque procraſtinare me coëgiſſent, ut iam annum diſtulerim ad vos reſcribere, & niſi ex epiſtolis veſtris vos humaniſſ. eſſe facile cognoviſſem, non potuiſſem

ſem ſine ſummo pudore tam ſero reſpondere, & præſertim quod, cum me de facie non cognoſcatis, numquamq; à me beneficio affecti ſitis, ametis me vehementer. Quapropter niſi ego vos plurimum redamem, ſim plane ingratus. Sed & redamo, & colo, atque ita veſtrum me eſſe volo, ut poſſitis de me vobis omnia conſtantiſſime polliceri. Tua vero carmina, Corrade ſuaviſſime, legi libenter, quod & culta ſint & docta, nec in media barbarie (ut ais) nata præſe ferant, ſed in media Roma. Quod policitus fueris, te huc venturum, librosque & Græcos, & Latinos à te nuper inventos allaturum, duplici afficior gaudio, quod & te doctum virum, & mihi amiciſſimum ſpero videre, amplectiq; & libris tam longo carcere à te tanquam ab Hercule liberatis, coram gratulari. Te igitur, quantum poſſum rogare, rogo, ut venias. Venies enim expectatus librosque ipſos feras. Hoc enim mihi gratius eſſe nihil poteſt. Tuam item epiſtolam & epigramma, ubi me amice laudas, Vincenti cariſſime, legi ſumma cum delectatione, non quod talem me eſſe cognoſcam, qualem tu facis, ſed quia placet me laudari à laudatis viris. Accepi præterea nuper literas & diſtichon quod Leonhardo bibliopolæ ad me dediſti, ubi quod me etiam plurimum laudes, eſt humanitatis tuæ. Ioannem Baptiſtam Mantuanum aiunt exceſſiſſe è vita, ſed ita

Celtis Probutū laus.

Græci Latinique libri à Celte inventi

Ioan. Baptiſta Mātuanus.

ita esse nec ne, incertus sum. Vetus & novum instrumentum Græce, Latine & Hebraice, nondum impressi, sed parturio. Et ut cum utroque loquor, istos libros, quos mitto vobis muneri εἰς μνημόσυνον & pignus amoris, accipite sic libenter ut mittimus. Hi vero sunt duo Virgilii & duo Horatii, duo item volumina rudimentorum grammatices latinæ linguæ à nobis composita; quos libros si putaveritis istic venditum iri, non sit grave scribere. Mittam enim quotquot iusseritis. Valete, meque amate ut facitis, commendateque studiosis, & doctis omnibus, quibus cum vobis istic familiaritas intercedit. Venetiis, Nonis Iulii M.DI.

An. 1500. nullæ dum tabernæ librariæ Francofurti.

EPIST. XXIII.

Ioan. Iovianus Pontanus Actio Syncero animi firmitatem D.

De libris à Sanazario inventi. Ovidii Halicuticon. Nemesiani Cynegeticon. Rutili Hodæporicô.

QVæ ad Pudericum scripsisti, ea me mirificum in modum delectarunt. Sunt enim plena pietatis tuæ erga vetustatem ac diligentiæ. Quo circa vel attentissime expecto videre ovidianos illos Pisciculos in Euxino lusitantes Mæotideq; in palude. Quod vero ad Venationem attinet, visus est mihi vates ille lepidus, numerosus & cultus; deque eo, si recte memini, fit ab Apollinare mentio in Hendecasyllabis. Rutiliani illi versiculi enodes sunt & nitidi: cultus vero ipse peregri-

grinus potius quam urbanus, ne dicam arcessitus. Sed de his omnibus cuius erit iudicium rectius aut probatius, quam tuum. Ego, ut dixi, mirifice expecto Ovidianos illos ἔλωπας, nobis in cognitos, præsertim sub Quadragesimale ieiunium. Tu vale, & in isto voluntario exilio, seu potius peregrinatione dignam nobilitate tua fortitudinem retine. Neapoli, Idibus Februariis, M. CCCCC. III. Quo anno & mortuus est.

EPIST. XXIV.

L. Christophorus Scobar Bethicus Praclaro viro eidemque erudito D. Matthæo Barresio.

S. P. D.

CUr nondum satisfecerim, Erudite Matthæe, multiplex causa extat: tum quia barbarus difficile latinum erudiet, ut vernam novitius, ut tyro veteranum: tum præterea quod varia negotia in ipsis Christi nascentis Saturnalibus me Syracusas usq; detraxerunt, in quibus eadem de re scribere in instituerant. Digna illa quidem res atque longe eminentior, quam cuius Bethicus aut possit aut debeat esse scriptor: quod fieri tam potest quam cælum ruere. Tu igitur neutri me accusabis, nec de elatione, nec de negligentia, quarum hanc semper fugi, illi vero inimicus sum infestissimus, si tardius quam aut tu voluisses, ut ego debuissem, scribere cœpi. Sed

De digitorũ gestu ad priscorum computatione super D. Hieronymi Satyrã inlovinianũ.

Sed agendum interim quod tibi vis cum istis ad me literis mearum laudum plenissimis, quibus casu casum mutares,ne dumBethicum cieres.Late diffunderis, late accrescis, ubique spatiaris, ubiq; consistis,explicaris & perstringeris toti singula, atque singulis totus heres. Accrescit mearum laudum ingēs varietas, per singulos oratoriæ prope articulos, perq;. gradus singulos incedis. Iam vagaris ad Ægyptum, iam assurgis ad Platonem, iam artaris ad Catoneos, totus exultas, totus hilarescis, succo plenus & nitore, & quod pulcherrimum est, tollutim non quidem subsultim pervagaris.Quo magis anceps sum, tuisne literis an tibi potius debitor factus sim. Sed homo ineptus pedetentim in mea errata delabor, qui cum tibi placere festinatione debuissem, proposita re displiceo prorsus atq; actum ago. Literis tuis panes exigis à me. Atqui nimium superque nimium est hoc. Sed dices, duos saltem. & hoc quidem pernimis est habenti duntaxat unum, & hunc quidem rancidulum.Sed dum illi pisantur, hoc vescaris volo, licet non artocopo, ne affabre elaborato. id est quæ sit ista per Bethicum apud D. Hieronymum digitorum similitudo. D. Hieronymus in Iovinianum scribens Christi redemptoris nostri parabolam illam, quæ apud Matthæum XIII. capite legitur de fructu agri tricesimo, sexagesimo, centesimo, exponitur lib. 1. Iuven.sat.

D.Hieronymi locus exponitur.

X.A-

X. Apul. Apologia secunda. ubi aduertendum est, veteres in sinistra manu ab uno ad nonaginta; in dextera vero à centum in reliqua dinumerasse. Unde Iuvenal, de Nestore loquens;

Felix nimirum qui per tot secula mortem
Distulit, atq; suos iam dextra computat annos.

Trigesimus molli digitorum flexione demonstrabatur, cuius Apule. autor est, qui ait; *Si XXX. annos pro X. dixisses, posses videri pro cōputationis gestu errasse, quis circulare molliter debueras, non quidem aperire.* Sexagesimus vero numerus denotabatur, si superiori digitorum gestui supponeretur pollex, velut deprimendo, cuius autor Mart. est, quod in sinistra disponeretur. Sed quod ita disponeretur, Prosper in arte his demonstrat verbis; *Circumductis digitis pollex instat superne, ut sexagesimum eliciat numerum.* Centesimus tandem numerus, ut venerabilis Beda apud Mancinellum auctor est, demonstrabatur in dextra. Itaque quod medio pollicis articulo unguis indicis circumducti hæreret, ex qua compositione quasi corolla resultabat. Unde D. Hieronymus ait: *Centesimus numerus exprimit virginitatis coronam.* Quos digitorum gestus hic sic depingere feci.

Apuleius.

Martian.

Prosper.

Beda.

Sed ad rem. Conjugium, Viduitas, Virginitas ita se habent, quod alio aliud increscit magis, & quadam veluti laboris amaritudine

magis excellit, & inde eminentiore præmio, quod & amarius, donandum est; atque ei, cum quo acrius agitur & perstrictius, maior palma paratur. Modo quando sit laboriosius voluptatis illecebras continere, quàm ejusdem potiri, nemo est, qui non videat: & quanto sit manus dextræ quàm sinistræ onustior sarcina, atque compressio rigidior, facile cognoscas. Unde Virginitas in dextera est, & eam quidem per pollicis & indicis corollam designant. Sed quanto sit depressio digitorum strues dicta, si ei pollex supponatur in sinistra, quàm si molliusculo tantum digiti sese complectantur, omnes sentiunt. Itaque D. Hieronymus præmiorum numeros, id est XXX. LX. C. per ærumnarum, afflictiones, quæ eosdem numeros apud veteres indicabant, exposuit. Habes igitur quod intra tantum ænigma sentiamus. Tu vero melius, qui hæc duriora nostratia & declines & circurabis, atque, si quid erratum erit, nemo est teipso paratior ad emendandum. Unde ostendes te non tam laudes Bethici quærere, ut ais, quàm ab eo cauilla refellere posse. Accipias hæc velim quo sunt scripta animo, non quidem qua eruditione. Maluj enim imprudentiam requisisses meam, quàm quod voluntatem recusasses. Nam nihil potest nec amplius expetere, nec maius expetere quàm hominis benevolam voluntatem. Cæterum ut rideas, nescio

quo

quò vobiſcum agatur modo, ut quos undiq; ſepſerit nix, hyems & ventus, non etiam & illud duriſſimum apud nos deterrimumq; erit, non poſſe ſine lachrimis debere. Nam aquam quam ſi quis biberit noſtrum, tormen patiemur. Proinde alter alterius miſereamur. Vale & reſcribe. Catinæ, Kalend. Ianuar. anno à mundi opifice nato, M. CCCCC. VIII.

EPIST. XXV.

L. Chriſtophorus Scobar Bethicus Reuerendiſſimo P. D. Rainaldo à Moncoro, Præſuli Cephaleditano S.P.D.

FOrmidabat mea Capella, Humaniſſime Præſul, profectò formidabat ad te mitti, mirumque in modum reluctabatur, mecum etiam, quòd ſic imprudenter ſe extruderem, neq; quantum virum petitura eſſet, ſatis animo complecterer, quærebatur: Quid agis, inquit, Chriſtophore, quum me per omne tuum dedecus atq; diſcrimen, tum incultam, tum ineptam, immo rudem prorſus, ad virum tantũ omniſq; eruditionis faſtigiũ deturbate emiſeris? Vide quidnam egeris: ne me convitio & opprobrio abjiciat, & te literarum expertiſſimum penitus retineat. Cui ita ægre è noſtro gremio diſcedenti Perſuaſi: O mea delicioſa, ô mea viſculata, itane mihi nequiſſime cõſuluiſſe, itane de me ipſo eſſe peſſime meritus, ut

Capella Homeri à Varrone dicta

committerem apud tantum virum vel te male audire, vel de me non bene sentiri? Abi bono sidere. Nam susq; deque feram, quod alii senserint: dum tamen, cui mitteris, sive ad thus sive ad scombros inserviveris. Perfricuit igitur frontem. Nam ecce ad te incessit nostra *Capella*. Eam ista clementia tua singulari suscipias oro. Quæ, nisi cilicia hispida suffecerit, clitellarum tormento cudatur, castigareq; ne pigeat. Id enim erit libertatis tuæ agere, qui & potes & soles. Si tamen operculum arcam capit. Iam non erit immodestum pastori capellam pascere, si non fuit immodestius ejus posse vellus detondere. Vale, clementissime Pater, & vive diutissime. Ex regia Panhormitana, idibus Ianuarii.

Varro apud Gellium explicatur.

Capella Homeri candida hoc tumulum indicat
Quod ariete mortuo faciunt sacra.

Hi duo versiculi apud Gellium ex Varrone qui leguntur, pleriq; hallucinantur sive structura sive continuatione. Astronomica tamen eruditio pensi inopissimum quemque sedabit facile. Duo sunt duntaxat verba, quibus mens linquitur ad percipiendum, *capella* atq; *ariete*: quæ cum perstrinxerimus, & structuram & continuationem consequemur. Ut Cleomedes & Firmicus autores sunt; hic in Matheseis, ille autē in signorū momētis, aries inter signa cæcus est, tāetsi signorū omnium sit directissim9, de quo Manilius lib. II. Astronomicō ita scribit.

Aries cœlestis cæcus. Cleomedes. Firmicus. Manilius.

Aries

—— *Aries caput est ante omnia Princeps.*
Cicero in Arato, arietē cæcum ostendit. ait n. Cicero.
Quis comes est aries obscuro lumine labens.
cui assentitur Auienus in Phænomenis, qui de Auienus.
ariete loquens intulit;
——*Semper propriis caret ignibus*——
Germanicus in Fragmentis tantundē scripsit; Germanic9
Clarave non illi est facies, nec sidera possunt,
Officiat si Luna, sua virtute nitere.
Cui arieti Homerum simillimum fuisse omnis Homerus cæcus.
antiquitas narrat. Legas licet Plutarchum, legas Martianum, legas Petrarcham,
—— *Semper se offendet cæcus Homerus.*
Plutarchus *oculis captum*, Martianus *cæcutientem Mæonium*, Petrarcha,
—— *Cecumque senem, sed cuncta videntem*
scribunt. *Homerus* autem apud Cumeos cæcum significat. Nam Poetæ illi clarissimo *Melesigenes* nomen fuit. *Capella* rursus inter astra locata est; siue Aega siue Amalthea fuerit, parum nunc refert, nisi quod Aega Solis filia pulchro candore legitur conspicua, quarum utraque Iovis nutrix fuit. *Capellam* vero cœlesti æternitate donatam sic meminit Manilius lib. 1. Astronomicon; Melesigenes nomen Homeri. Capella sidus cœleste

——*Mundi nutrito Rege capella*
Cujus ab vberibus magnū ille ascendit Olympū
Latefero crescens ad fulmina vimq; tonandi.
Hucusq; Manilius. HancCleomedes & Firmicus in trigesimo arietis gradu locarunt,

mortalibus influentem mentis concussionem animiq; vertiginem. Quocirca quos horoscopa invadit, rerum facile satagunt, & machinando sollicitantur. Quis modo nesciat Homerum ænigmate à piscatorib. opposito adeo fuisse percitum, ut quasi vi capellæ vitam finiret: Itaq; ut aries cæcus Homero cæco congruit, ita Capella concutiens Homerum concussum abstulit. Metasthene præterea auctore atq; Pædiano, suum quemque sacrificium oblectat vel consentaneum vel infestum. Hinc Dianæ canem ut congruam; hinc Baccho caprum ut infestum, antiqui mactarunt, quod apud Poetas frequens legas. Virgil.

Meta-sthenes. Pædia-nus. Virgili-us.

Ense ferit sterilemq; tibi Proserpina vaccam.

Servius. Ubi Servius *sterilem vaccam Proserpinæ similem* exponit. Mactatur baccho caper tanquam vitibus infestus atq; nocuus unde Virgilius:

——Baccho dicimus honorem

Et ductus cornu stabit sacer hircus ad aram.

& reliqua. Faciunt igitur Homero apud tumulum sacra, sive re congrua, id est ariete; (nã uterq; ut diximus, cæcus fuit) sive re infesta, id est capella, cujus vertigine periit Homerus. In eo vero & *mortuo* adjecit Varro, ad sacrificii mactationem respexit. Sic ergo structura; *Hoc indicat tumulum Homeri, quod faciunt sacra capella candida, ariete mortuo.* Est autem dialytõ figura & oratio coniunctione privata. Sed dices tu, Pater amplissime eruditissimeq; quorsum

sum ista, mi Christophore? Iam, etsi pene omnia commentitia, ad Homeri stirpem atq; verborum continuationem rerumq; seriem dicam, & brevi quidem. Scribit Berosus lib. VIII. Antiquitatum; *Et uni cadaveri uno holocausto sacrificabat antiquitas, modo autẽ rei dubiæ, id est, Homero, cuius stirpem esse dubiã plurimorũ testimonia declarant. Re dubia*, id est ariete & capella, quod sacrificia fiant scribit Varro. Nam particula illa *quod* probativa est, cũ dicit quod ariete mortuo faciunt sacra, sit sensus, hoc indicat tumulum esse Homeri, cuius stirpem dubitant plurimi, quod, id est non faciunt ei sacra sacrificio ancipite, scilicet capella & ariete. Tu vero melius. Antistes dignissime, qui cum tantã provinciam homini ignavissimo & bonæ frugis experti imposuisti, quæ aberraverint, ut lepidissimus Poeta, una litura poteris emendare. Iterũ vale. Berosus.

EPIST. XXVI.

L. Christophorus Scobar Bethicus suo Magnificentissimo D. Nico. Canarellæ Iuris Antistiti integerrimo. S. D.

FRivolissimam rem & nauci pretii signum, dicet quisqiam, mittis, Christophore, & quã nec labor excussit, nec cura limavit, ad virum plusquam circumspectissimum. At qui & ipsũ quæro expoliri exemplum & dolabrari ab eo. Nam quod ad Siculi minutiem attinet, illud in promptu est, quod laboris non minus natura ad coronas quàm ad bifaras gignendas, &

non minus sive ad pyropa &culicem, quàm ad Caucasum sive elephanta gignendum præstat. Ineptum est enim, chirurgum ossicula quæq; prætermittere, quæ sæpenumero non minus toto fœnore doloris afferunt læsa. Tu vero melius, mi Nicolae, qui Stoici more vitia omnia æqualia ducis, æqualesque virtutes. Sed hoc agas velim, quo modo nihil agas, & nihil ages qui cum leges. Nam eos, qvi in meam *Ficum* post tuum asteriscon, si id tamen meruerim, acutis naribus caperata fronte excandescent, iam proscripsi.

Laurẽrentius Valla notatur. Ficus cuius sit generis & declinationis. Martialis explicatur.

Scribit Valla differentiam inter *ficum* & *ficulneam*: quorum alterum siue pro arbore & fructu sive pro morbo est substantivum: alterũ vero pro quocũq; ex illa arbore materiato adiectivum. Et quod potius *ficulnus,a,um*, quàm *ficulneus,a,um*, reperiri constet. Ubi Valla bifariam procedit. Nam prius de *fico*, continenter de *ficulnea* agit. Quorum autẽ in parte priore Priscianum, in posteriore vero Ecclesiasticos quosdã sigillare visus est. Priscianus duplici errore convincitur lapsus: tũ quia *ficus* in genere masculino declinationis quartæ posuit. tũ quia perperam collegit, Martialem inter fructum & morbum generis differentiam posuisse, cum hoc Martial. unquam ne suspicatus quidem sit. Prius illud per locũ auctorum optimorũ consuetudine mõstrat, apud quos inauditũ est *ficus* in genere masculino quartæ reperiri declina-

tionis:

tionis: ſecundum rurſus monſtrat interpretis Elenchorum Ariſtotelis teſtimonio Cælicianum non de morbo, ſed de fico fructu contentionem habuiſſe iudicantis. Sed videor meo iure facturus, ſi ipſius & Ariſtotelis & interpretis verba huc induxero ex capitis ini tio ad illam uſque partem, qua monſtrat Valla Priſcianum defeciſſe. Quæ verba ſunt ſcripta Elenchorum Ariſtotelis libro 1. cap. xi. & ſunt hæc: *Solœciſmus autem quale quid eſt, dictum eſt prius. Eſt autem & hoc facere, & non facientem videri, & facientem non videri: quemadmodum Cæcilianus dicit, ſi ficus ſit ſecundæ declinationis. nam qui dicit ficus maturas, ſolœciſmũ quidem facit ſecundum illum: non videtur autem pluribus. Qui vero ficus, videtur quidẽ, ſed non facit. Eodem modo fit ficus ſolum maſculini generis ſecũdum quoſdam. Nam qui dicit certam, ſolœciſmum facit ſecundum eos.* Hæc apud Ariſtotelem leguntur. Ex quibus eruit ne Valla Cæcilianum de fico pro morbo nullum verbum feciſſe, neque de genere eius eſſe contentionem, ſed de declinatione? Nos tamen, ut Vallæ caput magis perſpicue liqueſcat, mentem & Ariſtotelis & Interpretis excutiemus. Et id quidem ipſum quum voluerimus breviſſime & per quædam veluti nos manu ducentia exempla, alterutrumque ſolœciſmi poſtem reſervabimus: unde facile poſſimus introſpicere, quid ſibi voluerit apud Laurentium Interpretis

Interpres Elenchorũ Ariſtot vetus.

 tex-

non minus sive ad pyropa & culicem, quàm ad Caucasum sive elephanta gignendum præstat. Ineptum est enim, chirurgum ossicula quæq; prætermittere, quæ sæpenumero non minus toto fœnore doloris afferunt læsa. Tu vero melius, mi Nicolae, qui Stoici more vitia omnia æqualia ducis, æqualesque virtutes. Sed hoc agas velim, quo modo nihil agas, & nihil ages qui cum leges. Nam eos, qvi in meam *Ficum* post tuum asteriscon, si id tamen meruerim, acutis naribus caperata fronte excandescent, iam proscripsi.

Laurentius Valla notatur. Ficus cuius sit generis & declinationis. Martialis explicatur

Scribit Valla differentiam inter *ficum* & *ficulneam*: quorum alterum siue pro arbore & fructu sive pro morbo est substantivum: alterū vero pro quocūq; ex illa arbore materiato adiectivum. Et quod potius *ficulnus, a, um*, quàm *ficulneus, a, um*, reperiri constet. Ubi Valla bifariam procedit. Nam prius de *fico*, continenter de *ficulnea* agit. Quorum autē in parte priore Priscianum, in posteriore vero Ecclesiasticos quosdā sigillare visus est. Priscianus duplici errore convincitur lapsus: tū quia *ficus* in genere masculino declinationis quartæ posuit. tū quia perperam collegit, Martialem inter fructum & morbum generis differentiam posuisse, cum hoc Martial. unquam ne suspicatus quidem sit. Prius illud per locū auctorum optimorū consuetudine mōstrat, apud quos inauditū est *ficus* in genere masculino quartæ reperiri declinationis;

tionis: secundum rursus monstrat interpretis Elenchorum Aristotelis testimonio Cælicianum non de morbo, sed de fico fructu contentionem habuisse iudicantis. Sed videor meo iure facturus, si ipsius & Aristotelis & interpretis verba huc induxero ex capitis ini tio ad illam usque partem, qua monstrat Valla Priscianum defecisse. Quæ verba sunt scripta Elenchorum Aristotelis libro I. cap. XI. & sunt hæc: *Solœcismus autem quale quid est, dictum est prius. Est autem & hoc facere, & non facientem videri, & facientem non videri: quemadmodum Cæcilianus dicit, si ficus sit secundæ declinationis. nam qui dicit ficus maturas, solœcismũ quidem facit secundum illum: non videtur autem pluribus. Qui vero ficus, videtur quidẽ, sed non facit. Eodem modo fit ficus solum masculini generis secũdum quosdam. Nam qui dicit certam, solœcismum facit secundum eos.* Hæc apud Aristotelem leguntur. Ex quibus eruit ne Valla Cæcilianum de fico pro morbo nullum verbum fecisse, neque de genere eius esse contentionem, sed de declinatione? Nos tamen, ut Vallæ caput magis perspicue liquescat, mentem & Aristotelis & Interpretis excutiemus. Et id quidem ipsum quum voluerimus brevissime & per quædam veluti nos manu ducentia exempla, alterutrumque solœcismi postem reservabimus: unde facile possimus introspicere, quid sibi voluerit apud Laurentium Interpretis

Interpres Elenchorũ Aristot vetus.

textus ille: *Nam qui dicit ficus maturas, solœcismum quidem facit*, & reliqua. Supponendum est, quod Cæcilianus alibi Martialem reprehenderit hac dictione *ficus* in declinatione quarta usum, quale potuit esse illud:

Martialis Cæciliano infensus.

Res mira est, ficus non habet unus ager.

Nam Martialis Cæciliano vel infestus erat, utpote quem sæpissime Martialis suis epigrammatis incesserat: tanquam edacem; quale est illud.

Cæciliani apud Martialem vitia.

Ullus si pudor est, repone cœnam:
Cras te, Cæciliane, non vocabo.

Et tanquam plagiarium, quale est illud:

Malo tamen recites, Cæciliane, tua.

Et tanquam stultum, quale est illud:

Mille tibi nummos hesterna nocte roganti.
In sex aut septem, Cæciliane, dies:
Non habeo, dixi, sed tu causatus amici
Adventum, lancem paucaq; vasa rogas.
Stultus es ——

Et tanquam avarum, quale est illud:

Dii reddant sellam, Cæciliane, tibi

Et tanquam ineptum causidicum, quale est illud:

Iam de clepsidra, Cæciliane, bibas.

Et tanquam impudicum, quale est illud:

Bellum convivam Cæcilianus habet.

Et in aliis sexcentis epigrammatis, quæ propter brevitatem prætermitto. Atque in nostro epigrammate tanquam ineruditum, qui

qui ficꝰ in quarta dici declinatione ignorabat:
Cum dixi ficus, rides quasi barbara verba,
& reliqua. Unde si quis, *ficus maturas fac*, dixisset Cæciliano, barbarismus videbatur, tamen etsi cæteris, qui eruditiores erant, exploratum fuisset *ficus maturas* per quartam declinationē dici posse. Aristoteles vero monstrat solœcismum, quem & neoterici Dialectici frequentius *dictionis figuram* appellant, duplici fieri modo, & quando aliquid faciemus atq; facere nō videmur, & quando aliquid non facimus idque facere videmur. Hoc autem est, quod Arist. dixit, *facere & non facientem videri.* Quam sententiam ipse idem Aristoteles in ejus libri primi capite secundo eisdem pene verbis explicuit dicens, dum de solœcismo præcipit. *Est enim aliquid* (subaudi solœcismus) *quod nō est eorum, quæ sunt facere, vel eorum, quæ non sunt facere, quod est.* Sed facilius exposuero, si exempla subnectam. Solœcistes fac has tendiculas, obiicias & argumenteris: Si video quicquam, id ipsum jam vidi. Igitur si facio domum, eam ipsam feci. Vel aliter: si video, iam vidi. Igitur si fio, iam sum factus. Solœcismus autem utrobiq; est manifestarius. Nam non facientē colligit sophista facere. Loquor *facere* & *faciens* more Aristotelis, pro quacunq; cujusvis, quæ sit, verbi significatione. Videor autē domū fecisse, quū eā facio, propter illius pronūciati similitudinē: si video jā vidi. Nam utrūq; ab instanti ad

Aristoteles explicatur

præ-

præteritum enunciatur. Sed quantum Solœcistes oberret adverte igitur exemplum visus circa ullum temporis momentum. unde quod quispiam videt, ipsum quodammodo iam vidit. Atqui facere & fecisse longe aliter se habent. Nam ei esse simul idem, quale fuit inuidere & invidisse non contingit. Actus enim illi in momentulo uno esse videntur, isti vero actus aliquando etiam in diutina mora. Est igitur hic solœcismus : quoniam est *non facere & facientem videri*. Afferamus prætetea alterius solœcismi partis exemplum, quæ fuit *facere & non videri facientem*. Sed ab exemplo iam percepto non recedamus. Argumentabitur Solœcistes captiunculis atque præstigiis semper usus: ego facio domum, sed eam adhuc non feci: igitur cum ego video cœlum, sed adhuc illud non vidi, Sophismatis enim similitudo mentem disturbat humanam, atq; multiplex phantasticum, ut sit mihi persuasum me cœlum videre, & illud ipsum cum video non vidisse: quod est videre & videri non videntem, siue ut Aristotel. dicit *facere & non videri facientem*, quæ altera solœcismi fuit pars. Colligo, ut in Ipso statim solœcismo exponendi initio protulit, solœcismi partes duas esse, hoc est facere & non facientem videri, siue non facere & facientem videri. Atq; hoc secundum Aristotelis sententiam. Sed dicit quispiam, quorsum hæ ad ficum? In *fico* vero tale

tale aliquid esse,quale jam facio & audio, verbis accidisse cognovi & hunc multiplex phantasticum declinationum solœcismum faciens. Nescio tamen an Latini auctores omnino solœcismum dixerint declinationum vitium, præterquam si casuum immutationem ad declinationes abduxerint. In casibus autem, ut Diomedes auctor est, sæpenumero fit solœcismus: sed Dialecticorum ratio in his citra Grammaticorum institutiones profundius serpit. Monstrat igitur Aristoteles, solœcismum & per declinationes & per genera posse fieri. Sed prius id per declinationes ostendit. Quo fit ut eius Interpres Cæciliani ficos induxerit, vel quia eo exemplo euidentius aliud adduci non potuit, vel quod illa Interpretis tempestate *ficus* adeo Latini ignorabant, ut etiam nostra ætate ignorant, exceptis paucis, & ut hoc exemplo quam ficus dura esset degustassent. Sed ad solœcismum. *Qui dicit*, inquit Interpres, *ficus maturas, solœcismum quidem facit secundum illum* (sub audi te Cæcilianum) *sed non videtur pluribus*. Et hoc est facere & non videri, quod iam in verbis video & facio, ut ostensum est supra. Ex quibus Cæciliani inscitia facile apparet. Nam Aristotelis sententia *de pluribus* in eodem capite hæc est, ut lex loquendi sit plurium opinio non unius, qualis Cæcilianus erat. Hoc est quod Interpres sensit, cum dixit: *Quemadmodum Cæcilianus*

nus dicit, si ficus sit secundæ declinationis. quasi id unum dixerit nemo præter Cæcilianum. Unde subiicit, *secundum illum, qui dicit, Ficus maturus, solœcismum facit:* veluti Interpres cognovisset quod præter Cæcilianum vel duo vel nemo esset, qui hoc affirmaret. Et hanc suspicor esse causam, cur Interpres per conditionem id exposuerit, cum dixit: *Si ficus sit secundæ declinationis*, subaudi, tantùm, id est non quartæ, quod manifestatur quum dicit, *ficus maturas* fuisse solœcismum. Quibus adiecit illud verbum: *Quemadmodum Cæcilianus dicit*, id est homo nihili, qui à plurimorum consensu discessit contra Aristotelis loquendi legem. Nollem quenquam decipi in eo quod dicit is, *ficus maturas*, ut intelligat hanc contentionem generis esse, quod adjectivum illud *maturas* indicare videatur, potius quàm declinationem. Nam illam dictionem *maturas* eò adiecit Interpres, ne dictio illa *ficus* in singulari numero atque materialiter in nominativo accipi posset; quod apud Aristotelem frequentissimum est. Experiamur præterea alterum solœcismi membrum in *fico*, quod est non facere videri. Id quoque eliciendum est ex sequentibus verbis, quum dicit: *Qui vero ficos, videtur quidem sed non facit:* Id est qui dicit *ficos*, *videtur quidem supple*, tu solœcismum facere. Dixit autem,
videtur

videtur, & non addit, sive plures. quasi dicat. videtur alicui uni, qui per inscitiam *ficos* in declinatione dici negaret, quemadmodum Cæcilianus *ficus maturas* negabat in quarta. id ergo uni ei videatur. *Non facit*, subaudi tu sive plures non Poetas modo, sed Oratores approbatissimos, quorum exempla adducit Valla in textu. Si quis ergo ficos dixerit, putabitis (inquit Interpres) esse solœcismum secundum partem illam, quæ est non facere & videri, & hoc secundum aliquem videri, sed secundum plures non facere: quemadmodum illud superius à diverso erat, id est secundum Cæcilianum facere, sed secundum plures non videri. Fasciculum igitur faciamus colligendo ficus maturas & ficos dici posse & hoc secundum plures, quorum opinio, ut Aristoteles in hoc capite dicit, loquendi lex est. Nam ut Quintilian. libr. Institutionum primo inquit, *interim excusatur vitia aut consuetudine aut auctoritate.* Idem paulo post: *Sive amaræ corticis sive medio cortice facit solœcismum, quorum neutrum quidem reprehendo cum sit utriusque Virgil. auctor.* Quintilianus. Duplex mendum arripuerunt omnes Vallæ codices, alterum est expunctionis, alterum vero additionis. Ubi enim legitur, *Qui vero ficos secundum plures quidem*, expungito hinc

Valla emendatur.

hinc *secundum plures*, quæ verba apud Aristotelem non sunt, & etiam Vallæ sententiæ adversantur. Nam si quis dicit ficos, non videtur solœcismus secundum plures. Quod si videtur secundum plures, non modo Vallæ, sed ipsi etiam Aristoteli sensus repugnaret, qui dixit plurium opinionem loquendi esse legem. Est præterea addendum verbum substantivum *sit*, ubi legitur, *quemadmodum Cæcilianus dicit, si ficus sit secundæ declinationis*, quod verbum apud Aristotelem legitur. Post declinationem solœcismum inducit Aristoteles generis solœcismum per hanc dictionem *finis*: quem consulto prætermisi, quia mediocriter intuenti facilis est: tum quia ad ficum nihil attinet finis. Sed dicit quispiam, quis ne hic, num Aristotelis Interpres, anne potius ipse idem est Aristoteles? Ego vero teste conscientia mea diu multumque cogitavi, uter esset eorum, sed nulla ratione adduci potui, ut hæc duntaxat exempla *ficus* & *finis* Aristotelis esse possent. Nam apud Græcos, ad quos Aristoteles opera sua scripsit, hæc controversia in *fico* non est, quemadmodum apud Latinos.

σῦκον Græci enim σῦκον arborem, σῦκον fructum, σῦκον morbum vocant, unde Græco sermone Latinus pauperior est. Suspicandum igitur est, Boetium Severinum qui, ut ipse testatur in opere de scholarium disciplina, opera hæc Aristotelis Latinitate donavit, è Græco transferens,

Boetius Severini Aristotelis interpres.

ferens, aliquam dictionem, quæ apud Græcos similem veritatem faciebat, ut apud Latinos *ficus* facit, expunxisse, atque ejus in loco substituisse *ficum*, cujus cum Cæciliano contentio veluti apud Latinos notior esset. Aut dicant mihi Aristotelis commentatores isti omnes, & Albertus & reliqui singuli: tradebatne Græcis Aristoteles præcepta Græca subdendo exempla Latina?

Nil agit exemplum, litem quod lite resolvit,
ut ait lepidissimus Poeta. Addo etiam Laurentium Vallensem virum perquam eruditissimum, & quem literæ Græcæ non latebant, utpote qui Homerum, Erodotum, Thucydidem loqui Latine fecit, non Interpretem in defensionem sui accepisse, si Aristotelem ipsum accitare potuisset, non in probationem modo nec in gloriam, sed in summum decus. Sed de hoc eruditiores melius viderint. Vixit autem Martialis cum Cæciliano inter Aristotelem & Boetium: quippe Aristotelem ante Natalem Christianum annis trecentis & quadraginta tribus fuisse constat: Martialem vero post natalem Christianum annis undecentum: Boetium denique post eundem natalem Christianum annis quingentis. Neque itaque illorum alius alium novit, si ab Aristotele incipias, nedum ejus scripta sibi assistere potuerint. Non tamen ignoro præter hunc Cæcilianum alios etiam Cæcilianos fuisse

Aristoteles quo tempore vixerit, & Martialis, & Boetius.

Cæciliani plures.

fuisse, qualis est ille, quem Cicero in oratione pro Marco Cælio nominat, cum inquit: *Sed dubito quem patrem potissimum sumam, Cecilianum ne aliquem vehementem atque durum?* Et quæ seqvuntur. Sed ego verisimiliori assentior determinationi. Aut dicent mihi illi, quibus magis satisfacit totum illud caput esse Aristotelis solius, qua meliore, quam mea sit, ratione ducantur. Noluit fortasse Valla Boetium sed Interpretem nominare, vel quia non satis pro comperto haberet translationem Elenchorum Boetii, aut quia sibi parum favoris aucuparetur, si ab homine tamen etsi Romano, qui barbare nos docuit loqui, & qui Romanè loqui nesciret, sententiam mutuaretur. Sed de hoc satis multa.

Martialis epigramma explicatur.

Cum dixi ficus, rides quasi barbara verba.

Barbare loqui.

Barbarè enim *loqui*, tam qui solœcismum quàm qui barbarismum facit, dicimus, *prima barbarismi ac solœcismi fœditas absit*, inquit Quintilianus lib. I.

Dicemus ficus, quas scimus in arbore nasci.

Et hoc secundum plurimorum consensum, quamvis tibi solœcismus videatur. Plaut. *Ficus nobis attulit duriores præcoces.* Svetonius in Augusto: *Caseum bubulum manu pressum & biferas ficus petebat.* Plin. libr. XV. *Cum & absomi vicem habeant recentes ficus.* Juvenalis —— *aliam si vis decerpere ficum.* Pal-

la-

ladius lib. IV. *Ficus virides servari poßint singulæ intra viridem cucurbitam.* Divus Hieronymus in Hieremia: *Calatus latus ficus bonas nimis, ut solent ficus esse primi temporis.* Et illud, quod accitavimus, Martialis lib. 7.

Res mira est, ficus non habet unus ager.

In omnibus autem his *ficus* fructum significat, non quidem arborem.

Dicemus ficus Cæciliane tuos,

id est, secundum id, quod tu sentis, ut *ficus* generis sit masculini & declinationis secundæ. Neque enim erat Martialis contentio cum Cæciliano, nisi de nominis declinatione. Sed objiciet aliquis: in quo igitur Cæcilianus errabat, si ficum in secunda declinatione declinari afferebat, cui & Martial. assentitur? Errabat autem, ut diximus, in eo, quod ignorabat in quarta etiam declinari oportere. Sed afferamus nos aliqua etiam exempla præter illa, quæ Valla adducit, in secunda declinatione generis & masculini & fæminini. Varro in lib. 1. de re rustica: *Fici*, inquit, *quem edimus.* Lucilius apud Nonium Marcel. *Sicuti cum ficos primos propalam recentes protulit.* Et in fæminino genere. Colum. lib. XI.

Tunc præcox bifera descendit ab arbore ficus.

Idem libr. XIII. *Tantam massam comminutæ fici præmiscuerunt.* Idem: *Pinguissimam quamq; ficorum.* Qui auctor pro fructu nunquam aliter

quam secundæ declinationis & generis fœminini scribit. Cornel. Celsus lib. V. *Est etiam vulnus, quod à fici similitudine.* Et paulo post: *Intulit autem ficum in aqua decoctam.* Sed utrobique de fructu constat Cornelium loqui. Ideo hæc adjecimus exempla, quoniam ex illis exemplis, quæ Valla inducit in secunda declinatione, genus erui non potest. Ex quo ostendit (supple tu Prisci in operis majoris lib. VI.) *vitium & fructum*, quasi diceret quod minime ostenditur de genere. Anton. Nebrissensis præceptor meus putat omnino hanc dictionem *generis* expungendam esse, idipsum quod nos in textu fecimus, atque substituendam esse aliam id est *declinationis*: quando eorum contentio, ut ostendit Interpres, tantum de nominis declinatione, non quidem de genere erat. Posset tamen dictio illa *generis*, ut à Verulano acri ingenio viro Romæ percepi, defendi veluti permansura, & in ejus loco *declinationis* substitui non oportere. Quod ita deducebat: ego magis sentio (subaudi tu, quam Prisci, sentit) Martialem de generis differentia sentire. Nam Prisc. solum sentit vitium & fructum genere differre: ego vero &c. ut si dicat Valla, idipsum jam sentio quod vitium & fructus possint obiter genere differre, sed magis adhuc sentio ego, hoc est *ficum* pro fructu, cum est generis masculini, esse declinationis secundæ, quod

Antonius Nebrissensis.

Joã. Sulpitius Verulanus.

Pri-

Priſcianus ignoravit exiſtimans generis maſculini ficum ſimul & declinationis quartæ reperiri poſſe, quod inauditum eſt. Nam illud ajebat Verulanus, quod Valla infra adjecit, *nec differentiam potuiſſet generis inter morbum & fructum, cum hoc ab illo dicatur*, id eſt Martiali: Non nocet quantum illa dictio magis eſt inter Vallam & Priſcianum intelligenda: non autem inter Martialem & Cæcilianum, qui non de genere, ſed de declinatione certabant. Uterque enim placet. Sed ſecurior Antonii via & pluribus comprobata. Tu vero, utrum malueris ſequi, hinc habebis auctorem, *pro arbore ſit ſæpius quartæ.* Non poſſum in hoc loco Vallam non nimium mirari, qui *ſæpius* dixerit arborem quartæ declinationis, quàm ſecundæ reperiri, cujus contrarium apud omnes pene video, qui de arbore fico unquam ſcripſerunt, excepta unius illa Ciceronis autoritate, atque alia Palladii in titulo illo, quem de ficubus inſcripſit, quem adhuc locum ego magis de fructu quàm de arbore intelligo. Plin. lib. XV. *Cato de ficis ſerendis ita memorat.* Palladius libr. VIII. *Caprificandæ ſunt arbores fici.* Colum. lib. III. *Ficorum genera diſpari differentia pari loco ſeruntur.* Cato in lib. de Re ruſtica: *Ficos plurium generum quo loco ſerere oporteat.* Ego vero arborem ſeri magis quàm fructum ubique video. *Pro fructu & morbo.* Mira res eſt nuſquam apud au- Palladii locus.

ctores *ficum istum* pro morbo legi neque quartæ neque secundæ declinationis, cujus inventi Priscian. fuit opifex nulla ductus autoritate præter hanc Martialis unam, quæ quàm sit nulla, jam licet omnibus cognoscere. Nam quod Celsus lib. V. scripsit, non declarat ficum apud Latinos accipi pro morbo, sed tantum quod est vel ulcus, quod & à fici similitudine *Sycosis* à Græcis nominatur. Neque Valla alicubi dicit ficum morbum esse, sed per conditionem affirmat. Si *ficus* pro morbo generis accipitis aliquando masculini declinationis secundæ est, non quartæ, ut sit eadem ratio & fructus & morbi, ad cujus fructus similitudinem morbus appellatur. Et quemadmodum Latini ficum pro morbo non receperunt, ita ejus derivativum *ficosus, a, um*, admiserunt. Virgil. in Priapejis:

Priscianus repræhéditur.

σύκωσις.

Ficosus.

—— *Inter eruditos Ficosissimus ambulet Poetas.*

Idem in eodem opere:

Ficosissima me puella ludit.

Recitat Priscianus:

Dicemus ficus Cæciliane tuos.

Nicolaus Perottus Episcop. Sipontis.

Quem Priscianum & Sipontinus & Domitius imitantur. Nam ita versum hunc scribi debere confirmant. Sipontini vero verba sunt: *Eadem esse hujus vocabuli ficus declinationem sive fructum seu morbum significet: genere autem differre; cum fœminini generis sit, quando fru-*

fructum significat: quando vero morbum, masculini. Hæc Sipontinus. Domitius vero comminiscens textum illum

Domitius Calderinus.

Dicemus ficus Cæciliane tuos:

Hoc, inquit, *epigrammate utitur testimonio Prisc. licet à nostris redarguatur.* Veluti Domitius doleat Prisciani in hoc loco reprehensionem. Sed id magis joco. Unde Martialis imperitiæ accusationem cum flagitii crimine conjunxit per jocum & dicacitatẽ, ut moris sui est, quòd Cæcilianus adeo esset ineruditus non solum, sed & flagitiosus, ut negaret ficus reperiri, quos semper secum & quidem cum dolore gestaret. Et hoc est, quod Valla dicit, *illius & nequitiam & imperitiam reprehendere voluit.* Et paulo post: *Cæcilianum nescio quem ut flagitiosum hominem sic ineruditum.* Georgius vero Merula non putat, Martialem in hoc epigrammate de morbo sensisse, sed de ipso tantum arboris pomo, ut jam secundum Interpretis sententiam exposuimus. Nec putat idem Georgius Merula Martialẽ adeo fuisse impudentẽ, ut tã illo atq; illiberali joco uteretur. Ego vero nõ intelligo, cur tã bene de Martiali sẽtiat, cũ sint hui9 Poetæ alii aliiq; joci multo turpiores. Galeot9 autẽ Marti9, vir alioquin nõ indoct9, in illo opere quem *Hospitẽ* appellat, exposuit *ficos tuos* in servos & familiares ficosos. Quod quã ridiculũ sit, nemo nõ videt: ubi etiã scripsit ficũ nusquã in lingua Latin. generis masculini inveniri, quocirca Prisc-

Georgius Merula.

Galeotus Martius refutatur

cianum & Vallam acerbissime carpit, cum illo in loco ipse sit maxime reprehendendus. *Ficum* vero masculini generis sæpe legi, jam ostendimus. Non deerit, qui negabit ita versum illum primum legi:

Cum dixi ficus, rides quasi barbara verba,

per declinationem quartam, sed per secundam, ut esset versus:

Cum dixi ficos, rides quasi barbara verba.

ut sit sensus, Cæcilianum risisse ineruditionem Martialis, qui *ficum* pro morbo in secunda declinatione scripsisset, cum *ficum* pro morbo Cæcilianus non putaret posse reperiri in declinatione secunda, sed tantum in quarta: quem Priscianus imitari videtur. Et hoc est, quod Valla dixit: *nec vero Prisciano faciendum fuit, ut unum sequeretur Cæcilianum nescio quem*, & reliqua: quæ expositio si vera est, frustra Interpretis verba adducit Valla dicentis: *Quemadmodum Cæcilianus dicit, si ficus sit secundæ declinationis*, ubi prædicti adversarii contrarium apparet. Interpres autem sentit Cæcilianum tenere ficos dici in secunda declinatione. Quare igitur riserit Martialem dicentem æque ficos in secunda declinatione Cæcilianus, difficile explicatu putabitur, atqui adversarii ratio, ut constat, plurimum est efficax. Sed facile utrumque enodabimus nodulum. Nam apud adversarium inducitur Cæcilianus ficos dici asserens pro fru-

ctu.

ctu. æquivocum igitur Sophiſma litem faciebat. Sed dicet quiſpiam, adverſarii præſtat adhuc ratio. Cedo, quomodo?quia ſi Priſcianus Cæcilianum ſequitur, quod Valla annuere videtur, & Priſcianus *ficus* pro morbo & non *ficos* dici putat, neceſſe eſt ut Cæcilianus *ficus* dixerit & non *ficos*, utpote quem Priſcianus ſequitur, & conſequenter ejus invectio in Martialem valida fuit, quod Martial. *ficos* per ſecundam declinationem ſcripſiſſet, cum dixit:

Cum dixi ficos, rides quaſi barbara verba

& reliqua. Suſpicandum enim eſt, Vallam hanc expoſitionem, quam adverſarius narrat, aliquando induxiſſe. Sed antequam cum Interpretis verbis eſſet Valla congreſſus. Nam hac adverſarii expoſitione æquè Valla Priſcianum refellere potuit, atque illa Interpretis. Sed quia Interpretis rationem Valla ſentiret procedere per locum ab autoritate, quo in Latinitate locus nullus major eſt, atque hinc ſecundam rationem cognoſceret Valla per locum à ſimilitudine conſtare, cujus exigua virtus eſt, illam Valla complexus hanc alteram reſpuendam duxit. Et horum omnium argumentum eſt ingens, quod ubi Interpretis verba leguntur, epigramma eſt: *Cum dixi ficus*, & reliqua, ubi vero Interpretis verba non ſunt, hæc verba leguntur: *Ante omnia, cur ille riſerit Martialem, quod diceret ficos ſaltem pro arbore at-* Vitioſo exemplari uſus eſt Scobar Vallæ Elegantiarum.

 que

que etiam pro fructu? Non hoc ergo ille ridebat. Quid ergo? quod genere abuteretur? Ne hoc quidem, quippe cum dico ficos, quo genere utar nemo intelligit. Certe ridebat quod alia declinatione uteretur quàm ea qua debebat, ut ex secundo versu, in quo mutata est declinatio, apparet:

Et dici ficus Cæciliane jubes.

Quod igitur Cæcilianus de declinatione ajebat non de genere, debuerat Martial. ad declinationem non ad genus respondere. Sed respondit ad genus, id est, ad *ficos tuos*, ut Cæciliani morbum & flagitium ostenderet. *Ergo conjunxit*, ut diximus, *accusationem imperitiæ*, & hoc per declinationem, *cum accusatione flagitii*, & hoc per genus. Ut sit animi alterum, linguæ item alterum. Collectio est totius in Priscianum accusationis duplici errore conjuncta, id est quod declinatione sit abusus & quòd Poëtam perperam intellexit, aliquam inter fructum & morbum generis differentiam facientem, cum nullam Poetæ faciebat.

Quidam Ecclesiastici.) Hæc est altera pars hujus capitis, ubi quidam, qui de reb9 divinis scripserũt, *ficulnea* pro fico mõstrat esse usos, quòd Latinis inauditum etiam est. *Respicite ficulneam & cæteras arbores.*) In libris autem sacris alia extant, quæ tantundem valent. Verba sunt hæc Opt. Max. Dei apud Lucã capite vicesimo primo, Hieronymo interpretẽ; *Videte ficulneam & omnes arbores*, & quæ seqvuntur. *Quod nusquam alibi*

Ficulnea

alibi repertum est.) Prudenter temperamentum oppoſuit,quod eſt,*ſi memoria nõ excidit mihi.* Ego enim pluribus in locis invenio , ſed ſemper apud literas ſacras.Salomon inCanticis:*& ficulneam geminavit.* Ambroſius: *agreſtem ficulneam feruntur inſerere.* Hieronymus in pſalmis: *in vineis ficulneisq; verberatum.* Apud reliquos verò autores pro ex illa arbore poſſeſſivo. Palladius lib.4. *Culmina ficulnea obruuntur.*Plin.lib.XVI. *Ficulnea ligna ex hedera traderentur ,* & *ficulnus,* ut Valla vult, Horatius Ficulnus. Ficulneę.

Olim truncus eram ficulnus, inutile lignum.

*Ficulnus,a,um.*Legimus etiam in libris ſacris *ficulneus,a,um,* pro poſſeſſivo ex ficu. Auguſt. inLucam:*Primus homo,quando peccavit,foliis ficulneis pudenda velavit.* Exeunt derivata à fico etiam aliter,ut *ficarius,a,um.*Palladius lib.4. *Finaliter ficariã caprifici arborem ferunt.* Et pro eo qui libenter ficos edit.Plin. XV. *Ficarios culices caprificus genera.* Et *ficetum,* id eſt pro eo loco ficuum. Varro lib. I. de re ruſtica: *De ficeto grana expedit abruere. Ficitor,oris,& ficitas,atis.*Nævius: *Ficitores omnes cupiunt ficitatem.* *Ficum* diſtinguit à pomo Afranius: *Monſtrat pomum,* inquit,*olus,ficum unam.* Sed ex Plinii verbis aliud elici cõſtatCatonẽ loquẽtẽ introducẽtis l.XVII. c.XV. *Attulit,*inquit,*quodam die in curia Prætore ex ea provincia ficũ oſtendens patrib.interrogo vos,* inquit,*quãdo hoc pomũ decerptũ putatis ex arbore?* Nævius vero mere Græcæ uſus:*Hodie,*inquit,*ficus mihi*

Ficarius. Ficetum. Ficitor. Ficitas.

Ficedula. *mihi recens fuit.* A fico *ficedula* componitur & edendo. Est enim quædam parva avis, quam

συκαλίς. Aristotel. *Sycalidem* appellat, quæ uvis etiam pascitur. Martialis:

Cum me ficus alat, cum pascar dulcibus uvis,
Cur potius nomen non dedit uva mihi?

Sed hoc nomen non nisi in autumno habet: postea formam simul coloremque mutat, & *melancoryphus* vocatur quod κορυφὴν μέλαιναν, hoc est verticem nigram habeat, Latine *Atricapillam* nominarunt nonnulli. Ficorum plurima extant genera, ut *caprificus*, id est ficus sylvatica. *Grossus* id est *scatiola*, & ejus diminutivum *grossulus*. Columel. lib. 3. *si voles ficum quamvis maturam facere, cum grossuli minuti erunt, fructum decutito. Præcox ficus* Latine, πρόδρομος Græce. *Ficus* dila prima manu, hæc eadem *ficus bifera; ficus manularia, ficus alba coca, ficus Callistrutia, ficus bifera* dila ultima manu, *ficus ona, ficus Fracassana, ficus torma, ficus blanca.* Dicitur intus *ficus Livia, ficus scrapana, Aratia ficus, ficus nungila,* nisi *ficus albicerata, ficus per siccaria* generaliter, *ficus porphyritis, ficus fi ealis, ficus popularia, ficus scachantis, Chelidonia, ficus* ditri manu, *ficus Duria, ficus* di coiru duru, *ficus palata, ficus compressa* in pani. *Carica,* ficus sicca. *Cotonum,* id est ficus multa pichula, *ficus alsula, ficus bayrella, ficus pulla* burthibello, *ficus Ægyptia, ficus Seneza* granudi intra, *ficus serotina, ficus bifera* di ultima manu, *ficus inferna* Latine,

[Margin notes: Melacoryphus. Atricapilla. Ficorum varia genera. Caprific. Grossus. Scatiola. Grossulus. Præcox ficus. πρόδρομος. Sunt hæc corruptissima in vet. exẽplari, ita ut præsentavimus.]

ne, Græce *Helioscopios* sive *Sectadactylos*, *latrosa pentadactylos*, *Marisca* aut *ficus fatua* species di ficus disapita. Et à ficus est *ficulus* derivativum Plaut. *Nucibus, fabulis, ficulis*. Ficum solam non ignorandum est ex arboribus non florere. Unde male precantis proverbium vetus fuit: *Ad flores ficus venias*, id est nunquam. Vale. Panhormi, Idibus Saturnaliciis. Ficulus.

EPIST. XXVII.

L. Christophorus Scobar Bethicus Nobilissimo Adolescenti atque Discipulo Dulcissimo D. Johanni Philippo A. S. Suprano.

S. D. P.

MItto ecce ad te adolescentem omnium, quos natura peperit unquam, urbanissimum, Virginem meam vel potius tuam, voti in te mei specimen primum: ubi contra plurimorum Grammaticorum sententiam, sententiam tulimus ultro citroque digladiati. Si igitur, qualem paranymphus ardebat, bene habet: si autem proceriorem, recidemus aliquid; aut curtiorem, addemus. Tu genitoris non voluntatem, sed ingenium accusabis.

Alexander sic præcipit: Alexander Grāmaticus notatur.

Est communis Homo, pariter cum Virgine Latro.

Sed ut facilime stipulor Alexandro in his nominibus *homo* & *latro*, ita maxime diffiteor in hac dictione *Virgo*. Ego quando de genere atque propria hujus dictionis *Virgo* significatione Virgo.

tione sum disserturus, aliquanto sublimius quã quod Alexandri sectatores de hac re scribunt, validissimis quibusdam autoribus disputabo. Non itaq; quenquam morabor quædam fragilia atq; minuta corradens, quibus illi cavillantur, sed quibus animus est sermonis Latini haud degener, optimi cujusq; auctoris rationibus sumptis me credo complaciturum. Majorem causam, quam cujus D. Hieronymus est scriptor & auctor, non suspicor Alexandrinos protegere atq; tutari, quòd *Virgo* generis sit utriusque. Scripsit enim D. Hieronymus qvum in prologo divi Joannis, tum etiam alibi *virginis* nomen applicitum nomini masculino. In prologo vero sub his verbis dixit: *Joanni suam matrem pendens in cruce commendavit Dominus, ut virginem virgo servaret.* In hoc autem loco *virgo* idem est & *Joannes*. Idem D. Hieronymus in vita Malchi: *Jam capite canescente virgo maritus fierem.* Canit etiam Ecclesia: *Virgo electus à Domino.* Huc accedit illud, quo Priscian. multa asserere audet, id est significationis causa. *Virgo* enim eo potissimum utriq; generi congruet. quoniam perliquide è viro & mulieri evenire solet. Hypolitus quidem fuit virgo pulcherrimus. Sibylla virgo fuit & veneranda Sacerdos. Eo igitur erit evadendum, ut quemadmodum vir & mulier homo appellari solent, non secus intra infamiam præsertim teneriorem virginis appellationem non respuere viden-

dentur. His tandem caufis Alexandri conantur admiratores. Sed quia tantopere Alexandrini isti flagrant in sua causa munienda, ultro miserescens non dedignabor eis opem ferre, dum tamen veritati denuo favere velit. Nonius namque Marcellus hujusmodi de re scriptum reliquit: *Virgines non solum fæminæ, verum etiam pueri investes dicuntur.* Hæc ille: Ausonius in quodam epigrammate:

Unus ephebörum virgo repente fuit.

Frontinus in libro illo de Aquis: *In urbem influunt aquæ piæ, & fons virgo.* Ubi *virgo* cum nominibus plane masculinis adjungitur. Sed tanta est in hoc Alexandrinorum disciplina & ratio, tanta multiplicacitas, perplexio tanta, ut mihi videantur (quod ajunt) sine filo Labirynthum ingressi. Sed valeant. Ad rem properemus. *Sermo omnis*, ut auctor est Quintil. *inter pleraque alia ratione potissimum constat & usu, quem & consvetudinem vocant plurimi.* Prius tamen quàm sive ad rationem sive ad consvetudinem nominis *virgo* descendamus, pauca de ejus significatione excutiamus. *Virginis* nomen & de animalibus & de carentibus anima dici solet. De his Cicero in Oratore: *Philosophia casta, verecunda, incorrupta virgo est.* Varro in Aboriginibus: *Hæc mellis dulcedo virgo permanet.* Pomponi in Fullonibus: *Verrucam virginem sine dolore vulsam mandis.* Adjungitur frequenter animatis.

Sed

Sed ponamus prius exempla de beluis. Martialis in Xeniis:

——— *Si forte magis cupiat de virgine porca.*

Idem auctor lib. VI.

Exolvit votis hac se tibi virgine porca.

De mulieribus rursus, non de inviolatis modo sed etiam de corruptis dicitur. Virgil. in Bucol. de Pasiphaëtrium jam filiorum matre dixit:

Ah virgo infelix quæ te dementia cepit!

Horat. lib. 3. Carmin. de Hypermnestra, quæ Linum conjugem observavit: ——— *Et in omne virgo Nobilis ævum.* Pro incorrupta vero passim scaturiunt auctoritates, & à muliere ob idipsum distingvuntur. Ulpian: *Quod si me*, inquit; *emere virginem putarem qvum esset mulier, emptio non valeret.* Sanguinem præterea, quem nuptæ nuptiis amittunt omnium significabant, quale est illud Lucilii:

Virginem amatrices perdunt prurigine rubram.

Quantumcunque tamen *virgo* multiplex reperitur, generis semper est fœminini. Unde est animadvertendum, nos non negare sive *virgo* sive quodvis aliud nomen fœmininum masculino misceri posse: negamus tamen ideo masculini generis esse, quantum alicui masculino adhæsit, & ipsum jam nomen non natura sit fœmininum, ideò duobus generibus esse commune. Quod si exemplis utar, citius patefecero. Dicimus autem, *pater est persona*, ut ma-

mater est persona. Sed utrobique personæ fœmininum nomen. De hujusmodi rei plura sunt exempla: ut *Dominus est illuminatio: locus est sedes: filius est sapientia patris: calamus est farrago: Polypus totus est cartilago: somnus est mortis imago: Locus est Carthago*. Ad hanc rationem & amussim dici potest, *Joannes est virgo*, & quemadmodum *persona*, *illuminatio*, *sedes*, *sapientia*, *farrago*, *cartilago*, *imago*, *Carthago*, nomina prorsus fœminina nunquam fiunt masculina, licet masculinis illis *pater*, *dominus*, *locus*, *filius*, *calamus*, *polypus*, *somnus*, adjungantur: pariter & *virgo* quamvis *Joanni* copuletur. Sicut dici potest: *Joanni omnium Apostolorum virgini suam matrem Christus commendavit*: ita dici potest, *Hectori omnium Trojanorum fortitudini Priamus Trojam commisit*: sed sicut *fortitudo*, licet Hectori applicetur, semper est fœmininum nomen, ita & *virgo* quamvis cum Joanne congrediatur. Scribamus igitur differentiam inter nomen duobus generibus commune & inter nomen quod duobus generibus hæret, tametsi ei non commune. Commune autem nomen si cum neutro concurrant, evirescit atque degenerat, & ex substantivo convertitur in adjectivum. Itaque fit trium generum commune. Quod quia quibusdam difficile svasu videtur, variis exemplis comprobemus, sed in his duntaxat nominibus duorum generum communibus,

auctor, custos, comes, degener, dives, hebes, locuples, pauper. Præsul, sospes, superstes, testis, teres, versicolor. Virgilius:

Italiam petiit fatis auctoribus ——

Juvenalis:

—— *Saxis cinerum custodibus* ——

Lucanus:

—— *Sequitur imperiumq; comes*

Aul. Gellius *degenere alimento* scripsit, Valerius Maximus, *dives & potens naturæ regnum.* Juvenalis:

—— *Hebeti lautissima ferro*

Divus Hieronymus, *Locuplex templum* scripsit. Virgilius:

—— *Pauper regno*

Priscianus in prologo, *opus omnis eloquentiæ præsul.* Juvenal. Sat. XIII.

Depositum tibi sospes erit ——

Ovidius in Elegiis:

Post mea mansuram fata superstes opus

Lucanus:

Teste tulit cœlo ——

Sveton. in Julio, *colore candido & teretribus membris.* Auson. in Epigrammat:

Quondam & nomina præpetis ævi

Gell. lib. VI. *Tunica muliebri & pallio versicolore.* Solinus: *In Britannia quibus fontibus præsul est Minervæ numen.* Nomen vero, quod duobus generibus adjungitur, atque eis non est commune, nunquam transit in adjectivum, sed

qua-

quadam cum pertinacia ſemper ſubſtantivum perſeverat. Quale Virgilius in XI, Æneid.

O decus Italiæ virgo ——

Ubi *virgo* adjungitur illi dictioni *decus*, quæ neutra omninò eſt, non tamen ideo *virginis* efficitur nomen neutrum adjectivum, ſicut illa ſuperiora fiebant *de genere alimento, dives regnum*; ut ſi velles dicere malo alimento, felix regnum. Medici etiam dicunt, *hoc mel eſt virgo*, ut ſi dixiſſent *verbum eſt caro*, *nomen eſt pars*, ſed utrobique ſive *virgo* ſive *caro* aut *pars* ſubſtantive fœminina efferuntur. Eſt aliud præterea evidentis differentiæ ſignum inter nomen commune duorum generum & inter nomen non commune licet duobus generibus adjungatur, quam ſic collige. Nomen duorum generum commune cum nominibus adjectivis adjunctum ſubſtantivam gerit ſignificationem. Ceterum vero cum nominibus ſubſtantivis adjunctum adjectivam videtur habere ſignificationem. Cujus inventi in promptu ſunt exempla. Dicimus autem *Cuſtos prudens*, ut cuſtoditor prudens: *cuſtos vir*, ut cuſtodiens vir. Horatius ſecundo ſerm. *Hoſpes tardus adveniens*. Ubi *hoſpes* ſubſtantivam habet ſignificationem: *tardus* vero & *adveniens* adjectivam ex oppoſito. Martialis:

Si comes iſta tibi fuerit membrana ——

id eſt membrana comitans. Nomen vero, quod duobus generibus adjungitur, atq; eis non eſt commune, ſubſtantivum jugiter perſeverat, nunc ſubſtantivo, nunc adjectivo applicetur. Quippe dicimus, *pulcherrima virgo*: etiam dicimus *virgo Camilla*: ſed utrobiq; *virgo* ſubſtantiva dictio eſt. Martialis:

Dic mihi virgo ferox ——

Virgilius:

—— *Nemorum Latonia virgo.*

At farrago magna & farrago eſt diſcurſus noſtri libelli. Eſt altera etiam cauſa per locum ab analogiæ ratione ſubducta, quod *virginis* nomen duobus generibus non poſſit eſſe commune, quoniam, ut auctor eſt Quintil. *ratione præcipue analogiæ præſtat. Analogiæ* vero *hæc eſt vis*, eodem auctore, *ut id, quod dubium eſt, ad aliquid ſimile, de quo non quæritur, referat, ut incerta certis probet. Quod fit in comparatione ſimilium, in extremis maxime ſyllabis. Genus, ut ſi quæratur funis, maſculinum ſit an ſemininum, ſimile ſit illi panis.* Hæc Quintili. An nomen aliquod eorum omnium, quorum Latinitas capax eſt, ſive à nomine ſive à verbo derivetur, in *go* finitum generis erit niſi fœminini? non mehercule. Accipe exempla, à farre *farrago*, à planta *plantago*, à carta *cartago*, à carne *cartilago*, à viro *virago*, à verto *vertigo*, à compingo *compago*. Modo autem *virgo* à viridi profluxit, ut à viro *virago*,

quæ

quæ generis tamen pariter sunt fœminini. Est præterea alia causa, quam etiam eruit analogia, quod *virginis* nomen sit tantum generis fœminini. Docet enim Quintil. suarum Institutionum lib.1. Nominum genus à diminutione cognosci, cujus hæc verba leguntur: *Diminutio genus detegit, & funem masculinum esse funiculus ostendit.* Hucusq; Quintil. Quocirca Laurent. Valla in suarum Elegantiarum lib.1. illud Quintiliani in singulis generibus plane demonstrat, ut à piscis *pisciculus*, à soror *sororcula*, à munus *munusculum*, à pauper quod duobus generibus est commune & *pauperculus* & *paupercula* designatur. Eadem igitur analogia servata *virguncula* à virgo derivatur, cujus exemplo & ipse utitur Laurentius. Nunc vero quoad perscrutari licet, *virgunculus* nusquam legitur, *virguncula* vero passim offenditur. Juven. Satyr. XIII.

Saturnus fugiens tunc cùm virguncula Juno.

Frontinus in opere de Aquis: *puella*, inquit, *virguncula quasdam venas monstravit*. Unde satis jam constabit *virginis* nomen generis tantum esse fœminini. Sed quod immoramur in re, quæ non argumentis & rationibus eget, sed sola Latina consvetudine, quæ *loquendi*, auctore Quin. *Magistra certissima est*, ut auctor est Gellius, *consvetudo qvum sit domina rerum tum maxime verborum est*, de qua placet pauca

ſubjicere. Eſt autem ſani idiomatis hujuſmodi obſervatio, quod hæc dictio *juvenis* puerum & puellam, *virgo* tamen puellam tantum repræſentet. Cic. pro Sylla: *qvum puerorum & virginum veniebat in mentem*: Horat. in Odis:

Virgines lætas puerosq; caſtos
Dicere carmen.

Martialis lib. 8. Epigram.

Oderit è grandis virgo bonusq; puer.

Ovidius in Ibide:

——— Miſnus ab arce puer.
——— Scapulis ſe virgo miſit ab altis.

Senec. in Hercule furenti: *Mactata eſt virgo, miſſus eſt puer.* Et aliquando *juvenis* tantum puerum, ſed *virgo* puellam ſolum ſignificat. Horat. in Odis:

Virginum ſectis in juvenes unguibus.

Qui quod neq; Divus Hieronymus, quem ſolum ſibi Alexandrini præſidio futurum ſperabant, ſecus quam ceteri optimi Latini ſcriptitat. Quale eſt illud Pſalmi CXLIV. *Juvenes eorum comedit ignis, & virgines eorum non ſunt Lamentatæ*. Eſt adhuc altera cauſa ab idiomate exorta. Unde patebit nihil obſtare *virginis* nomen, quo minus poſſit eſſe tantum generis fœminini. Loqvuntur ſic in idiomate Hiſpano, quod creditur plus ceteris Latinitatem ſapere, eſt, *à muger es unde gran rofian*, tamen quamquam qualitas & ſignificatio Leoni-

Hiſpanica lingua proximè ad latinã accedit.

nonicæ tam mulieres quam viros juvabat, quippe mulieres obiter ut viri Lenocinio funguntur, lingua tamen Hiſpana idiomatis proprietatem ſeqvuta non patitur illud in genere fœminino dici, ut exemplum oſtendebat, quod non dicunt *una gran rofian*, ſed *un gran rofian* in genere tantum maſculino. Pari igitur ratione *virgo* ex ſuæ qualitatis & ſignificationis ratione potuit generis eſſe communis. Nam virginitas & viris accidit & mulieribus: idioma tamen Latinum perinde hanc dictionem *virginis* ſepſit, ac ſi ſua ſolius ratione & uſu ſemper reperiatur fœminina. Nos autem Latinorum conſvetudinem imitari tenemur, quæ loquendi, ut diximus, magiſtra eſt: non autem ſignificationem naturalem, quæ omnibus una & eadem eſt, quanquam quomodo ſignificatio illud poſtulat, alioquin Laurent. non ſcriberet differentiam inter mulierem & virginem, ſi virgo maſculus eſſet, à quo mulieris nomen plurimum deſcivit. Relinquitur igitur ut viciſſim argumentationibus Alexandrinorum reſpondeamus, libentiſſime fatentes Divum Hieronymum Latine ac plane ſcripſiſſe, quando dixit: *Joanni virgini ſuam matrem pendens in cruce commendavit Dominus.* Sed non protinus Alexander erat diffinitivam ſententiam laturus, *virginis* nomen eſſe commune. Ad Priſcianum atque ejus ſignificationem diximus,

quod non significatio est certissima loquendi magistra, sed consvetudo *utendumq; plane sermone ut numo, cui publica forma est*. Sed neq; Priscianus fuit adeo indoctus, ut *virginis* nomen commune esse præceperit. Namq; inter tantum fœminina idipsum posuit. Nonius namq; Marcellus, quem ego accitavi cum duobus aliis, quos Alexandrini ignorant, & eo magis quo Latino sermone sunt eruditiores, tantum probat Varronis auctoritate ductus, hoc est verbum *devirginare* ita pueris & puellis accidisse.
Devirginare.
Nam de hoc nomine *virgo* neq; unum quidem verbum facit, quo liquescat esse commune. Ad Ausonii & Frontini auctoritatem respondemus, scilicet *unus puer virgo* & *fons virgo* dici posse, ut *Deus est veritas*: sed *veritas* quamvis Deo adjungatur, non fit masculinum: pariter & *virgo*, licet Joanni annectatur. Semunctas habeas aures. Non recte ergo Alexander præcepit:

Est communis Homo, pariter cum Virgine Latro.

Vale. Ex Regia Panhormitana, pridie Idus Novemb.

EPIST. XXIIX.

Henricus Bebelius N. Pruc. Eremophilo S. D.

QVod tibi hactenus nihil respondi, feci id consulto quidem, propterea quòd pueriliter nimium videaris mihi sentire de Hebræis

Hebræis nominibus ad nos translatis, quorum dubium apud me moves. Quis enim negat aut negavit unquam Hebræam linguam esse sanctissimam, propriisq; regulis atque accentibus ditatam? Concedo etiam nobilissimam, quid hoc ad propositum? Non enim propterea sequitur, quòd translata in alienam linguam non mutet accentum atq; declinationem. Nunquam enim aut Divus Hieronymus aut LXX. Interpretes aut alius Hebræi eloquii doctor tradidit, alium esse accentum & declinationem Hebræorum nominum, nisi illius linguæ, ad quam transtulerunt. Nomina siquidem illa *Hebraica*, dicit Josephus libro primo antiquitat. *Græci propter scripturæ decorem ad declinationem legentium mutaverunt.* Idem dicit Hieronymus super Paulum ad Philemonem, quæ si legeris, invenies illam transmutationem esse bonam & tolerabilem, immo fatuum est, ut cum declinationem alicujus vocabuli in alienam linguam mutaverimus ulterius de nativo accentu quæramus, dum taliter Græca cognata Latinis mutata mutent etiam accentum. Testis Diomedes, Martianus Capella, & cæteri illustres Grammatici, ut non bene dicas nullum literarum censorem hoc ferre: cum non ferant modo sed & præcipiant. Quæ insuper absurditas aut dementia, ut quis Græce loquens aut Latine non hæc & omnia alia vocabula sive Pu-

Hebræorũ nominum accentus.

Peregrinorum vocabulorum accentus.

nica, sive Syra, sive Alemannica, aut quævis alia barbara propriis suæ linguæ, qua loquatur, declinatione & accentibus proferat ? Aut quis Græcus vel Latinus nostrum vernaculum accentum & declinationem proferre sciat, etiamsi à nobis instituatur? Aut quis Germanus concionando plebi ineruditæ vocabula vel Græca Græce, vel Latina Latine, vel Hebraica Hebraice pronunciaret, si vellet intelligi, & non potius ad nostrũ accentum atq; sonum formaret atq; retorqueret ? Quælibet enim lingua suis utitur accentibus, & quæcunq; ad se transtulerit vocabula, iisdem accentibus moderabitur. Sed quid in his rebus tantum temporis consumo & atramenti. Plura videbis aliquando publicata per Chalcographos. Tu ut lubet sentias, jam Vale. Ex Tubinga Kalendis Novembris anno M. D. XII.

EPIST. XXIX.

Henr. Bebelius Jacobo Henrichmanno S.

Pædotriba. QVis sit vere *pædotriba*, de quo nomine sit nunc controversia apud nos, quæris. Ut rem paucis absolvam: *pædotriba* est, ut dicit Perottus, *ludi litterarii præceptor*. Verum ejus prima & vera significatio est, teste Platone, cujus meminit sæpe in Georgia, ut sit exercitator & doctor puerorum in exercitio corporis in palæstra atque gymnasio. Et hos esse non reprobos

bos aut malos ita probat. *Nonnulli vero* (inquit) *hæc pervertentes robore arteq; abutuntur, sed non propterea qui docuerunt*, scilicet pædotribæ, *improbi sunt judicandi. Pædotribam* ibidem vocat Plauto *magistrum gymnasii* & *profiteri artem gymnasticam* & *palæstricam*. Non dissimilia tradit Aristoteles in VIII. Politicorum & Plutarchus. Propterea etsi *Pædotriba* fuerit exercitator corporum omnium, tamen consensu doctorum gymnasium & palæstra refertur tam ad corpus quàm ad animam, ut *palæstra literaria* & *gymnasium* dicatur ab omnibus doctis pro loco studiorum & etiam apud veteres. Testis est Victruvius Pollio ad Augustum Cæsarem de Architectura scribens: *Aristippus*, inquit, *Philosophus Socraticus, naufragio cum ejectus ad Rhodiensium littus animadvertisset Geometrica schemata descripta, exclamasse ad comites ita dicitur: Bene speremus, hominum enim vestigia videmus, statimq; in oppidum Rhodum contendit, & recta gymnasium devenit, ibique de philosophia disputans muneribus est donatus* &c. Ibi Aristippus in gymnasio de philosophia disputavit, non de exercitio corporis. Jure igitur meritissimo *pædotriba* dicitur ludi literarii magister, sicut dicit Perottus & alii. Sed quod in malum accipiatur pro puerorum tritore, ego nondum legi, nec ipsi talia dicentes auctore probant. Dicitur autem *pædotriba* à παῖς παιδὸς puer & τριβὴ id est exercitium, & non

Palæstra, Gymnasium, pro schola.

τριβή.

τρίβω. non à τρίβω tero vel frico, quod nihil habet meo judicio commune cum pædotriba, nec *tribas, tribadis*: sed *diatriba* bene. Unde Aul. Gellius lib. XX. Noct. Atticarum: *Quidam Διατριβὰς inscripserunt*, id est exercitationes & Diatriba. studia. *Diatriba* autem unde est nisi à *tribe*? Et sicut pædotriba non invenitur, quod ego sciam, sic etiam *pædagogium*, quod quidam in Pædagogium. Svetonii locus. Svetonio accipiunt pro stupro prostitutioneque ingenuorum, quod reprobat pulcherrime Hermolaus Barbarus & *proagogium* dici & Proagogium. legi docet.

EPIST. XXX. Tubingam.

Michael Humelbergius Rauenspurg. Henrico Bebelio Populari suo S. D.

παιδοτρίβης. ΠΕρὶ παιδοτρίβου puerorum exercitatore tecum sentio, vir charissime, tametsi pædotribes in corporis maxime exercitio puerorum præceptor sit. Ars enim ipsa in corporis exercitiis pueros exercens παιδοτριβικὴ dicitur, & gymnastices species est. Transfertur taπαιδοτριβική. men ἡ παιδοτριβικὴ καὶ παιδοτρίβης ad literarium usum & exercitium. Unde Aristoteles adolescentes ipsos *gymnasticæ*, ad bonam scilicet corporis qualitatem & justam habitudinem: & *pædotribicæ*, id est literarum ludo ad animi eruditionem & perfectionem intellectus, bonamque operum exeqvutionem tradendos Gymnasia. docet. Etiam *gymnasia* ipsa exercitii loca, quæ tria

tria apud Athenienſes fuerunt, Lyceon, Academia, Cynoſarges, ab exercitio corporum ad animorum exercitium poſtea traducta nemo non novit. Et *Academia*, quæ ab Academo heroe, ut Stephanus περὶ πόλεων meminit, nominata eſt, philoſophorum ſchola dicta: quique Platonis inſtituto in Academia ſermones habere ſoliti erant, ex loci vocabulo nomen habuerunt *Academici*. *Lyceon* autem Ariſtotelem Stagiritem cum Peripateticis ſuis in ambulando diſputantibus literarium palæſtricum habuit. Apud *Cynoſarges* (Suda aſſertore) pueri nothi, qui nec à patre nec à matre jus civitatis habebant, exercebantur &c. Vale παιδότριψ puerorum pædagogus, ut Eraſmus transtulit: Utitur dictione Lucianus in Miſanthropo, ut idem teſtatur.

Academia. Academici. Lyceon. Cynoſarges. παιδότριψ.

EPIST. XXXI. Viennam.

Cuſpinianus Joachimo & Mario ſociis S.

SI ſalutem veſtri quæritis Cuſpiniani: ſin ſimulatis, ſimulatam & amicitiam & integritatem. Longe aliter quam ſperabam: labor meus decidit in aridam. Si dicerem, Non putabam hoc fieri, imprudentiæ arguerer. Spes autem & prudentes & agricolas fallit. Germanos, ut eſtis natione, operibus etiam ſperabam, qui auderent & factis & verbis prodire obviam hoſtibus. Cur nunc igitur tecti late-

tebris vel non vultis vel non audetis aperire, Germanicum ingenium. Estis Initalicati, ò milites strenui. Et tu Pyrgopolynices Joachime, qui præ ceteris antesignanus videbare, times? ne vel * Italo fias exosus, à quo certe regna expectas amplissima, ut opinor: vel ne mercatorem lædas chartarum, qui te libro nonnunquam donat, cum tui temporis jacturam tibi facis ob triobolon gravem admodum, asteriscis libros suos confodiendo. Sed neq; te absolvo criminis, Mari, Marium vide ne sequaris civilium bellorum auctorem: qui etsi morbo labores, quem tu caussatus posses videri excusabilis, tuli tamen & medicam quoad licuit opem, ut tu quoq; ferres opem, si valerem minus. Ambo *Florum* ex me quotidianis pene conviciis efflagitastis. Dedi vobis, prodiit vestro auspicio in publicum. En munus vestrum; subsannatur, ridetur, carpitur.

Joh. Camerti.

Florus.

Quisquis (inquit Bibliopola) *exemplar hoc adulterinum dixeris, sacer esto. Sacer esto, quisquis uxorem à sacerdotibus sacris sacratam & subactam habuerit & duxerit.*

Sacer esto, qui uxorem usurariam aliis ut sibi commodet, condonat & vigilanti stertit naso.

Et vos sacri sitis, qui hæc negligenter auditis, nullum à me deinceps expectaturi munus, quo vos ornem. Et adhuc dormitis? Cur liminares epistolæ scribuntur? Ut patroni sint ope-

Patroni librorũ, & quod illorum officium.

operis emissi. Cur Principibus dicantur hæc monumenta. Ut vituperones abigant castigentq;. Cur hæc subsidia à doctis à potentibus quæruntur? Ut vel doctrina vitilitigatoribus obstrepant vel armis inverecundiam locutulejorum compescant. *Ego vos elegi, non me elegistis*, Salvator suis dixit, mihi repetere id licet, ut vos Præceptoris gloriam, decus, honorem, etiamsi absq; corporis incommodo fieri, aliter nequeat, tueri, augere, defēdere alacres promptiq; essetis. Desidiam nunc cum vestram intueor, numquid simulata omnia jure optimo credam? Sed Germanitatem omnem exuistis, credo. Timetis Initalicati, ut paulo ante dixi. Agite Italos vel etiam opere, si libet: mares exuatis, agatis fœminas, & speciosa Italorum vocabula *pædicationem*, *masturbationem*, nobilium dicite esse opera. Addite *divisionem*: *dividere* enim quid sit, rudis Germanus ignorat. Arbitrabar apologiam esse ambobus, ut estis ingenio prompti, paratam in manibus; qua innocentiam, integritatem prædicaretis Cuspiniani universo orbi. Et si natura negaret, faceret indignatio versum. Sed in somnum resoluti estis. Dormite securi: molesti nil dicam amplius. Vel etiam somnum Epimenidis vobis concilietis: tu, ut valetudinem priscam recuperes; ille, ut hesternum concoquat vinum.

Italorum impudicitia. Dividere Divisio.

vinum. Ego ſecurus pariter deinceps, cui ſubſerviam, videbo cautior. Dormite, dormite jam & quieſcite, donec vos è ſomno excitem. Valete poſtea. Ex ædibus noſtris citius celeri, uſq; quàm aſparagi coquantur.

EPIST. XXXII. Lutet. Pariſ.

Johannes Pyrrhus JC. Johanni Baleo Antonii Prati magni utriusq; Galliæ Cancellarii Secretario S.

De Mediolani laudibus.

INcredibilem mihi voluptatem attulit elegantiſſima tua epiſtola, mi ſvaviſſime Balee, qua Pratum Mecænatem meum incolumem, ſimul & erga me tantopere benevolum intellexi. Qui quantum pro ſua authoritate poſſit, pro ſua humanitate velit ſtudioſis favere, non multis eſt incognitum, in cujus integritate quantum ſpei repoſuerim, haud ſatis eloqui poſſim. Tu vero nequaquam tibi ſatisfactum putaſti, niſi ſponte beneficium literis adderes, & patrocinio diligenti provocares abſentem. Quod adſcribo partim candori animi tui, partim veræ amicitiæ viribus, quam honeſti ſtudii fœtura prius inter nos edidit, quàm eniteretur. Ea ſane veterum in me amicorum ſtabilis benevolentia non parum me conſolatur ab illa optatiſſima conſvetudine remotum, ab illa (inquam) patriæ dulcedine depulſum, nihil æque deſiderantem ut illorum præſentiam, in quibus animum à puero, bonamque

que vitæ ſpem collocavi, qui me quamvis abſentem quotidie meritis cumulant ſolutaque (quod ajunt) verſura, graviori me indies fœnore ſibi devinciunt. Equidem non ambigo, quin te quoq; ac ipſos omneis mei deſiderium viciſſim teneat.

Cui ſane dolori mutuo non video quid appoſitius mederi poſſit, quam epiſtolarum ſolatium, quæ quodammodo repræſentant amicos quantocunque diſtantes intervallo. Ea de re diligentius ad te minime negligentem virum de valetudine; deque ſorte noſtra, de rebus quoque Italicis opportune ſcribendum duxi, ut qui reponendi beneficii cauſa judicium in præſens ſortiri nequeam, in occaſionis adventum mihi diem diffindi petens, in officio certe ſcribendi tibi reſpondeam, & abunde faciam de rebus noſtris deq; novi ſucceſſu magiſtratus certiorem. Mirum dictu, quantus me cœperit hujus provinciæ amor, etiam ſub ipſa initia, quæ fere ſubacerbiora eſſe ſolent. Impendio me delectat elegantiſſima regio, civitasque nobiliſſima, quæ à noſtris atavis non modo commodiſſime eſt condita, ſed etiam, pulſa barbarorum injuria, pulcherrime inſtaurata, varie ornata, bonis legibus inſtituta eſt. Libet id, quod ſentio de hac Inſubri Gallia fuſiusque dicere, qvum longe abſim ab illorum opinione, qui montium præcipitia vane metuentes non imitantur U-

 lyſ-

Ulysses peregrinatione sapiens. Metus obest præclaris ingeniis.

lyssem, idcirco sapientem ab Homero patre appellatum, quod multorum mores hominum cognoverit, urbesq; multas viderit. Experior enim non aliena fide, quàm metus ille subrusticus ὑπὸ τῆς τῶν πραγμάτων ἀγνοίας optimis quibusq; & clarissimis obsit ingeniis, qui maximos sæpe conatus optimosq; successus avertit. *Suæ quisque faber est fortunæ*, ut ille inquit; nec aliud in causa est, quod præclara ingenia in occulto sint, nisi quod parum cordati sumus. Cæterum tanta est, Amice, tamq; varia hujus regionis celebritas, ut uno verbo profitear id ipsum me hic reperisse, quod generosus ille Cardinalis Borbonius hæsitanti mihi prædicebat, ut pro suo in me affectu vir eximiæ virtutis oscitanti nimis aurem vellicaret. Nam Mediolani in amplissimo senatu, prudentissimorum virorum consessu plurimum honestatus sum, ubi nec humile, nec indecorum, nec improbum quicquam proponitur, omnia modeste, recte, concorditer aguntur, qua una re quid in Repub. ulla melius ac divinius?

Jo. à Selva Præses Mediolanensis.

Joannis à Selva Præsidis integerrimi sapientia, temperantia, pietasque tanto est in cultu, ut pacate totam hanc Rempublic. veluti numen aliquod fœliciterque moderetur, & manifestum faciat, quam innocentiæ patrocinio magis, quàm artificio ullo benevolen-

lentia hominum colligatur, quanta justitiæ in malos potentia, inter bonos gratia. Hic inter epulas quoq; de philosophia, de bonis literis, cum Petro Buxio Tholosano suo amico pernecessario; cum reliquis collegis nostris, viris undecunq; absolutis; cum plerisq; aliis omni doctrinæ genere eruditis assidue sermonem facit.

Hoc est egregium specimen virtutis, cui præcipuum est studium pietatem colere; inde magna disquisitione & aqua lance judicium facere: cujus exemplo fit, ut in quocunque magistratuum ordine, in multifaria judicum classe, inque ipsa præclara causidicorum concione, incredibili dexteritate, honestate, rectitudine, cuncta peragantur. Adhæc in Mediolano si quis divinum cultum sacrorumque ordinem requirat, inveniet in templis ex marmore sumptuose structis, in amplissimis variisque Xenodochiis, inque numerosis virorum aut fœminarum cœnobiis eximiam quandam majestatem, ritum, ac religionem. Inde si ad mores ac Reipublic. instituta animum advertas, inæstimabilis optimatum magnificentia est, nobilium familiarum decus, & liberalitas ingens; mercatorum industria, vulgi solertia laborque mirabilis; summa est deniq; totius Reipub. administrandæ ratio. Quanta

juventutis indoles ac institutio? quam politica virorum diligentia? quam veneranda senum graviter? quam Sabina matronarum honestas? quanta solitudo virginum pudorisque cura? His accedit tam œconomica frugaliter victusq; ratio, ut Insubres non gravate tanta bellorum incommoda sustineant, ipsa, quæ diuturnæ potentiæ mater est, parsimonia duce, quæ non minus ad rei familiaris augendæ conservandæq; artem facit, quam feracitas agri longe cultissimi, frugumq; copia ex aquarum ductibus unciatim distributis affluens. Insuper accommodata est hæc regio non modo iis, qui vel corporis valetudinem curant, vel patrimonium augere, ac *rem* (ut Flaccus inquit) *facere apprime student*: cujusmodi magna pars hominum, sed & literarum bonarumque artium studiosis temperie cœlique favere gratissima.

Si enim flumina, prata, colliculos, hortos, nemuscula, prætoria, ruscula, beatumque otium interdum quærant, si quando urbis distædeat; prope est qua foris animum laxent. Pulcher est in agris villarum cultus; in urbe ornatus ædium picturatarum. Neque est in monumentis marmoreis preciosisque, tanquam praxitelis aut Phidiæ, sculpturis, picturisque quas Apelles ipse ex officina sua prodiisse non inficias iret, in excellentissimis (inquam) operibus visendis modica animi

mi refectio : luculentissimus ubique splendor & oblectatio.

Verum hæc omnia longe superat liberalium disciplinarum schola, in qua non etiam desunt Græcæ linguæ professores benigni, quibus ego, cum ad nostri otii modulum sese libenter accommodent, ita do operam suaviter, ut olim Erasmo primum, dein Alexandro, mihi nunquam pœnitendis præceptoribus. Græcis quoq; literis per otium indulget non illibenter Jacobus Minutius, homo plane divinus. Eo pacto facile tædium devoramus, ubicunque à curis senatoriis vacat. Fœlicior Pinus Tholosanus ampliore otio ac bibliotheca locupletiore; at ea fœlicitate longe dignissimus. In hoc quoque studiorum genere perquam fœlix Longolius, qui Græcas literas toto pene orbe persequitur, inque nostri Budæi arcem ingenti animo tentat evadere. His adjungo Gerardum Vercellanum absolutissimo viro Francisco Rubeo merito familiarem, quo tanquam Beraldo illo meo in otio literario sæpissime fruor, uterque Gallus natione, uterque animo candidus, & in Græcis literis provectus, magnum nostræ Galliæ allaturus ornamentum. Sed heus, quam bellum, mi jucundissime Balee, quamque est svave per tempora succisiva divertere ad Græcorum fontes ? qui divinam quoque philosophi-

Jacobus Minutius

Pinus Tholosanus.

Longolius

Gerardus Vercellanus.

Franciscus Rubeus.

Græcarũ literarũ usus.

 am

am ubere offundunt cornu ; unde possis animum pascere, ingenium colere, prodesse Reipublic. Adjuvant studia literarum habitationis commoditas, pacisque beneficium, quæ nunc tota regnat Italia ; varium musices genus, qua, quod vivit, omne ducitur. De studio fessos exhilarant urbanæ festivitates, ludicra, digitorumque micationes, nobilium in armis colluctationes, equestresque ludi in hippodromo frequenter celebrati è regione arcis omnium superbissimæ : varia id genus spectacula, triumphalesque nobilium matronarum pompæ, veluti Cybeles, aut earum, quæ Oppiam Romæ legem refixere, miro factu in deauratis quadrigis repræsentatæ, & quid non ? Hæc nempe omnia literario quoque labore fatigatis aliquod ingenio levamen, animoque recreationem præbent. Apud omnes in confesso est, nullam reperiri honestæ voluptatis specimen, quam homini ingenuo vel intra populissima Mediolani pomeria captare integrum non sit, tanta rerum omnium abundantia ; vini optimi & palato quamvis delicato varietate sua gratissimi, reique frumentariæ, omnium denique frugum ubertas, Mediolanum inter amnes situm, influit ; quaqua versum ditissimis urbibus oppidisque ac pagis creberrimis ambitum ; magno quoque literarum emporio Ticino appo-

sitæ

ſitæ vicinum, ut in ſumma nihil in ea urbe viris ingenuis deeſſe videatur. Equidem ubi me collegi, vehementer admiratus ſum Inſubricæ rei magnitudinem, utpote in dies opulentius luculentiusque ſuccreſcentem, quæ toties exciſa atque aratrum paſſa in tantum reſtituta ſit, ut eam, calamitate belli cladeque toties ingeminata, crevisse potius, quàm ulla ex parte detritam credas. Hæc omnium ſane maxima & beatiſſima futura eſt, cum ſub optimo Principe regatur, ſi pacatum numen diram factionum luem ab Italia tandem averterit, omnium facilè malorum parentem & injuriarum fomitem.

Cætera tam felix tamque abſoluta hæc regio, ut occupatus occupato viro tantum bonorum numerum, quibus exuberat pro rei dignitate, nequeam perſtringere. Itaque ut ſemel finiam, pro omni hujus Galliæ Ciſalpinæ encomio non inepte deſinere poſſe arbitror in hunc Auſonii Galli poëtæ doctiſſimi elegans hemiſtichium:

Et Mediolani mira omnia ____

ſentioq; cum Ægyptiis, qui hieroglyphicis literis aſelli capite hominem præditum depingebant eum, qui ſua contentus patria, quamvis optima, non alias etiam vidiſſet, non alibi

quoque rerum miracula esse putasse. In hunc modum perfunctorie de reb9 nostris, deq; nostra sorte, de mea familiaq; prospera valetudine, scribendum putavi ad amicum, cui non frequenter vacat id genus commentariis animum intendere. Tuum erit, amice, mutuo de tua, deq; amicorum omnium valetudine; de rebus etiam Gallicis (qua parte licet) sæpe nos facere certiores. Adhæc onerabo te nova sollicitudine atq; provincia, meas videlicet literas apud Lutetiam reddendi Francisco Deloxno, incorruptissimo senatori, præceptoriq; meo eruditissimo; ac exigendi responsum meis literis, quas Joanni Burdeloto de republ. bene merito ad Guillelmum Luillierium, optimum doctissimumque Regis consiliarium, dederam multisque verbis commendaveram. Quod ut quam celerrime fiat, meâ multum interest.

Cõmentarius in Regulas juris.

Commentarios in titulos de Regulis juris apud Pandectas, à me, quo postremo anno jurisprudentiam in Aureliano meo gymnasio profitebar, ordinaria declamatione pro more tumultarie recitatos, Alexander Minutianus elegantiores edidit, tum nostri, tum Reipubl. literariæ studio: cum antehac à nescio quibus typographis cum civilibus aliis disputationibus nostris citra meum consilium nimis depravati essent. Atqui quod ego ter-

tersiore stilo lucubrationes meas emittendas minime curavi, hoc partim temporum conditioni (cum nec à Philosopho Tullius eloquentiam postulare se dicat) partim occupationi meæ forensi condonatum velim, qua fit ut me tempus otiumq́; scribendi plane deficiat. Hoc qualecunq; opus Mecænati meo, viro nunquam satis laudato, qui me sibi dedititium tenet, offerendum suscepit Joannes Segvierus Tholosanus Præses ob egregiam virtutem animiq́; sinceritatem illi inter primos gratus. Efficiam ne munus hoc in me Pratus male collocasse videatur, quem ego merito valere omnibus vobis opto, salvereq; per te jubeo. Ex Mediolano, M. D. XV. Kalendas Majas.

EPIST. XXXIII.
Argentoratum.
Riccardus Bartholinus M. Matthiæ Schiurerio Impressori S. D.

CUm Cæsar poema meum de bello Norico Augustensi impressori, ut quamprimũ excuderet, mandaverit, mihi non admodum gratum fuit. Desiderabam enim, ut ad eorum manus perveniret, qui diligenter negotium perficerent. Quare cum sententiam meam Cæsar intellexisset, Vadiano viro erudito commisit, ut librum reviseret & Leonhardus ut imprimendi provinciam susciperet, curaret.

Id Leonhardus se facturum pollicitus est: ceterum Vianæ omnino imprimi additis causis non posse: se autem, ut Argentorati fidelissime absolveretur, curaturum. Qui quidem cum summas de te laudes adjecisset, ac doctrinam, quam præstas, diligentiamque mirum in modum extulisset, me tui quanquam minime te norim amantissimum reddidit. Quamobrem cum de literis ac literatis semper bene meritus sis, tuas in manus tuamque fidem decennales labores meos conjeci, arbitratus, ut ea qua posses diligentia uterere. Et quoniam opus Cæsari semper Augusto dicavi suæque Majestati obtuli, tamen ut Reverendissimi Curcensis secundo quodammodo patrocinio exeat in publicum desidero. Vellem ut abs te vel à quovis alio viro erudito epistola in poematis frontispicio cum infra scriptis annotationibus præscriberetur. Inprimis.

Matth. Gurcens. Cardin. Reverendissimo in Christo patri Domino & Domino Mattheo miseratione divina S. Angeli sacrosanctæ Romanæ Ecclesiæ Diacono, Cardinali Gurcensi, Ecclesiæ Saltzburgensis Coadjutori ac successori, Imperialique Locumtenenti generali, Domino colendissimo.

Apposui titulum ut non aliunde inquirendi tempus contereres. Inde cum orationem auspicaberis, si placet causas addes, quibus epi-

epistolam dominationi suæ Reverendissimæ dirigendam putaveris. Quod etsi Cæsari dicatum opus sit, quia in eo res à se gestæ feliciter tractantur, tamen quoniam in toto opere Gurcensis persona alter Virgilianus Achates celebratur, semper scilicet Cæsari adhærens, copioseque de eo multa scribuntur, pretium operæ fore visum est, ut etiam secundo suæ reverendissimæ dominationis patrocinio opus in lucem prodiret: & si placebit me suæ Dominationis Aulicum esse dicito, & cetera similia ut videbuntur in hanc sententiam describenda. Maximiliano I.

Quantumque fieri poterit laudes ipsius; sed tamen concise, prosequiminor. Nam ego etiam obiter in opere, quæ egerit & in Italia & alibi, perstringo, utq; non tam pro Romano imperio dimicator acerrimus fuerit, quàm in paludamento Ecclesiastico prudentissimus habitus fuerit. Sed inprimis quantæ prudentiæ extiterit in felicissimo Imperatoris triumque Regum conventu in præsentiarum peracto, tute ipse aliqua meditabere.

Quantum attinet ad ipsum * opus, varium est & id ex sententia: quod etiam in præpositione patet: quoniam Principes, qui in eo bello fuerunt, partim suis partim Cæsaris auspiciis certaverunt. Austriados.

Non

Nomina propria in Carmine nō immutanda.

Non incusandum Poetam esse, si Principum nomina, quamquam propter asperitatem heroici versus dignitatem refugiant, minime immutaverit, quoniam cavit ne quispiam Principum queri posset, suum nomen immutatum fuisse.

Fabulæ poeticæ.

Si nimis fabulose aliquando scribere visus fuerit, admonere lectores vel suam Dominationem reverendissimam, ut, qualiter interpretandæ sint fabulæ, animadvertant. Omnes enim ab authore insertæ sunt, ut & delectationem afferrent legentibus, & simul latentes Cæsaris laudes complecterentur.

Nomina locorum vetusta.

Quoniam Poeta conatus est, quantum potuit, loca Germaniæ illustrare, non mirum sit indigenis, si aliquo in loco allucinari visus fuerit: quoniam difficilis hac ætate recognoscendi loca facultas est, quorum vocabula immutata penitus sunt: tamen non statim judicent orabis, sed prius commonere eos velis ut sciant Poetam varios autores secutum. Ut, cum profert indifferenter *Bojemos & Boemos: Amasiam, Amasium, Amissium, Amusium* pro flumine. Item *Vistulam, Justulon* & *Visulam.* Sic enim tum apud Latinos tum apud Græcos scripta reperiuntur. Cum in primo libro dixit *Itævon* pro Istævon, secutus Claudianum est, qui *Batarnas* dixit pro Bastarnas.

Bojemi & Boemi. Amasia, Amasius, Amissi9, Amusi9. Vistula, Justulon, Visula. Itævon. Batarnas. Regino.

In descriptione Ratisponæ: quæ etsi ex Tabula antiquissima *Regino Reginonis* legitur, tamen

men Poeta *Reginum* protulit. Ex eadem Tabula pro Inspruk, id est pro regione oppidoque, *Pontesænos* uno vocabulo appellavit, quoniam *Pontesæni* conjunctim scriptum invenit, deq; duobus unum non ineleganter nomen fecit, ut non inepte dicere possimus, *civem Pontesænum, agrum Pontesænum*, secutus Maronem fortasse, qui *Inarimem* dixit, cum apud Homerum & Hesiodum ἄριμοι & ἐν ἀρίμοις cum præpositione legatur. Reginũ. Pontesæni. Inarimẽ.

Quoniam in plerisq; externorum nominibꝰ asperitatem fugiens vel addidit vel immutavit vel penitus invertit. Ut pro Amurates, *Amartes*, pro Tamburlanus dixit *Tabarenus*, quippe qui à Tabarenis Asiaticis oriundum censuit: & in multis hujusmodi indulgendum esse. Amartes, Tabaren,

Primum argumentum & pleraq; alia manca sunt & nimium mutilata. Tu tuo arbitratu vel demes vel immutabis. Idem de glossulis ubiq; in marginibus scriptis sentio. Nam omnia à me idcirco confecta sunt, ut ii, qui de opere ante impressionem judicaturi essent, minus laborarent. Quare si quæ argumenta ex iis relinquenda putaveris, non meo nomine, sed tuo vel alicujus eruditi reponantur. Vadianus, nisi ad te mittendum fuisset, versus in argumentis jam conficiendi provinciam assumpserat. Quicquid tu efficies, quoniam tuæ phamæ confido plurimum, mihi factum satis putavero.

Ordo

Ordo ſic erit. Epiſtola tua Reverendiſſimo Gurcenſi perſcripta prima erit. Inde epiſtola Illuſtris Joannis Franciſci Pici Principis Mirandulæ. Tertia reſponſio mea ad eundem. Quarto loco Epiſtolium Pheretrii verſibus exaratum. Quinto verſus Amalthei, viri eruditi, poſiti erunt.

Optarem ut inſignia poſt Cæſariana cuderentur etiam Domini Reverendiſſimi Gurcenſis.

Habes candidiſſime deſiderium meum. Dabis ergo operam, ut tua diligentia opus meum emendatum prodeat: verſus, qui ſunt in margine plurimi, fideliter ſinceréque reponantur. Luxatum ad te miſſum eſt, tu autem integrum reficies.

Si quid offendis vel in ſententia vel in ſyllabis cultuq; dicendi & tuo & eruditorum judicio rogo atq; obſecro ut mihi, dum imprimitur ſignificetis, ut ſtatim poſt impreſſionem appendicem faciamus, in qua omnia errata reſarciantur: idq; ut accurate videas iterum rogo. Ex Viana, die XXVII. Julii, M.D.XV.

EPIST. XXXIV. Viennam.

Joh. Eckius Joach. Vadiano Academiæ Viennenſis Rectori S.

CONgratulor tibi plurimum, Vadiane doctiſsime, quod eum demum conſecutus es locum, quem tua virtus expoſtulavit, eruditio promeruit. Joannes Coſpis Bononienſis,

sis, si me non fallit memoria, Græcorum Imperatorum vitas Latinas facere occepit (scis me sitientiorem etiam literarum quam literatorum fore.) Si id operis perfecerit, fac me certiorem. Historias admodum diligo, quæ in utramvis partem virtutis aut vitiorum commendationē ingenue auxiliantur. His inter concionandum, modo idoneos habeam testes, libentius utor quam leviusculis Legendarum (ita enim appellant) de Sanctis historiis. Quod nugas meas imprimi curasti, si studiosis proficit & utilitati est, fecisti bene: sin minus (quod ego noctuæ judicium incidam) tu videris, quamvis non sit limate & ad libram (ut ajunt) excusa oratio. Verum ipse sum incusandus, qui tam discerptum & dilaniatum misi exemplar: at etiam nō redarguendus, qui per id tempus emendatius habere non potui quod mitterem. Arbitror tamen id doctis non displiciturum. Mitto Lucæ Alantsee X. Diaria, ut ipse invicem rependat XIX. Orationes contra Philosophos. Sic enim charta æquabitur chartæ. Diarium diu exspectatum mitto. Diu dubitarunt Gymnasii nostri regentes, quod doni mihi darent. Pecuniam enim minime dandam concluserunt, quod jam illa statim esset devorata, adeo prodigus æris essem contra Theologorum placita & laudabilem consvetudinem: aliquibus nihil omnino Eckio dantibus, quòd novam ingereret doctrinam ipsis incognitam.

Græcor. Imperat. vitæ.

Historiarum laus.

Legendæ Sanctorū frivola.

Eckii oratio cōtra Philosophos.

Eckii Diariū.

Tunc

Tunc demum conclusi Diarium, quamvis calcographo tunc occupato non potuerit excudi quamprimum volebam. Mitto Diaria ad bonos quosque de me meritos, etiam minus meritos, ut plus insanient. HECKMANNUM Sophicastrum, si pro integritate licuisset, etiam lascivienter admodum excantassem: sed habenda ratio fuit personæ meæ: nam de sua perparum, scrupulo etiam minus, curo. Adeo enim mihi absenti fuit commendatus, ut eum collegam habere in Theologia plurimum desiderarim: at hominem audiens, sophismata, sphinges, quisquilias artium, Theologiæ nugas ac inquinamenta accepi, etiam in re seria, pœnitentiæ videlicet & beatitudinis, ut tantum absit ut hunc hominem laudem, quod vituperare eum quasi necessarium sit. En is, quem clypeum studii vestri geritis, solidam Theologiam ubi gestavit, disputationes grandes & maturas pravis Logicalibus commaculans. Non de me loquor, quasi mihi possit obesse, cum adeo Sophismata ipsa deglutinarim, adeo fucatam illam Dialecticam fictitiam prorsus devoraverim, ut si cavillator egregius mihi in his obviaverit, egregie eum eludere norim. Sed hæc, ut canis è Nilo Obiter Diaria feci, quod pro cursu ætatis meæ quilibet faciliter judicare poterit. Consilium meum Quinque pro C. quod vestri Theologi noluerunt gustare, nisi ad Parrhisiorum Leu-

Heckmannus Theologiæ professor, reprehenditur.

Scholasticorum Theologorum nugæ & Sophismata.

Consilii Eckii.

Leucoteciam, ibi boni quique & doctissimi approbarunt, Joannes Major. Theologorum jam vel primus vel alter post primum. Disputavi nuper de Juramento. Ea materia, ut probe nosti, est potissime Jureconsultorum. Ita enim eam sibi arrogant. Eam his diebus raptim scripsi, Jureconsultis etiam quietem interturbans. Dum videtur transmittam. Sed jam ago tibi gratias pro Ægloga tua. Incompositam legas epistolam necesse est. Utut inciderit ita scribo, nullo accersito fuco, quod te virum bonum & mei amantissimum indicem. Sed audi, bone Vadiane: familiam tuam gentilitiam prædicas von Watt appellatam: sed antequam tuam reciperem elegiam exegeticam, Norinbergæ fui, ubi sunt cives optimi quidam & celebres, summates apud eos reputati. Hi tibi sunt cognomines: an ea sit familia, explorabo per insignia. Nam Sigismundus Imperator, à quo tuam familiam arma accepisse gloriaris, fuit alter parens civitatis Norinbergensis, ut ipsi plausibiliter fatentur. Vide, mi Vadiane, quorsum feror, qui paucula verba scribere tentans jam hanc semirigam papyri opplevi. At succedat altera in manus, & quod coram loqui nequeo, lituris aut literis pingam. Facultati Theologicæ scripsi, ut Heckmannum adhortentur, ac admoneant, ut sit verborum continentior. Nam si aliquando epistolæ ejus ad me

Jo. Maj. Disp. de Juram.

Vadianorū familia

Sigism. Imp. Norib. fautor.

redirent aliubi missæ, Rhenum, Danubium & Nicerum in hominem armarem. Quid facturi sint, non habeo exploratum, uti sunt titillosi (sic loqui me patiare) aculeata forte reperient in Diario verba, quæ minus probabunt. Tu quid submurmerent advertito, & Eckium certiorem reddito. Elucebrata interpretatione in Hispanum & Aristotelem Stagiritam, Elementarium edidi parvulum pro pueris incipientib9, pro his qui gustare Dialecticam volunt non devorare, pro repetitione Bacculariorum, ne tricis sophismatum & inanibus reticulis pueritia à Dialectica arte profecto non pœnitenda destineatur. Eo autem mitte consilio, ut si Lucas Alanthee aut alius bibliopola vellet habere aliquos C. vel CC. uti ei placuerit tot ad eum pro competenti & vendibili pretio mitterem. Nam expensis computatis vix minori pretio dare possum apud vos quam X. num. Viennensium: Nam hic Ingoldstadii (crede vera dicenti) IV. ass. vendo. Sed quia hic non per partes sed in summa collectim aliquos acciperet, ideo viliori pretio ei darem.

Interpretatio in summulā Petri Hispani & Organū Aristot. Element. Dialect. Quia taberna librari in nulla dū Francofurti.

Impera quod vis, Mi Vadiane, præcipe obtestor, manda si quo prodesse possum, & Eckium tuum non segniter ea exequi videbis. Si quid novum in literis aut nascitur aut renascitur, sed purgatius, fac ut videam. Vale Mi Vadiane vir doctissime & Rector Magnifice.

fice. Ex Ingolstadio, XVIII. Martii, Anno Gratiæ D.D.D.XVII.

EPIST. XXXV.

Parisios.

Joannes Baptista Egnatius V.C. Joanni Grolierio S.P.D.

AN vero, Grolierie optime, subiratum mihi esse Budæum, ferreque aliquanto gravius visum, cum Parisios forte rediisses, quod nihil humanitate hominis eruditissimi tanta dignum hucusque rescripserim? suppuduisseque adeo te ipsum appellationis tam acerbæ, ut si tibi tantum copiarum esset, quantum in me esse docti homines prædicant, facile quicquid ego conflassem cum Budæo nominis, id tuo ære expuncturus esses? Nec vero hoc satis esse putasti, quin preces in Epistolæ calce addendas esse voluisti, uti tandem humanissimo omnium homini responderem, nec cum mei nominis infamia tu collo obtorto in jus ad severissimi judicis subsellia rapiare. Quid igitur ego, bone DEUS, faciam? aut quo me tandem vertam? quippe qui duos mihi amicissimos, alterum certe de me ita meritum, ut post ipsum DEUM cui magis debere velim sit ne-

nemo, pene alienarim, atque ita ut nesciam uter justiorem causam in me accusando habeat. NamBudæus præterquam quod habet,in quo me summæ negligentiæ accuset : habet insuper & id, quo bene utatur, quod primus ipse tanta cum humanitatis significatione ad me literas dederit, ut nullus pene locus justæ excusationi relictus esse videatur. Jam cum nudius tertius in Tranquillum Cæsaresque meos Basileæ nuper excusos annotationes, & in his nescio quid ab Erasmo nostro de nummis scriptum legissem, ubi dissentire me à Budæo doctus alioqui vir & amicissimus asserebat, dum Portium sequor: animadverti aliquanto altius vulnus descendisse, quàm ego ab initio suspicatus essem, affecitque me vis minime expectata, uti solet, non admiratione solum, verum etiam molestia. Quæ enim mihi cum Budæo studiorum dissensio esse potest, ubi tanta sit animorum conjunctio? aut quæ testificatio mea honestior aut amplior esse potuit, tum benevolentiæ erga Budæum meæ, tum judicii, quàm ea, quæ à me in eis annotamentis adhibita est? Uti facile declararim me tantum in hoc studiorum genere Budæo tribuere, quantum mihi ipsi vix optarem: ut si aliter vel Budæus vel Erasmus sentit, næ ambo cum summo animi

Defendit ãnotationes suas in historias Cæsarũ contra calumniam Erasmi.

Budæi laus.

nimi mei mœrore id sentiant. Quare ego te Grolierie per eam animi propensionem, quam in doctos præ te fers, oro; per humanitatem & divinam istam tuam beneficentiam obtestor; per eam pietatem, quam tibi reliquæque genti debeo, adjuro, uti hunc Budæo scrupulum per literas etiam tuas eximas, meque illi ita concilies, ut intelligat vir doctissimus, esse in terris hodie neminem, cujus ego doctrinam magis admirer, de cujus ingenio libentius prædicem, quemque ego pluris faciam. Et sane memini etiam sæpe aliàs de eo me honestissime esse locutum, tum vero in familiari quodam sermone viris doctis astantibus aliquot palam id esse professum, quod ferunt Apollonium Molonis olim dixisse, qui cum Ciceronem Græce apud se declamantem audisset, in ea verba prorupit, ut ἐπαινεῖν μὲν καὶ θαυμάζειν αὐτὸν diceret: τῆς δ' ἑλλάδος οἰκτείρειν τὴν τύχην. δρῶντα μόνα τῶν καλῶν τοῖς ἕλλησι ἐλελοιπότων, καὶ ταῦτα τοῖς Ἰταλοῖς διὰ Κικέρωνα προσγενόμενα παιδίαντε καὶ λόγον. Et Apollonius fortasse vitio gentis peculiari dum invidet, hoc dixit. Ego vero ut nostros homines ad æmulandam Budæi laudem excitarem, testimoniumque virtutis ejus

 red.

redderem, ingenue plane & candide id retuli.

Nam ut alia quædam mihi desint, quæ ad rectam vivendi normam attineant, quæque bonum virum vel natura vel literis reddant; hoc certe mihi nunquam deesse passus sum, ut jejunum & malignum in me animum quispiam accusares. Nec ut liberius fortasse aliquem asperseris, sic hunc animi in me morbum non facile deprenderis.

Jam vero quod majus hominis excellenti virtuti testimonium tribui à me potuit, quam id quod Budæo in eisdem annotamentis ante nuncupatis à me tributum est? Cum ejus in Pandectas castigationes cum prælectiones ex Plutarcho ita celebro, cum libros ejus de Asse ita stylum fero, ut nihil ad meam laudem amplius aut honorificentius accedere optarem.

Atque ut ea fortasse mihi gravitas non adsit, quam præstem, & eximie Budæi eruditio merita est, sic certa fides & voluntas ea extitit ut nesciam quid uberius aut candidius exhibere licuerit.

Quare non possum non vehementer admirari, quid tandem Erasmo in mentem venerit, ut etiam aliud agens de studiorum dissensione nostrorum, præsertim falsa, publican-

candum sibi censuerit, cum Budæi vestigia me sequi profitear, cum doctrinam hominis tantopere laudem, & ejus præsertim libros quinque de Asse.

Sed homo alioqui doctus cum numerorum rationem non probe calleat,& scriptione multa sese oblectet, & sibi plus æquo placeat, dum modo aliquid edat, quid tandem dicat non satis pensi habuit. Ita fit ut dum verborum copiæ studet, minus res observet. Quod si maturare sibi pateretur diutius ea quæ parturit, pareret ille sæpe eos liberos, qui & vitales essent, nec vitiosi illi & morbosi sæpe in lucem prodirent. Erasmi vituperiũ

Sed de Erasmo & ad Erasmum plura alias. Tu interim bene ac feliciter vale, meque Cælio nostro commendes plurimum. Venetiis, Nonis Januarii, M. D.XVIII.

EPIST. XXXVI.
Coloniam.

Hermannus Buschius Johan. Gymnico Hissindiensi, Auditori domestico S.

NUper Æssindiæ quum ageres, illusisse tibi dicis nescio quem, quod *juventa* pro juvenilitate sive ætate juvenili dixisses, respuente illo, Juventa.

illo, nec sine effuso cachinno, vocis hujusmodi insolentiam, quasi quiddam penitus barbarum & exoticum, quod se censore & Aristarcho, so-
Juventa. lum *juventus* Latine & recte diceretur, non etiam *juventa*, quod tibi tum forte exciderat. Expectas, cui ego accedam. Ego, mi Johannes, tibi omni, ut ajunt, pede accedo, & toto vertice annuo. Quidni annuerem? cui video in hac lite suffragari omnes, quoscunq; habet assertores Latina elegantia. Dicitur enim non *juventa* solum ut juventus, sed *senecta* quoq; ut senectus, etsi nonnihil distent in significatione. Nam *Juventa & juventus*, ut Marcellus inquit, *hoc differunt: Juventus, juvenes ipsi sunt. Virgil. in VIII.*

At patiens operum parvoq; assueta juventus:
Juventa, ætas ipsa, vel juvenilitas. Virgilius. V. Æneid.

Et flavos crines & membra decora juventæ.

quod exponens Servius commentator. *Juventa est ætatis*, inquit, *qvum juventus sit personarum, ut*; —— *Rebus spectata juventus.* Quod adeo frequens est, ut mirum sit scholasticum, hoc est, scholæ præfecturam gerentem, ignorare potuisse. Ovid. IV. Metamorphos.

—— *Tibi enim inconsumpta juventa.*

Tibullus eleg. IV.

Solis æterna est Phœbo Bacchoq; juventa.

Papinius I. silvar.

Ergo age, junge choros, atque otia deme juventæ.

Idem;

Idem: ——— *Longe viridis sic flore juventæ*
Perdurent vultis, tardeq; hæc forma senescat.
Claudian. in Consulatum Manlii:
——— *primæq; senes cessere juventæ*, inquit.
Id in Rufinum: ——— *Frustraq; juventæ*
Consumis florem patriis inglorius arvis.
Lucretius libro V.
Tum demum pueris ævo florente juventa
Occipit, & molli vestit lanugine malas.
Flaccus I. Argonauticon:
Turba ducum primæ seu quos in flore juven-
Tentamenta manent ——— *(tæ*
Prudentius Clemens contra Symmachum:
Armorum dominos venerantes flore juventæ.

Sed ne ista poeticam licentiam vocet, & huc tanquam aram, confugiat, sciat etiam cæteros sic locutos. Flores lib. 1, *si quis ergo*, inquit, *populum Romanum quasi hominem consideret, totamq; ejus ætatem percenseat, ut cœperit atq; adoleverit, ut quasi ad quendam juventæ florem pervenerit*. Et mox infra: *Dehinc ad Cæs. Augustum*, inquit, *CCL. anni, quibus totum orbem pacavit. Hæc jam ipsa imperii juventa & quasi quædam robusta maturitas*. Val. Maximo l. VI. de pudicitia: *Tui numinis respectu*, inquit, *sincerus juventæ flos permanet*. Sed quoniam res est per se notissima, plura testimonia non proferamus, ne una eademque opera quietem hujus interpellemus, & doctis nos ridendos ob hæc puerilia propinemus. Te autem, mi Johannes, amo &

laudo, quia indies avidiorum ad honestas literas video. Proinde non *Gymmich*, ut vernaculi tui solent, sed *Gymnicum* te, hoc est, literarum & gymnasiorum primarium amicum, nisi id mihi non permittis, & appello ipse, & apellandum aliis commendo. Invitatus his tuis moribus cōmentarium in Firmiani Hymnum de Christi resurrectione, quē intra Paschales has ferias post peractam ex more rem divinam, ne reliqvum tempus omnino sine alba, quod ajunt, linea efflueret, absolvi, ut nosti, mei erga te animi judiciiq; certissimum testimoniū mitto. Habet certe hoc Firmiani carmē versꝰ aliquot haud quaquam cujusq; intelligentiæ expositos, & à nemine adhuc, quod equidem sciam, satis diligēter animadversos. Unus aut alter paucula quædam vocabula ejus Hymni vix attigit, præterea nihil: sensum vero quasi planum & nulliꝰ operis egentem, penitꝰ intactum dimisit atq; præteriit. Ego autem quantum effecerim, non meum, sed aliorum judicium esto. Non dubito sane, quin excipiar, non cum risu modo, sed cum morsu etiam, à quibusdam nasurioribus Grammaticis, quod in isto impolito, (quis negat?) cōmentario meo haud secus ac sutor ille Apellis ultra ansulas & crepidas ascendens quandoq; Theologica quædam etiam disserere ridicule ingressus sim, virium & ordinis mei oblitꝰ. Sed hæc, ut alia multa, æquanimiter toleranda sunt. Quis est ille, qui omniū nasum effugere possit?

Ve-

Velim tamen Ariſtarchuli iſti hoc mihi reſpondeant, quo tandem pertineat, vel cujus magni uſus ſit, anxie nimium obſervaſſe, quænam ſit *prima tellus* apud Maronem I. Georgicorum dicentem:

——— Tuq; ò cui prima frementem
Fudit eqvum tellus magno percuſſa tridente.

Utrum ſimpliciter *prima tellus* ibi pro litore, ut Servius autumat, accipienda ſit, an alia hiſtoria remotior, vel fabula potiꝰ obſcurior lateat. Item quo ſenſu *paſſerem Catulli* accipere conveniat: aut quæ volucris fuerit concordiæ ſymbolum, Cornix an Ciconia apud Satyricum. Hæc & mille alia his adhuc frigidiora ſi invenire & magno deinde tumultu circumferre illi ſibi glorioſum exiſtimant: qvur mihi quoq; ego nõ ducam honeſtum, vel etiam multo honeſtius, ſi quæ ex Hieronymo & Auguſtino, cæteriſq; ſacris authoribus obſervare potui in ſanctiſſimo & graviſſimo hoc carmine enarrando aſſumerem? Neq; id, ut fortaſſis aliquibus videbitur, ullius jactantiæ vitio fecimus, ſed ſtudio juvandi imperitiores, & exactius explanandi ea quæ videbantur paulo ſeduliorem interpretis diligentiam deſiderare. Quod ſi non ſumꝰ undequaq; aſſecuti, ut omnibus etiam vitilitigatoribus ſatisfaceremus, voluiſſe tamen abunde pulchrum atq; magnificum eſt, vel teſte Plinio graviſſimo ſcriptore. Nam omnibus bonis in rebus ut etiam inquit Apulejus, conatus in laude,

de, effectus in casu; & sicut ad pœnam sufficit meditari punienda, sic ad laudem satis est conari prædicanda, Vale.

EPIST. XXXVII. S. Galli.

Petrus Mosellanus Joachimo Vadiano suo S. P. D.

SI tibi tua peregrinatio per omnia cessit feliciter, Vadiane clarissime, est quod magnopere gaudeam. Nam ita me tibi devincivit illa, quam tecum biduum habui, consvetudo, ut de tuarum rerum eventu non possim non esse solicitus. Quapropter qvum te jampridem apud tuos constitutum suspicer, has ad te hujus meæ erga te benevolentiæ testes dare volui. Literas, quas ex itinere ad me scripsisti, libentissime legi, maxime quod in eis te conductitii comitis sumptibus levatum cernerem. Amicos, quos jussisti, tuo nomine reverenter salutavi omnes. Ei te totidem verbis resalutant, suumque officium in tempore pollicentur. *Quintiliani* mei codicem, de quo cum hic adesses loquebamur multa, non credis quanto desiderio expectem. Quod si ad nos venerit, pollicemur cum optima & certissima fide ad suos dominos rediturum. Tuum erit in hoc extorquendo ad utilitatem publicam respicere. *Higinum* castigatissimum mea opera Vadianus haud dubie habebit. Henricum Clareanum, si quando scribes homini, meo nomine plurima salute impertias ve-

Quintil. Higinus: qui nunc multo plurimis locis auctor in Civica S. Galli, quę est in D. Magn. Bibl. asservatur.

velim. Pluribus hoc tempore tecum agere non queo, brevi accuratius de multis ad te scripturus. Commentarios tuos in Melam vix tandem nobis bibliopolæ attulerunt. Bene vale, & doctis istic agentibus fac me commendatum reddas. Lipsiæ, quarto Nonas April. An. M.D.XIX.

EPIST. XXXIIX.

Martinus Dorpius Erasmo Roterodamo sacræ Theologiæ professori undecunq; doctissimo S. D. P.

CAve credas, mi Erasme (nam hoc solum nomen ita nunc est doctrinæ, excellentiæque nomen, ut nihil sit adjiciendum) cave credas (inquam) ullum esse omnium amicorum tuorum, quos tu sane pro ista eruditione, istisque tam candidis moribus plurimos habes, ubique ferme, qua patet Christiana ditio, sparsos, qui te sinceriore complectatur amore, quàm ego, primum olim tibi familiarissimus: deinde nuper cum hic esses, humanissime abs te jussus accersi pene solus. Postremo (quod in prima parte puto) conterraneus etiam tuus, ut ne dicam tantus admirator ingenii, præcoq; gloriæ tuæ, quantus nemo alius. Proinde quicquid ad te, quamvis libere, scribam: id ex amicissimo proficisci pectore tibi persvadeas, ut tuo nomini consulatur. Nam tua arbitror, refert, rescíscere, quid de ab-

Moria Erasmi. absentia vulgo homines sentiant. Primum itaq; scito Moriam tuam multum omnino turbarum excitasse, idq; inter tui nominis pridem studiosissimos. Quis enim non candide faveat isti pectori, quod sibi musæ, quod sibi philosophia, quod sibi Theologia gratissimũ deligit hospitium? Nec defuerunt tamen, uti & nunc minime desunt, qui rem graviter excusaverint, sed qui omnibꝰ numeris probarint ii sane fuerunt per pauci. Quid enim inquirunt etiam si verissima scripserunt, nonne dementiæ est, nihil aliud se fatigando, quam odium quærere nonne stultum sit, si vel optimam agas fabulã, quam nemo sportet inoffensus, quaq; plurimi offendantur? Jam vero Theologorũ ordinẽ, quã tantopere expedit nõ contemni à plebe, quid profuit, imo vero quantum oberit, tam acriter suggilasse, ut donemꝰ interim vera dixisse, de quibusdã. Præterea de Christo, vitaq; beata, an hoc pię aures ferant, quod illi stultitiã tribuat, hanc nihil aliud futurã dicat, quam demẽsum quiddam? Neq; enim quod falsum est, id solum esse scandalo, sed quicquid infirmis fratribus possit esse ruinæ occasio, pro quibꝰ æquæ, ac pro magnis sophis, animã suã Christus impendit. Multaq; in plerisq; cõciliis damnata fuisse ejusmodi, alioqui verissima, id quod de concilio Constantiens. Gerson. Doctor perclarus, quiq; ejus pars magna fuerit, affirmet. Equidem mi charissime Erasme, quid ego iis argumentis respõde-

derim, longum foret narrare, certe nunquam obmutui nunquam ceſſavi quod ex te tua eſſe cenſuerim, animadvertere, non modo quid ii de te loquantur,ut amuſi,ita neutiquam mali, verum etiam,quid peſſimꝰ quisq; effutiat,quo poſſit vel coram ab amicis, vel abs te abſente literis repelli.Neq; eo confugias velim quid ad me pertinet, quidnam blaterones iſti illiterati ac barbari moleſte obſtrepent?Mihi quidem ad conſcientiam abunde ſatis eſt doctiſſimus quibuſdam me meaq; probare, & ſi ab iis,qui damnet, numero ſuperatis. Quid enim vetuit & parum Literatos (ne dicam barbaros)tuam eruditionem admirari, prædicarer atqui(quod ſedulo prius factitabant,in cœlum ferre? Deinde quid inde fructus, imo vero quantum mali, ſi iidem illi offenſi palinodiam canant, detrahant, calumnientur, ac toto agmine,tuo infeſti nomini, obſcurare nitantur? Aſperæ facetiæ, ubi multum eſt veri admixtum, acrem ſui memoriam relinqvunt. Pridem,mirabantur te omnes, tua legebant, præſentem expetebant ſummi Theologorum, ſummi etiam Juriſconſultorum,& ecce repente infauſta Moria quaſi Davꝰ,interturbat omnia.Stilum quidem & inventionem acumenq; probant, irriſiones non probāt,ne literati quidē.Et profecto mi Eraſme multo erudiriſſime, quid iſtuc ſit velle literatis ſolis placere, neutiquā intelligo. Nōne præſtat vel à ruſticis probari,quam reprehendi? nonne

vo-

volupe est, si vel catelli cauda velut amicitiæ symbolo blandiantur ? Sed ut bonus sis, recteque facias præstare potes, ut alii de te bene sentiant, ut nihil obloquantur, id præstare videlicet non in tua manu. Ideoque CHRISTI exemplo Pharisæos contemnis : utpote malevolos, cæcosque ac duces cæcorum. Audio sane mi Erasme longe omnium charissime. Atqui humanum patiuntur, qui te tuaque damnant, vel oderunt, infirmitate faciunt, non malitia: nisi putes sola humanitatis studia, non etiam philosophiam, non item sacras literas bonos efficere. Occasione faciunt, non accepta solum ab eis, verum etiam abs te, ut videtur, data, quam ut ne dares, in te situm erat. Sed quid, inquies, faciendum tandem? Quod semel factum est, fieri non potest, ut non sit factum. Cupio mutare consilium, cupio ut quicunque amice unquam faverint, ii nunc etiam faveant. O mi Erasme Mellitissime, ô si istuc dicas à me persvasus, ô si istuc sentias. Tibi pro ista industria non deerit consilium, neque convenit, ut ego tibi Minervæ sus. Sed spero pro meo captu omnia consequeris : si contra Moriam composueris sapientiæ apologiam, eamque edideris. Argumentum est fœcundum: dignum tuo ingenio tuisq; studiis, amabile gratissimumque futurum universis, & quod multo plus tibi est favoris, amicitiæ, celebritatis, addo etiam

am emolumentum, etsi hoc contemnas, conciliaturum, quam Moria ista tam, uti videtur, inauspicata. Habes meum consilium, quod sive probes, sive minus: ego certe tuus sum, eroq; semper. Quod reliqvum est hujus tam verbosissimæ epistolæ argumentum: audio te divi Hieronymi epistolas à mendis, quibus perscatebant, repurgasse, adulterina ingulasse obolis, obscura elucidasse, rem profecto te dignam; ut qui de Theologis optime sis meritus, iis potissimum, qui sacris literis ornatum elegantiamque convertere volunt. Sed novum quoque testamentum te castigasse intelligo, & supra mille locos annotasse, non sine fructu Theologorum. Hic denuo est quod amicissimi amicum commonitum esse volui, & taceo in primis quod Laurentius, & Jacobus Faber eadem in harena desudaverint: quos tu quidem, nihil ambigo, longe superabis. Verum cujusmodi istuc sit sacras literas castigare, idq; latinos codices ex græcis, dispiciendum est. Nam si ostendam Latinam translationem nihil habere falsi, erroris-ve admixtum, nonne fateberis supervacuam esse operam omnem, qui eam student emendare, nisi subinde admoneant, sicubi significantius quippiam interpres vertere potuisset? Sed ego nunc de veritate integritateque disputo, eamque nostræ pervulgatæ Editioni assero. Non enim est consentaneum

Testamẽtũ castigandi ratio.

Laurent. Valla: Jac. Fab. interpp. N. Test. notatur.

universam ecclesiam tot jam seculis errasse, quæ & usa est semper, & mire quoq; tum probat, tum utitur hac editione, neq; simile est vero, falsos fuisse tot sanctos patres, tot consummatissimos viros, qui eidem innixi, arduissima quæq; in conciliis generalib9 definiverunt, fidem defenderunt, elucidaruntq;, ac canones ediderunt, quibus & reges suos falces submiserunt. Et hujusmodi concilia rite congregata nunquam errare, quatenus fidem contingunt, apud plurimos tum Theologos, tum jureconsultos in confesso est. Quod si qua nova necessitas novum exposceret generale concilium, hanc dubio procul editionem sequeretur, quoties de fide nodus incideret. Aut ergo temere fatendum est fecisse patres, temereq; facturos si hanc editionem, interpretationemq; sequantur, aut eam veram, integramq; esse. Quid autem, an libros græcos credas esse latinis emẽdatiores? numquid illis major fuit, quàm latinis cura integre servandi libros sacros, apud quos Christiana religio sæpe numero sit labefactata, quiq; præter unum Joannis Evangelium cætera omnia affirmant nonnihil erroris continere, ut alia interim taceam, cum apud latinos semper inviolata perseveraverit, sponsa Christi ecclesia? Jam vero quinam scias te incastigata (si modo pluscula sis nactus) inedisse exemplaria, ut vel maxime donem aliqua esse græcis, castigata? His ratio-

rationibus adducor, mi Erasme, ut Laurentii Fabriq; operas, non ita magnifaciam, nam contemnere nihil volui non omnino malum. Neq; video quid illi tanto molimine contulerint, nisi quoties significantius (ut dixi) aliquid verti potuisse admonent, hoc libenter recipio, si quando etiam græcissasse interpretem, si quando barbare vertisse notent. Nam elegantius multo verti potuisse, quis nescit? Quod si sententiam à latino interprete redditam, à græco codice veritati contendunt, ibi vero valedictis græcis, latinis adhæreo quod animum induere non possim latinis codicibus græcos esse integriores. Atqui Augustinus jubet latinos rivulos ex græcanicis fontibus irrigari. Ita sane ipsius seculo, quo neque ita erat ab ecclesia recepta una aliqua editio latina, neque ita corrupti græci fontes, ut nunc esse verisimile est. At enim dices. Nolim in tuo codice quicquam immutes, neque credas falsam esse latinam editionem, solum ostendo, quid in græcis voluminibus deprehenderim, quod discrepet à latinis, & hoc quid officiat? Ita me hercle officiet, mi Erasme. Nam de sacrarum literarum integritate plurimi, disputabunt, multi ambigent si vel tantillum in iis esse falsi, non dico ex tua opera didicerint, sed narrantem duntaxat quempiam audiverint, & fiet, quod Augustinus scribit ad Hieronymum.

Si ad ſacras ſcripturas admiſſa fuerint, vel officioſa mendacia, quid in eis remanebit autoritatis. Hæc omnia me induxerunt, chariſſime Eraſme, ut te orem, obſecremque per amicitiam inter nos mutuam, quam tu abſens tueris, perque nativam humanitatem, candoremque tuum, ut vel ſolos illos novi Teſtamenti libros emendes, ubi manente ſententia ſignificantius aliquid ſubſtituere potes; vel ſi omnino ſententiam mutandam eſſe annotabis, his rationibus in epiſtola liminari reſpondeas. Habes epiſtolam prolixam ac ineptam, ſed quæ tibi ingrata eſſe non poteſt, utpote ab amantiſſimo tui profecta. Theodoricus Martinus Aloſtenſis Chalcographus noſter, qui Enchiridion, & Panegyricum impreſſit, oravit me, uti ſe commendem tuæ humanitati. Cupivit plurimum videre te, cupivit hoſpitio liberaliter excipere, & ea de cauſa Antvverpiam profectus, ut reſcivit te non illic, ſed Lovanii eſſe, illico recurrit, ac totam noctem ambulans, venit poſtridie Lovanium, ſeſquihora ferme poſtquam abiviſſes. Si qua in re poteſt tibi gratificari, omnia pollicetur, & haud ſcio, an omnium hominum vivat homo tui amantior. Catonem abs te caſtigatum, mihique creditum, caſtigare impreſſit, me erratorum vindicet. Eã operam M. Joanni Nævio Lilianorum Gymnaſiarchæ (uti juſſiſti) dicavi, qui te ob hoc be-

beneficium ita complectitur, ut cum redieris, sis aliquando sensurus. Editionum tuarum si aliquam D. Abbati Hæcmundensi patrono meo dicaveris, scio gratissimum illi futurum, & beneficium haud illiberaliter pensaturum. Quod ut facias, te etiam atq; etiam oro. Hollandus est, & Hollandiæ nostræ primas religionis, vir doctus quidem, sed religiosior tamen, quàm doctior, tametsi omnes doctos non mediocriter amet, ut qui sibi, si usu veniat, multis in rebus possit esse auxilio. Nomen ejus est Menardus Vir. Vale doctissime, mihiq; multo charissime Erasme.

EPIST. XXXIX. S. Galli.

Sebastian. Mynsterus Joachim. Vadiano S. D.

VOlueram tibi mittere, clarissime vir, unam ex tabulis Helveticis, quas curavi hic imprimere, nisi Froschotterus me monuisset tibi unam ex Tiguro misisse. Cum itaque is imprimendi modus nobis mediocriter successisset, & artem aliquam apprehenderimus fundendarum integrarum dictionum, deliberavimus ego, Henricus Petri, & Michael Isengrinius hoc pacto excudere Cosmographiam Claudii Ptolomæi, non quidem in tanta forma ut hactenus à multis fuit impressa, sed in ea forma in qua annotationes tuæ in Me- Ptolomæi Cosmographa.

Melam sunt impressæ. In tabulis ponemus insigniores duntaxat civitates: reliquas vero ordine alphabetico ponemus in cujuslibet tabulæ ocioso aliquo spacio, puta in margine vel attingente aliqua regione, ab illa tabula extranea. Pro hoc autem opere utemur Ulmensi editione & novissima Lugdunensi exemplari, in quo non parum laboratum est, adhibito potissimum Græco exemplari, ut hic ante quadriennium à Frobenio est excusum. Nova, quæ hactenus accesserunt, in fine addemus, & præterea doctorum virorum suppetias desideramus. Fui præterea apud Glareanum Friburgi, accessi & Ægydium Tschudum, quin & Beato Rhenano scripsi & consilium suum pariter & subsidium efflagitavi: sed ille ad te me mittit, quod alioquin eram facturus. Tu enim plurimum præstare poteris nobis in hac re, qui jam dudum Viennæ cum magna laude nominis tui & auditorum utilitate Ptolemæum prælegisti atque compendium in eundem dictasti, quod me contigit hîc videre, quamquam plurimum esset corruptum & pessime transcriptum. Non parum ornaret talè compendium à tanto viro editum Ptolomæum fini operis adjectum. Habemus & Wernherum Nurnbergensem, qui ante aliquot annos in præfationem Ptolemæi scripsit. Tu itaq; doctissime vir, noli nobis in hoc opere deesse, sed indica nobis consilium tuum, aut si opus fuerit

rit mutuo colloquio, non dedignabor hinc ad te aſcendere. Nulla tabula adhuc eſt impreſſa, licet quatuor ſint ſculptæ alias miſiſſem tibi formulam noſtræ editionis. Vale, vir optime Helvetiorum decus. Baſileæ, Dominica poſt aſcenſionis.

EPIST. XL. S. Galli.

Joannes Doringus Joach. Vadiano ſuo S. D.

Lucius Exuperantius, quem coram jam vides, orator & facilis & argutus plus ſatis apud malos quoſdam cuſtoditus Jugurthinam hiſtoriam ſtilo admodum conciſo ac facili conſcripſit. Equidem exemplar repperi, dum Baſileæ agerem, in Cœnobio illo Prædicatorum certe ſummæ vetuſtatis, verum mutilum adeo ut nonnullis in locis vix literarum veſtigia liceat deprehendere. Atqui id quidem non obſtitit, quo id libri minus ad exemplar deſcriberem, ita antiquitate delectatus etiamſi utcumq; adhuc doctus ac diligens. Tuum jam erit Exuperantium ita antiquitati reſtituere, ut recens jam natus Vadiano parente in lucem emergat, alioqui nunquam emerſurus. Vale Heroſoii, XIII. Calendarum Junii. L. Experatius.

EPIST. XLI. Eôdem.

Doringus Vadiano ſuo S. D.

ET de *Salluſtio* & de *Exuperatio* plane tecũ ſẽtio, & uterq; dictione elegãti pariter ac plane Exuperantius.

ne Laconica historicus Latinissimus. Porro vehementer abs te contendo Exuperantium, ne situ pereat, studiosis omnibus impertias, quem adeo jam seculum desiderabamur. Aut si hoc arrogantius, tuo arbitrio utitor & Doringum ama. Bene vale Herosoi, XII, Calendis Junii.

EPIST. XLII. Eôdem.

Doringus Vadiano suo S. D.

Plutarchus.

CUm jam Plutarchi Chœronensis *de capienda utilitate ab inimicis* libellum legerem, commodum ejus autoris dictum illud grave ac in primis Philosophicum mihi veluti divinitus objicit sese: *Opinor quod & natura sim taciturnior, nimirum hoc Silentium cum ubiq; est innoxium ne dum adipson, velut ait Hippocrates.* Verum remoratus ibi nonnihil neq; mihi confidens in his maxime, quæ sunt τὰ φυσικὰ, audeo tua facilitate fretus humaniter te, hoc est tuum Hippocratem, in consilium vocare, ita interim docebis, quid hoc sibi velit *ne dum adipson* illud Hippocratis. Vale, Herosoii, XVI. Calendas Julii, anno à Christo nato, M.D.XIX.

Hippoc. ap. Plut. lectio inquiritur.

EPIST. XLIII. Eôdem.

Doringus Vadiano suo S. D.

Damasc.

TArdene ego reddo tuos libellos per Musas doctos certe & eruditos, Vadiane Doctissime. Porro Damascenus *de viventium bonis operibus* neq; plane neq; ubiq; animo satisfacit meo,

meo, ut interim minime displiceat id libri Doringo tuo. Deinde Nazianzenum lubens probarem, nisi arrogantius id esset. Deniq; Thalassium, ut mea est simplicitas, mira cum sanctitas tum doctrina commendat. Ex Græco exemplari Græca quædam, quæ passim sententiam explicent, adjecit Oecolampadius eruditior quàm Latinior. Sed quid ego hæc tibi, qui naris es emunctissimæ. Tu stultitiam meam boni consule. Vale meum delicium. Herosoiæ, tertio idus Novembris, Anno à Christo nato M. D. XXI. Nazianz. Thalass.

EPIST. XLIV. S.Galli.

JOannes Alexander Brassicanus rogavit ERASMUM, qua ratione doctus posset fieri, respondit ex tempore: Si doctis assidue conviveret; si doctos audiret non minus submisse quam honorifice: Si doctos strenue legeret: Si doctos diligenter edisceret: Denique si se doctum nunquam putaret. Antverpiæ in ædibus D. Petri Ægidii, Anno à nato Jesu M. D. XX. Mensis Septembris die XXVII.

Quantum ornat nostram famam Vadianus amicus,
Tantum illi forsan Brassica honoris erat.

Vadiano suo, amico humaniss. atq; doctissimo dono mittit Brassicanus Eques Auratus.

EPIST. XLV.

Vratislaviam.

Erasmus Roterodamus R.D. Domino Joanni Tyrzoni Episcopo Vratislao S.P.

Literas tuas, Ornatissime Præsul, non minus bonæ mentis quàm doctrinæ, quàm eloquentiæ, quàm humanitatis præ se ferētes. Plane dignas judicabam, quæ in tui nominis gloriam ederentur, in meam gloriam immodice prædicarent. Nec ita multum abfuit, quin me nitore suo à rescribendo deterruerint: sed malui famæ detrimentum accipere, quàm parum humanus videri. Essem autem inhumanissimus, si à tanto Præsule talibus literis provocatus prorsus obticuissem. Tantum autem abest, ut pudeat me vinci à junioribus, ut vehementer & gaudeam & glorier seculum nostrum priscæ barbariei veternum exuere, & in optimis literis feliciter reflorescere.

Neque hic ullam laudis partem mihi vendico, nisi si quos nostræ lucubrationes expergefecerant ad meliora studia, ne me putes agnoscere laudes, quas mihi candide magis quàm vere tribuis. Porro novum non est apud Hungaros esse præclara ingenia, quando Janus ille Pannonius tantum laudis meruit in carmine, ut Italia ultro illi herbam porrigat. Pisonis, cujus memoriam mihi refri-

Jan9 Pan. Piso,

fricas, tam jucunda est recordatio, quàm olim Romæ jucunda fuerat consvetudo. Quid enim illo doctius, aut quid festivius? Ego hunc præceptorem magis gratulor Serenissimo Regi vestro, quàm regnum ipsum. Fuerunt & hic, qui me Ferdinando Principi præceptorem dare vellent. Et est adolescens prorsus indole divina, docilitate incredibili, probitati virtutiq; natus, ad hæc amabili quadam morum gravitate. Sed erant, cur me nollem aulæ committere. Is tamen, ut ipse mihi rettulit, libellum *de Principis institutione* semper habet in manibus. Velii carmen legens, quod proxime mihi redditum est, Lucani tubam audire videor. Dignus ille, qui magnos Reges decantet non Erasmum. Nunquam autor tibi fuero ut, quemadmodũ scribis, octo dierum itinere ad hujus homuncionis spectaculum accurras. Nam sat scio & te pœniteret itineris, & ego nonnullam existimationis meæ jacturam apud te facerem, si quid Erasmi visendum in libellis nostris conspicatus es. Ceterum nec ego sum Livius, nec tu Gaditanus quispiam barbarus. Quod autem insuper munus adornas, an non hæc tua epistola, qua mihi pectus istud tuum dicas, amplissimum est munus. Mihi certe nullum tui pignus exhiberi potuit charius, maxime quod nõ gravata sit tua celsitudo tam prolixam epistolam propriis digitis describere. Bene vale. Lovanii An. M. D. 19. 11. Kalend. Majas.

Ferdin. Regis indoles.

EPIST.

EPIST. XLVI. S. Galli.

Joan. Faber Vicarius Constantiensis Joach. Vadiano suo Amico incomparabili S.D.

BAsileam veni non ut meas lucubrationes illic velim excudi, sed ut Principi illi meo, quem nosti, obtemperarem; tamen credere noli, quod eo tempore, quo Basileæ mansi, rei literariæ ac studiosorum hominum fuerim oblitus, siquidem Beatum Renanum ac reliquos bonarum literarum amatores adivi, cum his non solum de hoc Lutherano tumultu, imo & aliis multa communicavi. Meas nugas ostendi Beato duntaxat & Pellicano, quamquam nec caput nec caudam haberent, imo (ut vera loquar) vix interim & ante triduum manum de tabella deposui. Sed qui fieri potuisset ut mei Vadiani oblivìscerer, qui diebus ac noctibus inter omnes quos diligo (diligo vero multos) primus habetur apud omnes creberrimo celebratus præconio? En dispeream, si non eadem Jo. Crat. laus. hora, qua Basileam veni, Cratandrum tui causa adierim. Dedi literas, quas pro locupletando certo quodam loco Thuregum miseras: legimus istas jam occiduas undas lambente Sole: contulimus nonnulla, modo ut omnia recte pro tuis votis agerentur. Postridie redii, ut tamen viderem, qua diligentia, quibus typis tua

per-

perficerentur, & comperi bonum hunc virum in tua fœtura quotidie non parva diligentia sudantem, imo ne quid illi posses impingere, ipse Cratander quodam servo laboranti sebricula numerabat alphabetum, quo tua possent excudi propensius ac citius. Nec morabitur ut scio: nam prope finem erat Pomponius, restabat ut quæ contra Camertem lusisti jam in manus sumeret. Tu ergo nihil mali suspicare de Cratandro. Homo est, cui non est judicium puerile aut tetricum; tua probat & te Auctorem vehementer amat observabitque perpetuo. De Erasmo, ubi degat, rationem aliam reddere non possum, quàm quod Lovanii agat. Testantur literæ, quas ille ad Beatum misit de mense Majo, quibus de Luthero quid velit & quid sentiat, totus erumpit. Sentit autem, Luthero non licuisse, ut jus Pontificium incendio perderet, aut captivitatem Babylonicam emitteret. De reliquis taceo, ne me suspectum habere possis: quanquam & hanc suspicionem facile possem excutere, siquidem in hanc horam nihil contra Lutherum egi, nec quicquam emisi. Quod si intra parietes mussitem, quid hoc Luthero obesse poterit? Pigmeus sum, qui nihil, quod laudem mereatur, præstare valeo. Sed audi, sunt quidem Dialogistæ jam pridem à Diomede & Prisciano soluti, qui forsan me nescio quæ & quanta moliri suspicantur, ii, ut intelligo, minantur mihi Dia-

Erasmi judic. de Luthero.

Dialogos nescio quos impudentes: ii se Fabrū absterruisse credunt. At totius instituti mei tibi rationem pandam. Et si Tragœdia olim cœpta in spongiam abierit, tacebo. Quod si nolit hæc factio tranquillitati studere, forsan Faber monstrabit orbi & in veteres, quos hoc hominum genus dejicit ac spernit, pervenisse Spiritum Dei. Tamen hic nolim expectes vel fulmina vel quævis convitiorum jacula: nec prodibit quicquam, ni te censore usus fuero. Hodie tribus Monachis, hoc est Cajetano, Sylvestro, ac Catharino scripsi: respondi & Eccio ac Regio, & vix tantum temporis habeo, quo doctæ farinæ hominibus respondeam. Quare si rarior forte scribendo sim futur9, pro tua nativa mãsvetudine boni consulas rogo. Ceterū quod à Fabro tuo de Dionysio judicium expectas plurimum miror. Quid ego analphabet9 in re tam dubia judicare possum ac debeo? tutius esset rē silentio præterire, quàm incautè quid sentiam proferre. Sed in eo Vadiano quid denegare possem? Vallā in Annotationib9 vidi, quē & sequitur noster Erasm9 undiquaq; doctissim9. Huj9 argumentum primum est, Athenas non venisse hanc tenebrarū nubem, cuj9 meminit Matthe9. Et ego hic plus Suidæ credendū puto, qui refert eo tempore, quo passus est Christus, Dionysiū studii causa in Ægypto fuisse una cum Apollophane Sophista. Et hic, utpote in Ægypto, forte Dionysi9 apertius perspicere potuisset, quid cum

Dionysii Areopagitæ an sint scripta, quæ circūferantur. Valla & Erasmus reprehēduntur.

cum hisce tenebris factũ fuerit in terra Judæorũ, quã si fuisset Athenis. Hunc itaq; quãdo Valla dicit Athenis fuisse, sine Authore loquitur. Nos, quod hic adserim9, stipati autore nõ pœnitendo adseveramus. Et fieri potuit ut transiens hunc locũ sanctum & Athenas veniens Paulus, Dionysius memor fuerit non tam verborũ Pauli, quã & facti miraculosi. Nec Paulus mox post passionem Athenas petiit, immo post aliquot annos illuc venit, quod nõ modo Apostolorum Acta testantur sed & epistola ad Galatas expresse comprobat. De tenebris autem super universam terram nolo hic plura differere cõtra Origenem Adamãtium. Sed non videtur argumentum esse quod perpetuo subsistat, siquidem ab auctoritate negative toto die Dialecticis clamantibus nihil stabiliri commode potest. Et miror in Valla homine tam nasuto, quod ab hoc loco topico non in uno loco duntaxat hærere non formidet. En donationem Constantini ea propter minime factam credit, quod illius nec uno verbo meminerit Eutropius. Et hic illi respondeo : Christus visus est plus quam quingentis fratribus, ut est in priori epistola ad Corinth. c. 15. Hujus non meminit Evangelium : ergo Evangelium ea propter corruat necesse est, absit. Sed ut contra Vallam directo pugnemus, nunquid non sub Alarico Rege Gothorum anno post urbem conditam M C. LXIV. urbs tota deruta

Paulus quando Athenas.

Tenebræ patiente Christo. Origenes

Cõstantini donatio.

est

est atque vastata. Sed causæ & ordinis non meminit Eutropius, quam rem non parum miratur Procopius. Sed quia totus es Pomponianus, ad Pomponium non tamen Melam sed Lætum venio. Nunquid non Pomponius Lætus scribit, Constantinum post conditam novam urbem, quam à se Constantinopolim Byzantii nomine mutato vocâvit, Mariæ Virgini, quæ sola meretur dici Deipara, consecrasse templum scribit: & hunc noluisse de causis judicare Episcoporum, quod Zotomenus in Nicea Bythiniæ urbe contigisse refert. Sed illarum rerum ubi meminit Eutropius. Taceo de baptismo, quem idem Valla non parum vellicat atq; suggillat. Nihil ergo eo loco probare potest. Sed unum audi. Josephus Historicus habetur non minus fidus quàm diligens. Sed quot locos habemus de CHRISTO à Josepho cantatos. Si non Apostoli ac Apostolorum discipuli nobis Evangelicam historiam deprompsissent, non essent nobis ulla vestigia de Christo. Si ullus Historicorum hujus rei memor esse debuerat; conveniebat hoc scribere Josephum: sed is ne Christo sua jura tribueret, hæc & longe majora obticuit, vix uno capite, ut nosti, Christi quamquam suppresso nomine canit encomium. Addo quod tanta fuit historicorum eo tempore cæcitas, ut crediderint Hierosolymam captam atque vastatam propter Jacobum fratrem Domini. Tamen hoc scito

ſcito me inveniſſe apud Origenem in Matth. Homil. 35. quod citet quendam Phlegontem historicum, qui Eclipſim lunæ ſub principatu Tiberii Cæſaris narrarit atq; conſcripſerit: ita ut non omnino ſiluerint omnes Hiſtorici. Quanquam is Phlegon, referente Origene, non ſcripſerit qua luna: meminit tamen illius defectus tanquam rei mirandæ & perpetuis ſæculis decantandæ. Hujus vero Phlegontis Hiſtorici meminit Volaterranus in 18. libro ſuæ Antropologiæ. Sed quod Dionyſius Areopagita veterum teſtimonio nonnihil ſcripſiſſe credendus ſit, hoc Origenis verbis tibi commonſtrare poſſum. Scripſit non contemnendus hic author Homilias in diverſos, & inter ceteras una eſt *de mirifico verbo*, quod nobis prodidit auricularius ille Chriſti Joannes. Sic ait Origenes: *Et ut ait magnus Dionyſius Areopagita eſſe omnium eſt ſupereſſentia & divinitas.* Hæc ſunt Origenis, Vadiane, quæ revera videntur hunc ſtilum redolere, quem habet in libro *de Divinis nominibus*. Nolo hic, ut quidam fecerunt, citare Ambroſium in epiſtol. libro 10. aut Chryſoſtomum in tertio Dialogorum libro. Nam utrobique duntaxat id invenitur, quod eſt in Actis Apoſtolorum cap. 17. de quo nemo dubitavit unquam. Sat fuerit hic conviciſſe Vallam, qui ſcribit in hæc verba: *Denique hic Dionyſius an aliquid ſcripſerit incertum eſt; cujus neque Latini neque Græci meminerunt.*

Phlegon hiſtoricus.

Origeni lux.

D. Amb. D. Chryſoſt. explicatur.

Vides quam vere hæc Valla dixerit? quaſi Origenes non fuerit Græcus & author graviſſimus. Nec moror quod Hieronymus hunc non inter viros illuſtres numeravit. Secutus eſt, ut ipſemet Hieronymus ad Dextrum ſcribit, Euſebium Cæſarienſem, qui pariter non meminit librorum Dionyſii. Tamen fieri potuit, ut nec dum illi fuerint paſſim ab omnibus habiti & cogniti. Sed quid putas? non habemus, niſi hiſtoricos, Romam veniſſe Petrum, niſi per Romam Babylonem ex epiſtola Petri intelligas. Nec Paulus meminit, quid egerit & an fuerit cum Joanne quando venit Epheſum. Nunquid mentiti ſunt reliqui ſcribentes Petrum martyrio coronatum fuiſſe cum Paulo in urbe Romana? aut Joannem nõ fuiſſe in Epheſo, quando illuc venit Paulus? utcunq; tamen, ego firmiſſime credo, opera hæc non Apollinaris eſſe, ſed Dionyſii Areopagitæ. Quod ſi ſtilus tibi videatur paulo durior, noli mirari, ſiquidem JoannesSaracenus primus fuit interpres, cujus tenebræ fecerunt authorem, ut credo, aſperiorẽ, ne dicam tenebroſiorem. Et mira eſt vis dicendi Græco ſermoni de rebus tantis, quas Dionyſius aggreditur ac tractat. Quum enim *trinitatem ſuperſubſtantialem & ſuperdeam & ſuperbonam* latine dicimꝰ, non tam pulchre cadit, ſicuti cum à nobis profertur, ut noſti, in Græco. Habet enim teſte Hieronymo quævis lingua ſuam proprietatem, immo latentem quandam vim,

Petrus Apoſtolꝰ an Romæ

Apollinari tributa opera Dionyſii.

vim, quam in uno & eodem ſenſu alia lingua reddere non poſſet. Eſt enim alluſio non invenuſta, qua latine dicitur, *Non recte convenire in una menſa, qui non ſunt ejusdem mentis*, ſed in Græco Diſdiapaſon diſtarent. Sed hæc quid tibi commemoro, tibi, (inquam) quem & hæc longe ſecretiora non latent, & mihi tutius tacere fuerit, quàm tanta ineptiſſime effutire. Sed ita me cogit amor, ut dum Vadianus verbum exigat, ego ſententiam promam. Parce quæſo extemporario Fabri judicio. Diſpeream ſi non decies ab hac una fuerim abactus epiſtola, nec datum fuit, ut multos evolverem Authores. Saluta, ſi commode fieri poteſt, ex me Zvinglium ac tuum Paſtorem. Ex Conſtantia, XXIV. Julii Anno Chriſti nato M. D. XXI.

EPIST. XLVII.

Matthæus Bonfinis Aſculanus Angelo Colucio Amico ſuo S.

PEtis à me per literas, immo vero efflagitas, Angele ſvaviſſime, Virgilianos ut tibi verſus interpretari velim in quarto Æneidos: Virgilius emēdatus

Ipſa mola, manibusq; piis altaria juxta,
Unum exuta pedem vinclis in veſte recincta,
Teſtatur moritura Deos, & conſcia fati
Sidera ——

Prætermiſſa verſuum interpretatione, quæ videri poteſt apertiſſima, ſcito meam hanc eſſe ſententiam: ut, vel refragantibus, quos vidi hactenus, Virgilianis omnibus codicibus, affirmare auſim, ſecundo verſu, & particulam reponendam eſſe loco, *in*, præpoſitionis, ut ſit.

Unum exuta pedem vinclis, & veſte recincta, qvum, *exuta*, nominandi ſit caſus, non auferendi: id eſt, habens pedem exutum vinclis, & veſtem recinctam. Nam ſi certiſſimum eſt Virgilium, & alios illius temporis viros ita locutos fuiſſe, ut nihil dici poſſit eruditius, nihil caſtigatius: quis non aperte fateatur & ingenue, Virgilium ita reliquiſſe, ut reſtitui? & ſcriptorum ac impreſſorum negligentia aut inſcitia factum eſſe, ut aliter ſe res habuerit hactenus, & nunc habeat? ut enim multas alias omittam rationes, cujus inventu faciles, ad id, quod volo, perſvadendum: imperte quidem videri poſſet dixiſſe Virgilius, *in recincta veſte teſtatur*. Quandoquidem idem, ni fallor, eſſet illud ipſum dicere, quod Dido in veſte humi ſtrata & poſita ſtans, id eſt, ſupra recinctam veſtem moritura Deos teſtatur. Non enim, ſi uſum, non abuſum ſequi volumus, dicemus, in recinctis veſtibus hoc feci: quanquam non affirmarem & hoc ipſum fortaſſe non inveniri: ſed *recinctus veſtibus, accinctus gladio, ſuccinctus pharetra*, & alia ejuſmodi multa. Sed ſi hic eſt verus loquendi uſus, ut

Recinct9 veſte.

reve-

revera est, quam absurdum sit, vestem humi positam, si id proprie significari volumus, recinctam dicere, tute cogita. Si vellem persequi in hoc genere cetera, viderer ad virum rudis nimium & obtusi ingenii scribere. Et propterea ejusmodi re omissa, ut pleniore te obsequio demerear, ad alia quædam id genus deveniamus. Habent eodem in libro codices omnes, quicunq; fuerunt & sunt:

Speluncam Dido, Dux & Trojanus eandem
Devenient. ———

Paulo post in eodem libro:

Speluncam Dido, Dux & Trojanus eandem
Deveniunt.

In primo quoque libro:

Devenere locos, ubi nunc ingentia cernes
Mœnia ———

Idem in sexto:

Devenere locos lætos, & amœna vireta
Fortunatorum nemorum ———

Et alia, si quæ sunt. Quibus omnibus in locis, *de*, præpositionem in, *ad*, mutandam censeo: ut sint, *Advenient*, *Adveniunt*, & *Advenere*. Non enim deventum Æneæ in Italiam dicimus, sed adventum: nec deloquor te, sed alloquor te, & ad te: & alia permulta id genus. Nec dicere possimus necessitate id factum, cum æque congruat *ad*, atque *de*. Nec me latet Latine dici. *Devenit Romam*: id est, ex aliquo loco Romam accessit. Sed non eo pacto dice- Devenire pro advenire positum.

mus: *Devenit speluncam*, ut Romam: cum hoc proprium sit nomen, & respuat præpositionem: illud vero appellativum, & amet illam sibi adjungi, nisi obstet, & aliud imperet necessitas, ut in primo idem Virgilius:

Italiam fato profugus, Lavinaq; venit
Litora. ———

nisi velit fortasse aliquis Virgilii auctoritate tot in locis adductus ac fretus, affirmare hæc ipsa confundi, & ea in re nullius esse differentiæ & propria nomina & appellativa: & æque dici posse, *Devenit Romam*, &, *Devenit urbem*: aut velimus subtractam esse, sine aliqua necessitate, tot in locis præpositionem: quod equidem doctioribus judicandum relinquo. Hæc autem ipsa, ut clara mihi videntur esse, nec aliis rationibus, apud viros præsertim doctos, fulcienda: ita & multa his similia consulto prætermittenda duximus: tum quod veremur, ne tibi & aliis satietatem, si nimis multa sunt, afferant: tum quod hic paucis periclitandum prius duxim9, qua felicitate preditura sint alia. Nam si viderimus hæc tibi & aliis tui similibus non admodum displicuisse: eisdem auspiciis edemus in Horatianis operibus annotationes ultra centum. Eas autem, si quid aliquando dabitur otii, sequentur in Livio totidem, & fortasse plures. Vale.

EPIST.

EPIST. XLIIX.

Tigurum.

Joach. Vadianus Henr. Bullingero Antistiti reverendissimo.

S. P. D.

NOmismata, quæ abs te Tiguro accepimus, Vir reverende, fuerunt numero LXXXIV. Quorum inscriptiones, sicut à me contendisti, inspexi. Potuerunt autem hæc, quæ seqvuntur, certo comprehendi.

1 ΘΕΜΙΣΤΩΚΛΗΣ ΑΘΗΝΑΙΟΣ.
Personæ quatuor; viri duo, & totidem femellæ.

2 Currus triumphalis L. Saturni.
Imago mulieris cujusdam.

3 Janus bifrons, qui hisce literis circumscribitur, R.I.V.F.M.F.S.V.

4 Philippus Macedo. Φ.
Eqvus.

5 Nero Claudius Cæs. Aug. Ger. P.M. Genio Augusti.

6 Maur. Numerianus Nob. Ca. Mars Victor.

7 Severus Pius Aug.
Felicitas Augg.

8 Aurelianus Imp.
Miles.

9 Imp. Gabinus S. P. F. Aug. Felicitas publica.

10 M. Agrippa L. F. Cos. III. C. Marius M. Col.

11 Diocletianus August. concordia.

12 Bos Atheniensium sive Deliorum. Unde proverbium, βοῦς ἐπὶ γλώττης, id est; *Bos in lingua*, quod nomisma duabus valuisse drachmis Atticis, annotat Erasmus. Y.

13 N. Lentulus.

14 Imp. Cæs. Macnentius Aug. Victoria Aug. Lib. Romanor.

15 Divus Augustus. Pater. Providentiæ ara.

16 L. Aurel. verus Imp. Cæs. concordia.

17 Dn. Theodosius.

18 Constantius Nobil. C. Genio Populi Romani.

19 Imp. Constantinus Aug.

20 Μασσαλιτων Minerva.

21 Gratianus.

22 Divus Julius.
S.P.Q.R. Elephantus.

23 Gordianus Fl. August.

24 Philippus August.
Monomachia.

25 Imp. Cæs. Nerva Trajanus August. Ger.

26 Cæs.

26 Cæſ. Dominus Aug.Ger.
27 Bonovent.Libo.Puteat.Scribon.
28 Imp. C. Maur. Probus Auguſt. Libertas Aug.
29 Alexander Pius.
30 Sabina Auguſta.
31 Hadrianus Auguſt.Coſ. III. PP. Fortunæ Reduci.
32 Cæſ. Trajanus Hadrianus.
33 Divi F. Auguſtus.Vacca.
34 Gallienus Aug. Apollini ſacrum.
35 Imp.Ser. Galba.
36 Veſpaſianus.
37 Antoninus Pius. virtus victrix.
38 Currus Triumphalis L. Memmii.
39 Dn.Honorius P.F. Aug.
40 Imp. Hadrianus Aug. Coſ. III. P.P.Hiſpania.
41 Nerva Auguſt. Fortunæ Auguſti.
42 Ancus IC. Philippus.
43 Julia Auguſta. Paternitas Imperii.
44 Antoninus Pius.
45 Imp. Claud. P. F. Aug.
46 Imp. Quintellus Aug. Concordia.
47 Imp. Cæſ. Val. Maximianus, virtus Auguſti.
48 Imp. Maximinus Pius. Pax Auguſti.
49 Domitianus.
50 Virgilius Maro.
51 Siclus. Salomon Rex. Templum.

51 M.Antoninus Imp.Cos.Angues duce, & in medio eorum ara.

53 Amtau..... || O.

54 Monomachia.

55 M.CIC.I.M.F.|| O.

CEterorum literæ ita obsoletæ sunt & attritæ, ut nullus considerando sensus potuerit idoneus comprehendi. Atq; utinam esset, qui historiis accommodaret & horum aliorumque emblemata. Nemo enim dubitare potest, quin magna inde lux in rem literariam manare atq; redundare possit, plurimaq; optimorum scriptorum vel obscurissima loca explanari atq; illustrari. Sed hæc res est majoris otii, quàm me abundare existimaveris. Est quidem ita, animus erat tale quid tractare: sed institutum revocavit oblatus à civibus summus magistratus, quo ita districtus variis iisq; gravissimis occupationibus teneor, ut ne ad libros quidem visere, nedum tractare & diurna nocturnaq; manu, quod in his studiis fieri debet, versare liceat. Igitur alius tibi quærendus erit, cui hoc munus deleges. Vale, vir reverende, Sangallo, 13. Jul. Anno 1530.



EPIST.

EPIST. XLIX. S. Galli.

Joannes Aventinus Joachimo Vadiano Urbis S. Galli Decurioni ac Consuli S. P. D.

QVamvis jampridem mihi ex literis notûs ac semper cultus fueris, tamen nunc magis te amo ac admiror, cũ Christianus Fridbold civis tuꝰ mores virtutesq; tuas prædicarit. Retulit mihi de studiis ac conatibus tuis multa, præter cetera narravit mihi te multa, quæ ad illustrandum genitale solum spectent, observasse. Ego quoq; jamdiu in eodem versatus sum ludo, manibusq; ac pedibus laboro, nocte dieq; cogito, quonam pacto Germania nostra ac partim Gallia pro sua dignitate illustrari queant. Cum tot præclara ingenia nostra tempestate vigeant, & multi hanc sibi operam sumant, id profecto haud alia via rite fiet, quàm si quisq; suæ patriæ ac soli genitalis monumenta diligentius indagaverit, uti te factitare Fridopoldus noster aperuit. Nam conjecturis, sicuti multi solent, duntaxat niti imperitorum est, & rem alioquin obscurissimam obscuriorem (ut ajunt) Cimmeriis tenebris reddere. Si fata ac boni divi donarent nobis Principem, qui hujuscemodi rerum peritos convocaret, qualem fuisse Divum Maximilianum comperi, non dubito, quin tantum opꝰ optatum sortiretur effectum. Nec enim uniꝰ hominis labor, major est pri-

privatis opibus. Faxit Christus Salvator Dominus ac Deus noster, ut omissis bellis civilibus, intestinis seditionibus, in Germanam ac Christianam concordiam redeamus, ac tandem vel sero à tot vitiis resipiscamus. Sed dabit his quoque finem Deus. Ego quæ molior ex indice, quem precibus à me extortum tibi misi, cognosces. Soleo fere mihi & Musis canere utiq; consilio & Horatii & Quintiliani in edundis operibus. Expecto avide, si per fata licet, tuas observationes. Christus te servet. Vale Ratæbonnæ, pridie idus Maji, Anno ab orbe servato M. D. XXX.

CAPITA RERUM, QVIBUS ILLUSTRAbitur Germania ab Aventino, modo contingat benignus Mecœnas.

In primo libro hæc dicentur: De carminibus antiquis, quod unum apud majores nostros, quin etiam adhuc militum nostrorum, memoriæ & annalium genus est, quibus Cornelius Tacitus usus est, & quæ Carolus Magnus auxit, quidam recentiores corruperunt. Germaniæ veteris natura duce descriptio ac chorographia cum vetustis ac recentioribus regionum vocabulis. Quinq; toparchiæ juxta quinque maxima flumina atque ingentes sinus. Prima ac vetera nomina ex antiquis Druidibus nostris admodum eruditis, item ex clarissimis rerum scriptoribus Græcis, Latinis, Divo Julio, Strabone, Pomponio Mela Plinio,

nio, Solino, Plutarcho, Ptolemæo, Cornelio Tacito, Divo Antonio Pio, Divo Theodosio, Divo Justiniano, vetustis diplomatibus Imperatorum, Regum, & Pontificum nostrorum. Istævonum, Helvetiorum, Sycambrorum, Bathavorum, Mattiacorum, Chattorum, Usipiorum Teneterorum, Bructerorum, Chamanorum, Angrivariorum, Tubantum, Busactorum, Suleborum, Longobardorum, Ingrionum, Vargionum, Carythnorum, Cimbrorum mediterraneorum, Nerviorum, Eburonum, Trevirorum, Mediomatricum, Ubiorum, Vangionum, Nemetum, Tribochorum, sedes atque origo. Belgas à Germanis ortos esse. • Eam linguam, quam veteres Gallicam vocant, eandem esse quàm nunc Teutonicam vocant, Gallosque Teutonas esse atque Celtas. Nigram sylvam non esse Bacenim sed Helvetiorum ex Cæsare, Tacito, Ptolemæo. Itidem Ingænonum, Chaucorum, Cimbrorum (quorum pars Saxones fuerunt) Teutonum, Vandalorum, Burgundionũ Burgionum, Varinorum, Charinorum, Gutonũ, simul & Bojorum, Hermionum, Hermundorum, Nariscorum, Chattorum, Cheruscorum, Svevorum: item Peucinorum, Basternarum Sarmatum situs. Antiquæ Mœsiæ, Phrygiæ, Histriæ, Sveviæ ejusque populorum, Rugionum, Anglorum, Angilorum, Angliorum, Senonum, Lancobardorum, Marcomano-

norum, Quadorum, Avionum, Abiorum, Varionum, Levoniorum, Suionum, Bogiorum, Teriſcorum, Tauriſcorum, Alanorum, Trojorum, Gotinorum, Burorum, Legionum, Æſtiorum, Sitonum, Fennorum, Dacorum, Getarum, Scytharum, regni Vanniani ſedes & regiones, quomodo nunc hæc loca, ſed mutatis cultoribus vocentur. De Bojemia quoties mutarit cultores. De primo Zechorum Rege. De Venedis (qui ſua lingua ſunt Sclavi & Antes,) veteres & nativæ eorum ſedes. De variis & veteribus Germaniæ vocabulis. Religio, Leges, Philoſophia, Aſtrologia, dies, menſes, annus, feſta, literæ veteres, ſapientes, vates, Druides, Alirunæ, Chyndegotæ ac Sibyllæ Germanorum XX. primi Heroes, dii atq; Reges majorum noſtrorum quorum mentionem faciunt Appianus Alexandrinus, Cornelius Tacitus, Beroſus & Metaſthenes, quomodo à proavis noſtris vocentur. De Oſiri & Iſide, Libyo Hercule Hiſpanico, diis & Heroibus Ægypti, ut in Germaniam venerint. Primæ expeditiones majorum noſtrorum in alienas terras exteraſq; nationes. Eorum res militaris. Vera hiſtoria & origo Amazonum ex Horatio & noſtris authoribus vernaculiſq; annalibus. Irruptiones illarum in Aſiam Scytharumq; regna pariter cum Cimbris. De Alope urbe, cujus mentionem Homerus & Commentarii ejus faciunt, atque inde Amazonas deducunt.

Se-

Secundus liber narrabit res geſtas majorum noſtrorum ab excidio Trojano uſq; ad urbem Romanam conditam. Bellum Trojanum. De Teutherante Rege & Heroe Germaniæ amico Herculis,ejus filiis,nepotibus & uxore Trojana, quomodo à majoribꝰ noſtris nuncupentur. De Penteſilea,Hippolyte,Melanippe Amazonum reginis, quid veteres Germani in ſuis carminibus de hiſce cantitent. Ibidem nomina earum vera Germanica. Quomodo Germani ſub imperio Babyloniorum ac Aſſyriorum vocitentur.

Tertii libri ſumma rerũ,vetera nomina Francorum & Gottorum. Irruptiones Germanorum in Aſiam migrationesq; in alienum ſolũ. Bella eorum adverſus magnos Perſarum Reges, qui tam majores noſtri atq; Cyrus ab ipſis dicatur. De Rætis,quæ ſit Rætia, Vindelicia, Noricum Pannoniæ. De Sycambria, Scythia Troja, Troisq; atq; Scythis Noricum Pannoniorum populis & urbibus ac pagis, unde quidam Francos deducunt. Ibidem veriſſima earum rerum explicatio. De Rætobonna tetrapoli ſive urbe quadrata Danubiana, quam veteres Germaniæ Druides atque vates Græca nominis interpretatione Ραιτόπολιν nominant, vulgus indoctum corrupto licentia vetuſtatis nonnihil (uti fit) ſono Ratiſbonam vocare ſolet, credit Latinum eſſe vocabulum, cum ſit barbarum ac ſemiger-

germanum, quemadmodum Bendoboma, Vindoboma, Arbona, urbes Galliæ ac Noricorum. Bella proavorum nostrorum adversus Macedonum Reges Philippum, Alexandrum Magnum, eorumque successores, quomodo Germani à Macedonibus vocentur. Irruptio Germanorum rursus in Asiam, item bella adversus Romanos liberos. Migratio in Gallias ac Hispanias. Origo Brabantinorum & Flandrorum. Quo modo recens Germaniæ vocabulum inventum. Reges Germaniæ à condita urbe resq; gestæ usq; ad D. Julium.

Quartus liber habebit magnitudinem Romani imperii cum urbibus insignioribus, rem militarem, Reges Germaniæ ac genteis resq; gestas cum Romanis Imperatoribus usq; ad obitum Theodosii Magni. Quæ sit splendidissima. Colonia Rœtiæ. Item civitas Hermundorum fida Romanis. Quisnam Albis fluvius, quem Tacitus olim inclytum & notum nunc tantum audiri & apud Hermunduros populos Danubianos oppositos Rœtis oriri commemorat. Qui primi Arcana pietatis Christianæ in nostris regionibus aperuerint.

Quinto libro istæc narrabuntur: Franciæ (usque ad Pipinum patrem Caroli Magni) antiqui Reges, qui simul in Gallia & Germania imperarunt, Gallias in Germanias trans-

tranſtulerunt, quorum mentionem faciunt Claudianus & Sidonius. Maxima rerum mutatio,quæ ubiq; perculitChriſtianos.Irruptiones Germanorum in ſacroſanctum Romanum imperium. Svevorum, Rugionum,Lancobardorum,Turogorum, Bojorum, Vandalorum, Saxonum, Scotorum, Angliorum,Oſtrogetarum, Veſtrogetarum, Burgundionũ, Alanorum, Hunnorum, Attarorum,Abiorum & Avionum, Burgundionum veteres ſedes, quomodo ex Germania interiore atq; Viſtula amne ad Rhenum & Gallias migrarint. Veſſogetarum migratio (ex regno, ut nunc nominant, Ungariæ) per Italiam Gallias in Hiſpaniam.Item Svevorum atq;Vandalorum, Navarronum & Varinorum,Alanorum uſque in Africam. Irruptio Oſtrogetarum in Aſiam, rurſus in Europam,Noricam &Auſtriam Pannoniasq; reditus, atq; deinde ſimul & Rugionum ex Auſtria in Italiam migratio Venedorum (qui ſua lingua, ut diximus ante, Sclavi ſunt) quos Jordanus noſter,Ptolemæus Græcus, Tacitus Romanus, Albertus Sclavus deſcribunt, irruptio in Germaniam interiorem, & poſtea tranſito Danubio in Pannonias, Noricum, Liburniam, Dalmatiam. Nam è ſinu Venedico extremisq; Germaniæ finibus egreſſi Illyricos uſq; penetrarunt ſinus, longe lateque omnia occuparunt, potentiſſima regna condiderunt. Lancobardorum vera origo,

ſitus. Item Angliorum ſive Angilorum, quas nationes Sveviæ Tacitus & Ptolemæus tribuunt, recentiores Saxonibus, qui Italiam, Britanias adhuc tenent, utraq; natio teſte Ptolemæo quondam Longobardi ſive Lancobardi dicti. Brabantiæ vetuſti Reges & Duces. Omnis nobilitas, Reges, Principes Italiæ, Galliarum, Hiſpaniarum ex Germania originem ducunt. Quomodo Germania vetus vocabulum mutarit, Franciaq; poſthac dicta fuerit, teſte etiam Divo Hieronymo.

Sextus liber continebit Reges ac Cæſares Germaniæ ac Galliarum ex antiquis Franconibus prognatos uſq; ad Honoricum primum. Auſtriæ varia nomina. Excidium Hunnorum & Avarorum, adventum Ungarorum in regnum Moraviæ & Bojariæ ac regiones quas nunc poſſident. Bella eorum adverſus noſtros Imperatores, quos & tributarios fecerunt.

Septimo dicentur Imperatores noſtri ex Saxonia oriundi. Vetus rurſus Germaniæ vocabulum obliteratum, novumque receptum ab Imperatoribus Saxonicis. Res geſtæ eorum, quomodo rurſus Italiam, Gallias recuperarint, Germanias ab Ungaris aſſeruerint, Danorum regna domuerint.

Octavus liber habet Francorum Imperatores atque eorum Auguſtam Sobolem, Svevos, bella ſacra Germanorum, expeditiones Aſiaticas Imperatorum & Principum noſtrorum.

rum. Tartarorum irruptiones in Poloniæ, Bojemiæ, Ungariæ regna.

In nono referentur Imperatores noſtri in Holandia, Hiſpania, Anglia, Auſtria, Habsburgii, Lucilloburgii, Naſſoviæ, Bojaria orti. Polonia quomodo regnum factum.

In decimo commemorabuntur uſq; ad noſtram memoriam Imperatores noſtri in Auſtria, Bojemia, Ungaria, Hiſpania orti. Irruptio Turcarum in Europam, victiq; Imperatores, Reges & Principes noſtri. Quinq; bella infauſta adverſus Bojemos ab Imperatoribꝰ & Principibus noſtris geſta. Nova nomina Germaniæ præcipue militantium, quibus vulgo apud exteras nationes nuncupari ſolemus. Complura alia vulgo non protrita ex vetuſtis, recentioribus Imperatoribus & Pontificum noſtrorum eruta diplomatibus cognitu utiliſſima lectuq; jucundiſſima in hiſce referentur cõmentariis, quæ hic indicare nihil operæ pretium fuerit.

EPIST. L. Magontiam.

Beatꝰ Rhenanus Cl. D. Philippo Puchaimero R. D. Cardinalis Magũciacẽſis Medico & Conſiliario S. D.

COmmentarii illi in Plinium, de quibꝰ qvum adhuc Auguſtæ eſſemus, amicus ad te quidam ex Biturigibus ſcripſerat, & commodum me monuerat Claudius Pius Peutinger, heri, id eſt pridie Calendas Martias, primum ad me perlati ſunt. Expectas, quid de novo opere ſentiã, & quam illis belle mecũ conveniat. Accipe Stephani Aquæi Comentariũ in Plinium.

rem paucis. In primis ipſum volumen non eſt exiguum,ex variis congeſtum autoribus,quod uſui pauperculis eſſe poſſit, qui non habent bibliothecam inſtructam, puta Ariſtotelem & Albertum de Animalibus, Raphaelem Volaterranum, ex quo integra ferme capita autor tranſcripſit bona fide, hoc eſt, una cum ipſis mendis ne ſyllaba quidem mutata, Cælium Rhodiginum, Columellam etiam,Palladiumque, & ſimileis ſcriptores.Nam hoc præcipue habet ſtudio, citare teſtimonia autorum cum Plinio faciunt, de verbis ipſis minimum ſollicitus,quod illi penitus puerile videtur.In ſumma liber talis eſt, qui ſi non magnopere juvet, excitet tamen literas,& Plinium ipſum vulgo fortaſſis commendet, quæ mihi res in primis grata eſt.

Nec enim tam malignus viciſſim in illum eſſe volo,quàm ipſe in me eſt. Nam candor ſtudioſos maxime decet.Sed hoc mirum,quod qvum ex meis caſtigationibus nonnihil ſit adjutus, nuſquam tamen mei mentionē facit, niſi quoties vult reprehendere. Si quidem apud Plinium libri ſeptimi capite ſeptimo, quo loco pro his verbis, *Tu cujus ſemper in victoria mens*,moneo legi poſſe:*Tamen cura pertinaci æſtuans*,ipſe citans hanc lectionem: *Alii*,inquit,*paulo terſius hoc legunt modo.* Vide candorem hominis.*Alii*,id eſt,Rhenanus.At infra capite XXII.quam audenter me reprehendit non aſſecutus mentē me-

Plinius emendatur.

meam. Nam plane existimavit magnam autoritatem suis commentariis accessuram, si me strenue multis locis suggillasset. Ibi qvum offenderent me primum duo verba, *Cimbricæ victoriæ*, deinde vetustum exemplar meum supra *Castores* haberet *curs.* scribo, mihi videri sic Plinii verba legi posse. *Nam Cimbricæ victoriæ cursores, quiq; Roma* &c. propterea quod nuncii illi cursorum speciem induerint non Deorum. Nā hoc ex Floro Valerioq; liquet: alioqui Prætor adorasset eos, idemq; P. Vatinius fecisset. Itaq; tum qvum literas in urbe exhibere visi sunt, & extra urbem Vatinio occurrerunt, nō sunt existimati Dii: sed postridie literis de victoria acceptis à Dictatore, qvum illi nusquam amplius comparerent, interpretati sunt omnes, fuisse Deos. Atq; hoc est, quod ego dicere volo. Nec hoc pugnat cum quoquā autore. Quod si quis sequatur meam lectionem, *quiq; Romam*, nihilominus de duobus istis juvenibus intelliget, qui posterius agniti sunt Castores fuisse. Itaq; hactenus non fuerunt Castores, quia Castorum speciem, non repræsentabant; sed nunciorum vulgarium, & quia Plinius visum spectrumq; fuisse testatur. Porro nunciat etiā, qui rem nunciādam curat, nec nuncium ipse perfert. Hic deflet meam infelicitatem, qui non sim in Pliniana lectione exercitatus, nec intellexerim, quid sibi vellent *Castores Romani*, qvū tamen ante tester, quid me potissimum offenderit. *Auditus* voca-

Cursores

Castores.

Nuncius, Nunciare

bulũ,quod mihi videbatur omitti posse,Castoribꝰ accõmodat,quod videlicet nõ solũ visi,sed etiã auditi sint.Cur non dictionẽ hanc ad Cimbricas victorias refert,ut videlicetCastoresRomani fuerint *visus*,hoc est spectrum,acCimbricæ victoriẹ fuerint*auditꝰ*,h.e.auditio,quod priusquam literæ de superatisCimbris Romã perferrentur,auditũ fuerit, Cimbros esse victos?

Porci cicures. C.L.octavi lib. *quin & Duces* scripsi *cicures* etiã posse legi, propterea quod domos suas petere singuli porci discunt.Neq;enim greges suũ alũtur in urbe, quemadmodum ruri fit. Loquitur autem de solertia porcorum. Et sequitur,*Feri.* Quia vero vocabulum,*vestigia*, non erat in codice manuscripto, quem fateor mendosissimũ fuisse,conatus sum aliam divinare lectionem.

Quibus notata erat cœna.) Hic monui scribendũ & adhuc moneo, *quibꝰ usitata quidẽ cœna seculi vitio bini terniq; pariter mãdantur apri.* Nec ea re moveor,quod quibusdã propter novitatẽ non placet.At placebit aliquando.Hunc locum tantũ arrodit,ut habeat occasionẽ notẹ in margine libri ponẽdæ,*contra Rhenanũ.*Carpor autẽ magis in marginibꝰ libri notis nusquã non appositis,quã argumẽtis. Sane vulgatã illi lectionem non invideo,quæ tamen etiã grammatico sensu caret, si citra mei calumniã ea frueretur.

Tergorare. Stercorare. C.LII.pro *se tergorantes*,legere malo *stercorantes*. Quia vero apud Arist.de suibus loquentem hæc verba repperit, *tergus invictum contra ictus*

esse.

efficiunt,probat vulgatam lectionem,& ait, *Tergorare* esse indurare tergus. Quasi non idem accidat,quoties se luto stercorant.

Cap. LIII. ex autoritate & fide manuscripti voluminis sic restitui Pliniana verba: *qualiter natos antiqui Hibridas vocabant, ceu semiferos.* Hic me rogat ille: *Dic*,inquit,*bona fide si ita legas,quo repones verbum,suibus?* Ego vicissim possem illum rogare: Dic bona fide,meamne an tuam ipsius inscitiam hic prodis?

Quanquam onorato capite vastis cornibus gladiorumq; vaginis.Moneo legi posse, *lateq; vagis* pro *gladiorumq; vaginis*,item,*in hæc se librant*,non *in his se librant*, quemadmodum scripserat Christ. Longolius vir optimus & bonarum literarum decus immortale, quē multi putabant istius operis majorē confecisse partē. Sed nondū librū viderāt.Dicit vero me debacchari stilo in Longoliū, quod dixerim germanā Plinii lectionem ab illo mutatā in adulterinā. Quasi hoc nō ipsi Hermolao Barbaro sæpe accidat,&omnib9 nobis,qui non solū in Plinio,verū etiā in aliis autorib. restituēdis laboram9.Non enim sēper succedit, quod instituim9. Porro vaginas corporis quib. unguiū mucro cōditur, ad istas gladiorū vaginas trahere, quid habet simile? qvur vero non citavit illū à Plinio quoq; ex Pontificū commentariis relatū locum,l.18.de vaginis frumentorū: *Priusquam frumenta vaginas exeant*. Et,*antequam in vaginas perveniant*? Nihil apud me eo ipso testimonio evinceret. Arbitror Plinium di-

Vagina.

Longolii laus.

ctũrũ fuiſſe, ſi voluiſſet uti metaphora, *ac velu-ti quibusdam gladiorum vaginis*. Hoc vero jucũ-dũ, quod poſt longã reprehenſionẽ videns me-am caſtigationẽ nõ eſſe ita abſurdã ſic conclu-dit: *Nõ enim hæc*, inquit, *diſputo, quod ve im Rhe-nani lectionẽ futilẽ aſſerere, ſed vulgarẽ poſſe defẽdi.*

C.LIII. *Mira ſolertia viſco inungunt oculos cal-ceariq́, imitatione venantium tradunt.*) Hunc lo-cũ ait à me perverſum, quod reſtituerim eũ ad fidem vetuſti codicis hoc modo: *Mira ſolertia, viſco inungi, laqueisq́, calceari imitatione venantiũ tradunt*. Ipſe legit, *viſco inungunt oculos* vocabu-lo *laqueis* expuncto, fretꝰ autoritate Solini con-tra manuſcriptorum codicum omnium fidem. Quaſi vero qui ſe viſco inungunt, non etiã in-ungant oculos. Hic ſibi valere vult autoritatem Solini, me ejus autoris teſtimonio tantum utẽ-tem ſupra manuſcripti voluminis argumentũ paulo poſt penitus exibilat, quemadmodum commemorabimus. Porro hoc ſunt admonen-di ſtudioſi, nihil magis perdidiſſe Pliniũ, quàm quod eruditi inſulſerunt, multa ſumpta ex au-toribꝰ eandẽ rem tractantibꝰ, qvum tamẽ non ita Plinius ſcripſiſſet. Itaq; non omnia ſunt ad-denda, ea etiã quæ addita ſenſui nihil officiunt.

Quod mox non *nuces* ſed *acies* legam, ſcom-mate me ferit, diligentiam meam deridens.

Cap. LV. Ait me tota hallucinatũ fuiſſe dia-metro, quod nihil definiens, ceu verba mea ad-dita in fine manifeſte teſtantur, propoſuerim

hu-

hujusmodi lectioné, *conditi liquescente nive gracilescunt*, ubi legitur *candidi rutilescũt*. Ibi ignorare me putat lepores etiã candidos reperiri. Quasi vero qui in alpibus conditi indormiunt per brumæ tempus, non possint esse candidi. Gracilescere. Lepores candidi.

Exemplar manuscriptum aperte habebat *Conditi*. Videbam vero, quod ait Plinius, illis pro cibatu nivem esse, sic accipi posse, ut significet illos pingues esse alta dum nive, qua liquescente graciliores fiant. Atq; hactenus nihil de colore disputari, qui tamen non negaverim esse candidos, sed non propter nivem, quæ pinguiusculos reddat. Obversabatur animo meo carmen illud Martialis de glire: Lepores nive pinguescunt. Itẽ Glires.

Tota mihi dormitur hyems, & pinguior illo
Tempore sum, quo me nil nisi somnus alit.

Quin vidi mures alpinos allatos ex Valle Pœnina, qui sub brumæ tempus effossa terra sub foco se domi condebant. Nescit Commentator quo verterim oculos, huc verti. Testantur autem verba mea, quæ illic subjungo, non pertinaciter me tueri conjecturam. Itaque nihil erat opus, ut hic inclamaret candidatos literarum. Nec enim periculi quicquam est, quoties inquirendi studio seorsim diversa lectio proponitur, modo scripta autorum ac ipsi libri non statim mutentur violenturque, quod tamen à quibus factum aliquando sit, ipse non ignorat. Sæpe vero sua retractat etiam Hermolaus, nam in hoc scripti genere, Mures alpini.

quod conjecturis ex magna parte cõstat, sæpe nos transversos rapit novitatis amor. Libro x. c. XXIII. restituo lectionem ad fidem veterum codicum, quorum vidi duos consentire, nempe hoc modo: *Coturnicibus veneni semen gratissimus cibus.* Hic me rogat velut obtorto collo tenens, *dic*, inquit, *bona fide, si te interrogavero, quod semen sit id, quid præter veratri semē?* Pulchra me Hercle quæstio. Quis hoc negat? Ego vicissim possem illum rogare: Dic bona fide, nunquamne genere soliti sunt autores uti, sed in quo speciem docto lectori relinquant intelligendam? Expostulet igitur hic cum Plinio, quem plane reor sic scripsisse. Vide vero miram iniquitatem. Autoritate Solini contra fidem exemplaris scripti, contra Hermolai meamque sententiam supra legit, *Visco inungunt oculos*, hic testimonium illius refutat, quod Plinianus expilator non iisdem verbis utatur. De qua re supra meminimus. Atq; audi pulchram notam additam in margine: *Rhenanus carpitur diligenter.* Expone *diligenter*, id est calumniose. Post longas deniq; citationes sic concludit, *His*, inquit, *collatis stat Rhenanum non bene sentire de lectione, veratri semen.* Imo non nego de veratro intelligendum, tametsi vetusti codices habent *veneni*, quæ lectio optime consistit. Hermolaus admonuit tantum pro *veneno veratrum* legi posse, cujus hæc sunt verba: *Legi*, inquit, *potest Veratri semen, hoc est Ellebori.* Et statim nescio

Venenũ pro veratro.

nescio quis pro *Veneno Veratrum* supposuit, ut est vulgata Plinii lectio plerunque Hermolaica.

Sed heus Domine commentator, non meministi quomodo scribat Plin. infra c. LXXII. *Veneris*, inquit, *Caprea & Coturnices, ut diximus, pinguescunt.* Reducit in memoriam, ceu vides, hunc priorem locum, qvum inquit, *ut diximus.* Reprehēde nunc, qui quodam carpendi morbo laboras, Plinium ipsum si lubet, aut calumniare potius. Vides quam pulchre de me triumphet, quem frustra impugnat. Felicem Plinium, qui tam acutum nactus sit interpretem. Hæc ferme sunt, Eximie vir, in quibus ille contra nos argutatur.

Nam ubi dissentit tantum à nobis, quid hoc ad rem pertinet. Unicuique liberum per me esto sequi, quod volet. Aspice vero communem, sed vere miseram omnium scribentium sortem, quibus tam maligne laus respondeat etiam feliciter labore functis; sin labantur alicubi, statim paratus immineat, qui suggillet & notam inurat.

In hoc sane emaculandorum autorum negocio studiosi paulo benignius sese mutuo sublevare deberent, quando res hæc est inprimis laboriosa ac molesta, deinde perquam incerta, sed tamen necessaria. Siquidem hoc studiosi non ignorent, nisi docti viri sese ad hanc miseram provinciam demit-

mittant, nunquam futurum, ut hiſtoria Pliniana ſuo nitori reſtituatur. Nam infinitis adhuc erratis ſcatet. Nolim tamen interim non legi longe utiliſſimum autorem, quod ignorem quando ſtudioſis ea ſit obventura felicitas. Idem de Cicerone & Livio ſentiendum, cujus aliquot libri prodigioſe ſunt corrupti. Quis enim hoc labore lubens velit implicari, qui videat aberranti perpetuam contumeliam paratam, recte divinantis laudem altera mox operis editione finiendam. Porro periculum ipſum in iſto caſtigandi genere, nunquam diſſimulavi. Proinde ſemper cohortatus ſum, ut talia ſeorſim legenda proponantur ipſis autoribus intactis. Unde maturo judicio rebus exactius perpenſis cum tempore reſtitui poſſint, veterum monimenta. Ajebant id in Plinio ſe feciſſe caſtigatius nactos exemplar, qui proximæ editioni præfuerunt Baſileæ, qvum reprehenderem quod multa mutaſſent. Idem ante Eraſmo arguenti reſponderunt. Accipio vero loca reſtituta, quibus nec ego ſuccurrere potuerim, quamlibet annixus propter exemplar mendoſum, nec item Budæus ipſe. At feliciorem laborem ſumpſit Aquæus noſter, Commentarios in Plinium procudens, audacior ſane Philippo Beroaldo, qui maluiſſet in hunc ſcriptorem gloſſemata conſcribere toties domi ſuæ ſtudioſis prælectum, quam in Apulejum Madaurenſem,

sem, nisi mendas veritus fuisset. Propterea dixi, feliciorem laborem, quod in commentariis infinita sunt, quæ dici possunt, & loca depravata aut non intellecta citra reprehensionem transiliuntur. Verbi gratia, Plinius lib. X. cap. XXIV. sic scribit de hirundinibus loquens: *Cecina Volateranus equestris ordinis quadrigarum dominus comprehensas in urbem secum afferens, victoria nuncias amicis mittebat, in eundem nidum remeantes illito victoriæ colore.* Hactenus Plinius. Mirum quid sibi velint ista duo vocabula, *quadrigarum dominus*. Raphael Volaterranus indubie sentiens locum vitiatum esse, legit, *Quadrigariorum magister*, nisi interpretationem esse dicere libet, ac quod hic de hirundinibus narratur ad belli tempora accommodat. Sic enim scribit: *A Cecina Volaterranus equestris ordinis, Quadrigariorum magister, Pompejanarum partium tempore belli civilis, hirundines parvas e nidis Romæ comprehensas nutriebat, quas postea nuncias belli mittebat amicis*, ut Plinius refert. Hæc Raphael Volaterranus. Cæterum nec mihi placet, *Quadrigarum dominus*. Frigidum autem sit, si quis equos alere elocareq; solitum putet. Conjicio legendum, *aurigatum nido vivas*, hoc modo: *Cecina Volaterranus equestris ordinis, aurigatum nido vivas comprehensas in urbem secum afferens, victoriæ nuncias amicis mittebat, in eundem nidum remeantes illito victoriæ colore.* Sensus est: Qvum ex Volaterris aurigatum, ob ludos

Hirundines victoriæ nunciæ.

dos

mittant, nunquam futurum, ut historia Pliniana suo nitori restituatur. Nam infinitis adhuc erratis scatet. Nolim tamen interim non legi longe utilissimum autorem, quod ignorem quando studiosis ea sit obventura felicitas. Idem de Cicerone & Livio sentiendum, cujus aliquot libri prodigiose sunt corrupti. Quis enim hoc labore lubens velit implicari, qui videat aberranti perpetuam contumeliam paratam, recte divinantis laudem altera mox operis editione finiendam. Porro periculum ipsum in isto castigandi genere, nunquam dissimulavi. Proinde semper cohortatus sum, ut talia seorsim legenda proponantur ipsis autoribus intactis. Unde maturo judicio rebus exactius perpensis cum tempore restitui possint, veterum monimenta. Ajebant id in Plinio se fecisse castigatius nactos exemplar, qui proximæ editioni præfuerunt Basileæ, qvum reprehenderem quod multa mutassent. Idem ante Erasmo arguenti responderunt. Accipio vero loca restituta, quibus nec ego succurrere potuerim, quamlibet annixus propter exemplar mendosum, nec item Budæus ipse. At feliciorem laborem sumpsit Aquæus noster, Commentarios in Plinium procudens, audacior sane Philippo Beroaldo, qui maluisset in hunc scriptorem glossemata conscribere toties domi suæ studiosis prælectum, quam in Apulejum Madaurensem,

ſem, niſi mendas veritus fuiſſet. Propterea dixi, feliciorem laborem, quod in commentariis infinita ſunt, quæ dici poſſunt, & loca depravata aut non intellecta citra reprehenſionem tranſiliuntur. Verbi gratia, Plinius lib. X. cap. XXIV. ſic ſcribit de hirundinibus loquens; *Cecina Volateranus equeſtris ordinis quadrigarum dominus comprehenſas in urbem ſecum afferens, victoriæ nuncias amicis mittebat, in eundem nidum remeantes illito victoriæ colore.* Hactenus Plinius. Mirum quid ſibi velint iſta duo vocabula, *quadrigarum dominus.* Raphael Volaterranus indubie ſentiens locum vitiatum eſſe, legit, *Quadrigariorum magiſter*, niſi interpretationem eſſe dicere libet, ac quod hic de hirundinibus narratur ad belli tempora accommodat. Sic enim ſcribit: *A Cecina Volaterranus equeſtris ordinis, Quadrigariorum magiſter, Pompejanarum partium tempore belli civilis, hirundines parvas è nidis Romæ comprehenſas nutriebat, quas poſtea nuncias belli mittebat amicis*, ut Plinius refert. Hæc Raphael Volaterranus. Cæterum nec mihi placet, *Quadrigarum dominus.* Frigidum autem ſit, ſi quis equos alere elocareq; ſolitum putet. Conjicio legendum, *aurigatum nido vivas*, hoc modo: *Cecina Volaterranus equeſtris ordinis, aurigatum nido vivas comprehenſas in urbem ſecum afferens, victoriæ nuncias amicis mittebat, in eundem nidum remeantes illito victoriæ colore.* Senſus eſt: Qvum ex Volaterris aurigatum, ob ludos

Hirundines victoriæ nunciæ.

dos videlicet Circenseis, Romam Cecina proficisceretur, hirundines vivas in ædibus amicorum in nido comprehensas secum ferebat, & factionis victricis illito colore remittebat ad amicos victoriam ejus diei Circensem significaturas. Nam hirundines in longinquum bellum, cujus incerta sit victoria, secum ferre, ridiculum. Notum autem est, quatuor olim factiones extitisse, Russatorum, Albatorum, Prasinorum & Venetorum, quot sunt anni tempora, coloribus inter se distinctas, à quibus cognomina tracta sunt.

Factiones Circenses.

Felicis cujusdam aurigæ Russati Plinius libro septimo capite LIV. meminit: *Invenitur in actis,* inquit, *Felice Russato auriga elato, in rogum ejus unum è faventibus jecisse se.* Et addit causam, *Frivolum dictu, ne hoc gloriæ artificis daretur, adversis studiis copia odorum corruptum criminantibus.* Loquitur autem de odoramentis, quæ inter cujusque factionis homines spargebantur.

Aurigari.

Aurigandi verbo Svetonius utitur in Caligula. Hic non inverto verba Plinii, immo explico. Certe in tam corrupta scriptura non secus ac in deploratis ægrotis interdum sectionibus ac usturis opus est. Atque hic Commentator noster prorsus silet. Proferemus adhuc unum ac alterum locum. In Proœmio libri decimioctavi non longe à principio

sic

ſic legitur : *Quoniam tamen ipſa materia intus accendit.* Hæc verba nullo ſenſu dicuntur. Vetus exemplar habet, *Accedit.* Hermolaus indicat potius *Accendit* ſcribendum, quam *Accedit.* Itaque verbum hoc receptum eſt in contextum. Ego dico reponendum eſſe *Accedit,* & pro *intus* legendum *vitiis.* Sic enim Plinius ſcripſit ; *Quoniam tamen ipſa materia vitiis accedit ad reputationem ejusdem parientis & noxia.*

Vide quantum hactenus obſtiterit unicum iſtud vocabulum *vitiis* in adverbium *intus* depravatum , quo minus multis jam ſeculis hic Plinii locus fuerit intellectus. Sim vero valde civilis, ſi hic Aquæum imitatus petulanter Hermolaum virum modis omnibus incomparabilem inceſſam. Sequitur ibidem: *Atque qvum in arbores exacuant, limentq; cornua elephanti & duro ſaxo rhinocerotes , & utroq; apri dentium ſicas.*

Scribendum primum, *qvum arbore exacuant,* *s*, litera ablata ac *in* præpoſitione expuncta. Nam ſequitur , *utroque,* item auferendi caſu. Deinde pro *& duro* reponendum, *& Uri.* Nã ſic Murbacenſe exemplar , quod pridem penes me erat, manifeſte continet. Ut ſic legamus deinceps: *Atq; qvum arbore exacuant, limentq; cornua elephanti & Uri , ſaxo rhinocerotes, & utroq; apri dentium ſicas.* Pariſienſis editio , quam epiſtola liminaris Beraldo vendicat , teſta-

tur

tur legisse Longolium, & *duro*. Sed nos legendum contendimus, & *Uri*. Quis non alicubi labitur? Audi vero, quid Aquæus hoc loco dicat: *Legi*, inquit, *etiam potest scite sicca, hoc sensu*: *Quũ apri liment sicca dentium, ut sicca sit substantivum. Alii legunt : utroq; apri dentes siccas, ut sensus sit : Apri dentes exacuant in siccas arbores. Habes quod eligas, utere congruentiore sententia*. Hæc ille. Pulchræ me hercle expositiones & argutæ. Longum autem esset tantum hujus procœmii vitia aperta adhuc narrare, quæ sunt supra novem, verum non sinit hoc epistolaris angustia. Sic repurgato Plinio certi commentarii scribi possent, immo pluribus locis commentario minus autor egeret. Sed fungere tu labore hoc vere Herculeo. Augiæque stabula repurga, alio in insidiis interim intento, sicubi in negotio fallare mendosa scriptura avocante mentem tuam, qui te mox contumeliose traducat. Enimvero fortasse putas ista animadversa Aquæo. Nihil minus, adeo exercitatus est in lectione Pliniana, argutiam ejus scriptoris nusquam non assequens. Ego stipes qui subinde hæsitem, nam hoc imperitiæ temeritatique tribuit. An non argutum, quod Columellæ verba exponens docentis *ægrotum pecus esse salivandum*, docet nos *salivare* esse sanum facere. O si esset qui utriusque caput salivaret. Sed tamen ego nolim conspui. Nisi sit expositio figurata, nempe hyste-

Salivare.

rologica, quod per unctionem eam sanitas consequatur. Quam pulchre vero mendosa loca LIX. capitis libro IX. transilit, præsertim eum, qui est in fine: *At inter Sargos.* Ibi debebat exponere, quænam vox esset *Sarges*, Latina, Græca, an Hebraica, tum quid significaret. Est hoc interpretari Plinium? Et tamen audet aliquoties addere: *Hoc caput nihil habet fuscedinis, nihil habet nubili.* Sed nimium te moror, Vir ornatissime, tametsi scio te libenter audisse locorum istorum germanam Plinii lectionem, ac mihi gratias habiturum. Quid Aquæus facturus sit nescio. Nec de hoc sum solicitus. Porro nondum oblivio me cœpit humanitatis tuæ, qua me prosecutus es apud Augustam, opera Marci Virsungi in ædes Fuggerorum me perducens. Antonii domus quid splendoris non habet? Testudinata plerisque locis, & columnis marmoreis suffulta, quarum epistilia ad antiquitatis exemplar exculpta sunt. Quid de cubiculis amplis & ornatis dicam, quid de hypocaustis, quid de ambulacris, quid de ipso domini cubiculo longe cultissimo, tum ob deaurata laquearia, tum ob reliqvum ornatum & thalami ipsius non vulgarem elegantiam. Huic adhæret sacellum divo Sebastiano sacrum, cum subselliis ex preciosa materia faberrime factis. Omnia vero exornant insignes picturæ intus & foris. Et tamen qvum ex-

Sagiri.

quisitissima sint cuncta ; pleraque minimum luxus præ se ferunt, multum vero civilis nitoris atque frugalis munditiæ. Raimundi illa domus altera paulo semotior quàm est item plane regia, amœnissimum utrinq; prospectum, in hortos habens, quorum alter ædibus cohæret, alter interstite via publica, sed angusta separatur ? quid plantarum nutrit Italia, quod domesticus hortus non habeat ? quæ tibi topiaria, quæ pergulæ, quæ arbores, qui fontes fusilibus Deorum simulachris ornati ? quale balineum ea ædium parte ? Minus jam placebant Ludovici Galliarum Regis horti, quos olim Turonis & Blesis vidimus.

Postquam ascendimus, hypocausta latissima, aulas spaciosissimas sive cubicula conjuncta cum fumariis, sed ornatissima conspeximꝰ, respondentibus inter se ostiis in meditullio domus, quibus de conclavi in conclave transitur. Hic passim vidimus exquisitissimas picturas ex Italia advectas, multas etiam Iconicas tabulas manu Lucæ Cronburgii feliciter absolutas. Sed magis nos moverunt in superius cœnaculum deductos tot ac tanta monumenta antiquitatis, ut vix ullo Italiæ loco plura crediderim apud unum hominem reperiri.

Lucæ Cronb. picturæ.

Antiquitatis monuméta.

Primum ærea contemplati sumus & fusilia. Quis illic veterum Deorum non sæpe nò-

nobis occurrebat? Juppiter cum suo fulmine, Neptunus cum tridente, cum sacculo petasoq; Mercurius, Pallas cum ægide, & erant, quos vix præ vetustate licebat agnoscere. Nomismata deinde suo loco jacebant. Aderat tantum unum illic simulachrum lapideum. Circe fuit, ea nuda recumbebat innixa dextro brachio, circum se in margine tabulæ marmoreæ varias bestias habens, & adhuc illa magica virga sua quendam in brutum convertebat, superератq; pars hominis non amplius quàm dimidiata. In altero secretario quod saxeas tantum statuas continebat, vidimus Dianam cum luna ac pharetra, vidimus Apollinem, Minervam, Venerem cum Cupidine, Taurum qui vehebat nudam puellam tensis brachiis auxilium implorantem, & obscœnium illum Deum pudenda sui parte prorsus impudentem, cui astabant effigies mulierum plenos phallis calathos gestantium. Apparebat hortorum limites fuisse. Mirum vero potuisse ista tot sæculis uspiam integra conservari. Fragmenta statuarum vix numerare erat. Placebat nobis Somni Dei caput clausos habens oculos, & papavere revinctum. Bacchi capita multa arguebant serta ex racemis & pampinis. Quædam Colosseam ferme corporum magnitudinem præ se ferebant.

Juppiter. Neptuno Mercurio Pallas.

Circe.

Diana. Apollo. Minerva. Venus Taurus Europã avehens Priapus Hortorũ limites.

Somnus Deus. Bacchus.

Narrabatur vero nobis ex toto propemodum orbe convecta fuisse ea vetustatis monumenta, præcipue tamen ex Græcia atque Sicilia. Adeo nullius sumptus Raimundum pœnitet ob amorem, quem literarum minime expers erga antiquitatem gerit, modo possit talibus rebus potiri. Id quod vere nobilem & generosum hominis animum ostendit. Sed de his plus satis. Edidimus opusculum rerum Germanicarum inscriptum Cæsari Ferdinando. Expectamus aliquid veterum librorum à te. Ciceronem de gloria, Eundem de Vita beata, quasdam ejusdem orationes hactenus non visas. Medæam Ovidii Fontianum Poetam, qui provincias Romanas eleganti carmine descripserit, nisi tanto thesauro solus frui vis. An fabulam narravit ille noster? Bene vale Vir eximie. Seleftadii, quinto Nonas Martias, Anno M.D.XXXI.

Cicer. de Gloria, & de Vita Beata. Ovidii Medæa. Fontianus Poeta.

EPIST. LI. Parrhisios.

Lod. Vives G. Budæo V. C. S.

De vita & studiis rećte instituẽdis.

Epistolam tuam accepi, qua communicas mecum de eo, quod super est, vitæ tempore collocando. Ego vero, mi Budæe, & eum te esse compertum habeo, qui vitæ tuæ rationes probe & sapienter habeas descriptas, & me eum, qui consilium tali viro dare nõ sim idoneus, sive ætatem spectem, sive ingenium atq; erudi-

ruditionem, sive prudentiam ac rerum usum. Itaque scripsisse te potius ut commentatione illa tu ipse tecum, quid agendum esset, consultares, vel ut apertius animum & voluntatem erga me tuam testificarere, qui me velut ad intimas & gravissimas deliberationes admitteres de summa rerum, quacunque id mente feceris, indubie optima & cumprimis benevola. Ego partes ejus personæ sustinebo, quam ipse mihi imponis. Leve fuerit tantulæ chartæ dispendium, & erit alioqui, si non aliarum, hujus certæ epistolæ argumentum. Quemadmodum in re & publica & familiari usu evenire cernimus, ut qui summæ rerum præsunt, indigeant aliorum ministerio ad functiones suas obeundas, ita & animus noster, Dux atque imperator vitæ mortalium, famulatu eget corporis quamdiu eo continetur. Nec enim vel res in natura abditas penetrare & assequi, & veritatis lucem exculpere atque intueri, nec consilium expedire ulla prorsum ratione valeas, nisi ad hæc opera instrumentorum corporis obsequens sese præbeat ingenii facultatibus. Corpus hoc vel desvetudine fit immorigerum & refractarium, ocio luxurians feroxque, vel morbo aut senio, qui & morbus est, amittit vires. Jam olim audio te à Philologiæ tuæ castris abesse, non sine ingenti desiderio militiæ tibi adeo charæ jucundæque. Inde enim te & vale-

tudinis tuæ & rei familiaris abstraxit cura. Equidem ἀβίωτον, ut ipse dicis, & plane θανάτῳ ὁμοῖον existimo esse eam vitam, quæ absque ingenii cultu traducitur. Sed illud est vicissim cavendum, ne, dum ingenium excolis, amittas corpus. Quo circa ita sentio faciundum, ut ingenio isti tuo sive emansori sive justa de causa exautorato molliter manum injicias, & reducas illud in castra Philologiæ, atque ex diutina dissvetudine muneri cuipiam adhibeas militari, sed levi initio & modicæ operæ.

Id si strenue exequitur citra noxam ullam roboris ac virium, sinito illud ad pristinam militiam vel continenter reverti, vel per intervalla. Quam militiam animus tuus non sine ingenti alacritate capesset, natura sua ejusmodi exercitationum amans, nisi falsas conjecturas de illo accepi ex multis, quæ varie edidit documenta. Quod si ætas & labores anteacti multum de ardore illo & acrimonia veteri detraxerint, manere tamen in militia possit sine luculento sui detrimento, adjuvet rem militarem, si non lacertis & robore, at saltem consilio atque admonitionibus, quas longus rerum usus & tot bellis merita stipendia facile suppeditabunt. Sin vero caussificari cœperit morbum sonticum aut adversam valetudinem, & voluntati non suffi-

ciat

ciat corpus, & domum respectare institerit, impetret sane missionem justam & honoratam velut emeritis legitimo tempore & numero stipendiis. In quo audiendus erit monitor ille Horatianus: *solve senescentem maturus equum*. Satius est ut liber & solutus ambulet pro arbitratu suo, quo volet, sine imperio, sine sacramento & signis, quàm ut mediocribus bellicis muniis succumbat continuo, nec ea possit edere opera, quæ expectationi hominũ satisfacerent, conferentium pristinam militarem laudem cum factis præsentibus. Neque vero erit omnino inutilis votis & authoritate nominis: & vel sedens domi consuletur ab armato milite, ut Pontius Herennius pater Samnitici Imperatoris. Profecto quum humana omnia, tum ea potissimum, quæ ad publicas utilitates elaborantur, peculiari quodam nutu providentiæ regi arbitror. Si vires ad agendum tribuit, interpretare præcipi tibi ut agas: sin adimit, pro explorato sit non esse illi cordi, ut ad opus accedas, & ocium tibi indici. Mandabitur alteri, quam tu eras obiturus provinciam. Hæc Christi sunt universa, cujus nos nihil aliud, quàm ministri sumꝰ. Cui opus assignatur, eidem & operi vires pares: ut qui Princeps arcem delegat tuendam, hic etiam præsidium conveniens prospicit.

Hujus rei dilucide admonemur in talentis,

quæ Dominus ſervis concredidit ad negociationem. Neque ego hæc uſurpo verbis ſolum in conſiliis amicis dandis, ſed de hac ipſa cogitatione in adverſa mea valetudine ſolatium ſumo, qvum pituitæ infeſtatione & gravedine capitis ſubinde repetente ab ſtudiis, quæ mihi multo omnium chariſſima ſunt, invitus & gemens divellor. Uxoris & liberorum quam curam geſſeris, puto nemini ignotum eſſe, niſi ſi quis te nec novit de nomine: & facis pro viro non ſolum ſapiente, ſed pio etiam, quique præceptorum meminiſti Pauli Apoſtoli. Sed hactenus tamen habenda illorum ratio, ne quid eis patiaris deeſſe ſive ad victum & cultum, ſeu ad honeſtam & te dignam educationem. Ut vero illi per laborem tuum deliciis & omni voluptatum genere ſeſe expleant, & opibus ac copia rerum omnium ad faſtum atq; ad arrogantiam abundent, nullo penitus modo vel procurare debes vel optare. Quid enim minus congruit iis præceptis ævi hujus tranſigendi, quæ ipſe & legiſti plurima & ſcripſiſti permulta? Hæc eſt animi mei ſententia, in qua εἰ μὲν ὁμοφρονῶ σοι, gaudebo: εἰ δὲ μὴ, νουθετεῖσθαι καὶ παιδεύεσθαι παρὰ σοῦ magnam habebo gratiam, non in hiſce tantum, quæ ſunt à nobis quodam modo πεπαιγμένα, (neque enim tibi conſilium hoc meum eſt opus) verum etiam in ſeriis, velut in libris meis de di-

ſci-

ſciplinis;& aliis,ſi quos meos vacavit inſpicere. Uxorem tibi convaluiſſe gratulor. Illi ſalutem ex me dices plurimam. Opto vobis fauſta omnia & felicia.Brugis Cal.Septemb.1532.

EPIST. LII. Parrhiſios aut Martianum ejus.

Lodovicus Vives S. D. GV. Budæo V. CL.

Binas tuas literas accepi eodem fere argumento, quibus ternis meis reſpondes. Quanquam multi ſunt loci in meis, quos noluiſſem tacitos dimiſiſſes, de quibus, qvum vacaverit, aliquid dices. Utræq; literæ tuæ datæ ſunt ex Martiano: priores poſtridie Calendas Januar. poſteriores poſtridie Calendas Februar. Hæc ita exacte addo, quoniam ſcire cupis, an mihi ſint redditæ. Mira eſt enim negligentia ne an improbitas in reddendis literis an utrumque, qvum ut ſero perferantur & reſignatæ, quales mihi videntur fuiſſe alteræ tuæ, ut meæ iſtic fuerunt. Bene habet,quod nihil ſcribimus, quod ſi proferatur & evulgetur,doleamus, ἵνα στράψῃς τοῦτόντι ἑλληνιστὶ γράφον, οὕτως κἀγὼ ποιήσωμαι. Video te moleſte ferre, ſuccenſere etiam nobis,quod te ſeu tua potius ex umbra iſta in lucem atque apertum proferri velimus, idque curemus; quin etſi quid apud te amicorum tuorum valet autho- Ejuſdem argumẽti

ritas, illud me usq; adeo perfecturum confido, ut pro perfecto multis exoptantibus jam promiserim. Tu hic videris, an eo magis mihi succensere constitueris, quod tantum mihi tuis in rebus licere permiserim, an fidem promissumq; hominis tibi amicissimi præstandum per te censeas. Ego quando in hunc locum progressus sum, ex quo regredi sine pudore vix possum, flagitator ero tibi non molestus quidem, sed tam assiduus & acer, ut si nihil nostræ amicitiæ, huic certe diligentiæ aliquid tribuendum habeas & tunc causatius fidem Διός Φιλίȣ implorare possis. Causificationes tuas omnes accipio. Qui possum enim non probare, quicquid à summo illo Budæo, cujus ingenium moresq; singulariter admiror & colo, profectum est? Sed istis tuis omnibus excusationibus atq; adeo recusationibus illum unum versum possem querulus occinere,

Causando nostros in longum ducis amores:

tùm & id, quod ad Architam Plato scripsit, *Non nobis solis nati sumus.* Non possum me continere, quin seposito paulisper fulgore tuæ authoritatis audeam inspicere atque inquirere in tuas istas causificationes. Et quia credo exemplum epistolæ ad me tuæ penes te remansisse, non repetam tua verba: Luculenta illa argumenta, quæ brevi tanquam rationem ocii tui daturus es mundo, ego magnifica & præclara opera futurum interpretatus

sum,

ſum, in qua ſententia perſiſto, & id quamlibet diſſimiles fore credo & ſpero. Tu vero quid inquis, ſi de altiſſimo meo & gratiſſimo poſthac ocio futuro intelligam? Iſta, mi Budæe, non erunt documenta, & ea, ut tute polliceris, luculenta, qvum tibi intus omnia more & modo Aſpendii Cytharœdi. Qui potes Italos, Hiſpanos, Germanos, Danos, Pannonios, Britannos? qui potes vel tuos iſtos Gallos, etiam Parrhiſienſes Tranſpontanos docuiſſe, te in ocio jam eſſe, niſi partus, indicia, monumenta ocii viderint? Quæ iſtarum gentium & nationum te in ocio fuiſſe aliquando noſſet, ſi *annotationes*, ſi *de aſſe* non conſpexiſſet? Ego & amici alii tui ſciemus quidem ſemper, quid agas, ocioſusne ſis an negocioſus: exteris hominibus, & ad quos nihil præter nomen & gloria tua permanavit, iſtud declarari non poterit, niſi iis rebus, quæ ſunt argumenta ocii, quæ qvum daturum te promiſeris, & eadem luculenta, vide quid aliud futura ſint, quam quæ ego conjeci? acute ſcilicet ſolem ex ſplendore. Nam quod quereris tibi per nos ceſſare ne in ſeceſſu quidem licere: quid tu appelles *ceſſare* neſcio, an illud quod tribuit Epicurus ſuis Diis? qui nihil habent ipſi negotii, neq; alteri exhibent. Ne vivere quidem ut puto, velis, ſi aliud in vita facturus non ſis. *Ceſſare* ego judico extra aulicos & urbanos tumultus, extra moleſtas curas ſecum habita-

Ceſſare.

Otium. σχολή.

bitare, legere, scribere & sibi & aliis, hoc video Ciceronem appellasse *feriatum esse* & *cessare* & *agere ocia* & *nihil agere*: & Græci genus hoc exercitamenti dixerunt σχολὴν, quod tu tibi odiosum negotium esse dicis, & facere delicias te negas. Quæ possunt esse majores istis tuis tam delicatulis recusationibus? At judicium reformidas, quod? cujus hominis? tu non nosti te? an ignoras summum te tribunal literarium obtinere, quod de reliquis omnibus cognoscit, nullum de ipso? ad te ab aliis provocatur, à te vero ad quem? censor es, cui de moribus & ingeniis nostrum omnium permissa est cognitio & potestas, de tuis nemini. Nam quod satisfecisse publicæ expectationi te dicis duabus ærumnis exantlatis, satisfecisses forte, si vel ærumnæ fuissent leves vel parum strenue in ea re gessisses te. Nunc tam strenua tua opera in re tam ardua animos hominum incitat ad requirendas & efflagitandas abs te alias complures. Quot putes fuisse alios Herculi labores subeundos, si diutius vixisset? ita fert rerum ipsarum natura, ut ignavi segnes, inertes missionem continuo accipiant etiam voluntario oblatam: fortes, seduli, industrii, strenui semper fere in officio retineantur, quin & post missionem subinde revocentur ad munia. Sarcinas tuas per nos & componere tibi & disponere licebit, & respirare, & colligere te velut in tempestate jactatum & exagi-

gitatum. De ſtylo purgando & exacuendo talem excuſationem quem putas acceptu- rum, qui epiſtolas ipſe videat tuas? quæ videlicet ſatis oſtendunt ſtylum tuum rubiginoſum & ſitu nimio marcidum conſumptumque eſſe. De quadriennii vocatione obſecro taceas, ne tibi fraudi ſit, quod injuſſu poteſtatis literariæ conſenſusq; eruditorum publici, qui eſt exercitus philologiæ Imperator, à ſignis abſceſſeris. Quo tempore ne abfuiſſe videaris, ſed intentus operi alicui magno & laborioſo fuiſſe, fac nunc aliquid, quod nemo credat minore tempore, quàm quadriennio fieri potuiſſe. Jus trium liberorum allegas, quod multum valuit in antiquo Latio? at in hoc novo Latio & Hellade plùs valet jus trium librorum, & valet quidem ut interquieſcere liceat, ac rem familiarem reviſere & curare, ſed ut interim ad munera redeas, nec piger ceſſatorque in Repub. fias. Eraſmus noſter ne triginta quidem librorum jus ſibi adjumento eſſe vult, quo minus & Magiſtratus gerat & reliqua munia obeat. De me nihil eſt adhuc quod queri quiſquam poſſit. Nondum ſerus ſum ad edendum: veniet & mea tempeſtivitas. Quod ſi ne tum quidem parere potuero, ſatis fuerit tanquam obſtetricem vos ad pariendum hortari, incitare, & ut enitamini juvare. De his hactenus. Jam de Pandectis & obnunciatore illo tuo, propemodum intelligo

de

de quo loquaris sene, cui totæ tres anticifræ non suffecerint. Erasmus mihi dixit, doctissimum quemque ex Germania esse illi eam ob rem infestum, nec dignus est, cui tu irascaris. Non deerit, qui ei pro te respondeat, si modo responsum potest ejusmodi verbis inveniri aptius silentio. Quod si ipse contra eloquentiam bellum suscepit, nemini verendum est, ne regina illa rerum violatam suam majestatem inultam esse patiatur, cui etiam fortissima sæpe cesserunt arma. Quocirca in mœrore non sum, quod mihi de funere eloquentiæ dixeris, cui me jampridem dedi devoviq; totum, quam placida illa & approbante, tuum tuiq; similium esto judicium: sed devovi tamen. Verumenimvero mortalis eloquentia non est, quæ vivet & vigebit quamdiu homines erunt: & si hi omnes intereant, inter cœlestes illos montes versabitur omnibus chara, omnibꝰ jucunda. Proinde nec aliquid augurium & occentus obscænæ illius oscinis, quam malus ille vidit augur, reprimere & retardare de incepto debet opere. Avis enim ea est, cui nulla est in eloquentiæ auspiciis fides. Sed de hac re forsan alias prolixius. Erasmꝰ resalutat te, non scribit, quoniam tuæ nunc sunt scribendi vices. Epistolæ illæ ad eum tuæ, quæ sunt in principio hujus novæ farraginis, me nunc, qvum eas attentius & consideratius lego relegoq;, usq; adeo non aliqua in re offendũt, ut mirifice

me

me oblectent. In eandem sententiam eundemque affectum adductus est & Erasmus ipse. Quocirca si quid unquam ad te de illis scripsi, ignosce quæso mihi, qui tunc parum attentus eas percurreram. Sit tibi felix prosperumque quod in Martianum tuum demigrasti. Vicus, ut existimo, fiet celebrior excultiorq; præsentia tua, & omnia in tua villa melius curabuntur te spectatore. Vetus est Catonis illud, *Frons occipitio prior est.* Vetustius & illud Lybici cujusdam apud Aristotelem: *Optimus agro fimus Domini vestigia.* ἀλλὰ γλαυκὰς, ὡς Φάσιν, ἐς Ἀθήνας. Hæc ad priorem tuam epistolam seu ad utramque potius. Quid enim aliud est in posteriore? sed ad hanc quoque paucula respondebo, quum vacabit. Tu interea hanc ita accipias velim, ut putes responsionem esse utriusque tuæ. Si quid addidero, corollarium acceptum mihi referes, non pro solutione computabis debiti. Vale Lovanii Nonis Martii. Saluta meis verbis amicos, quos soles. Hic Hermannus Phrysius juvenis amœno ingenio & eruditione neutiquam vulgari tui est studiosissimus, precatusque est me, ut se tibi commendarem. Id ego facio, nec dubito, quin sit tibi suis dotibus brevi commendatissimus: quas dotes commemorare me necesse non est, tu eas continuo nosces.

EPIST.

EPIST. LIII. Seleſtadium.

Ægidius Tſchudus CL. atque Doctiſſ. V. Beato Rhenano S. D.

HIs redditæ ſunt mihi literæ tuæ, vir humaniſſime, una cum libello geſtorum Ariminii: ſed cum primas accepiſſem, non potui mox reſpondere, impeditus Gallica legatione, quæ & quadrimeſtri tempore in Gallia me retinuit. Reverſus autem, ne deeſſem amico, volui brevibus reſpondere, quid mihi in quibuſdam locorum & populorum nominibus videretur. Et principio quidem, cum tibi videatur Lentienſes non eſſe Lintzgoios juxta lacum Podamicum habitantes, ſed magis eos, qui habitant circa oppidum Lentzkirch, magis mihi tua, quàm mea arridet opinio, atq; ob id libens cedo. Deinde cum ſcribas, me nimium tribuere Straboni viro Græco & externo, quando ille dicit, *Germanos ſic dictos, quod fratres fuerint Gallorum ob morum conformitatem &c.* Referam quid me moverit ad credendum huic Græco autori externoq; viro. Primo, Strabo diligentius conſcripſit Alpes, Alpinas gentes, Rheni ortum, lacum Podamicum, Helvetiorum, Rhætorum, Vindelicorum, Gallorum, Germanorum, Italorum, atque aliorum populorum regiones, quam ullus fecerit Latinus autor, diligentiſſime ſingulorum populorum loca & ſitus commonſtrans

Lentienſes. Germani cur ſic dicti. Strabonis diligētia.

ſtrans, non quod ſua perſona has regiones omnes luſtravit, ſed Germani quidam & Galli hæc omnia ſibi ſuppeditaverunt, aut certe ingenioſi quidam milites, qui bellorum occaſione omnes iſtas luſtrarunt regiones. Vide, quæſo, quam oſcitanter Cæſar deſcribat ortum Rheni, & curſum ejus negligens, & Rhætos apud quos oritur, & lacum Podamicum quem efficit. Tacitus quoq; & Ptolemæus nullam faciunt mentionem de hoc lacu: & Mela obiter meminit nominis ejus. At Strabo diligenter eum deſcribit, referens etiam qui populi & regiones ad illum uſq; pertingant. Si ergo vir ille in minutis his diſquirendis tam diligens fuit, quis dubitet eum non diligentiorem fuiſſe in inquiſitione magni illius Germanorum nominis? Et hic quidem nihil ex cerebro ſuo, ſed quod alii experti viri ei ſuggeſſerunt, hoc ſcripſit. Commendanda eſt igitur hujus Græci viri diligentia, & magnis præconiis extollenda, & nequaquam tantus autor contemnendus, quod longe à nobis diſſitus fuit. Si in minutis rebus verax deprehenditur, ut jam indicavimus, quis non credat ei in majoribus, præſertim in his quæ de Germanorum ſcripſit nomine? Vixit quidem ante Tacitum, & ob id veriſimiliora ſunt verba ejus quam Taciti, qui ſcribit nomen Germaniæ vocabulum eſſe recens, etiam cum Cæſar & alii quamplures longe ante eum mentionem fecerint Ger-

Tacitus notatur.

manorum. Quin & Livius indicat *se reperisse apud antiquos autores, tempore Tarquinii Prisci, Germanos in Italiam profectos &c.* Unde igitur est, ut Tacitus ex Germania novum faciat nomen, nisi quod somnium capitis sui scribit, sicut & de origine Judæorum & veneratione Christianorum similia prodidit somnia? Ob id Tertullianus in Apologetico capit. 16. eum reprehendit, vocatq; *rabulam mendacem*, id quod Straboni ab antiquis autoribus nunquam factum legimus. Verisimile igitur videtur esse id, quod scribit de Germanis, nempe eos à Gallis Germanice loquentibus vocatos fratres, qui usus apud Helvetios quoq; hodie invenitur. Et cum postea Romani Galliam obtinuissent, didicerunt à Gallis nomen illud, transtuleruntq; in linguam suam, & vocaverunt fratres illos, *Germanos*.

Deinde Tacitus non aperte dicit neq; interpretatus est, nomen Germaniæ esse Germanicum vocabulum, ut sit idem quod *garman*, id est totus vir, cum alioquin Germanica vocabula verterit in linguam Latinam, qualia sunt, *brecht, herd, pfriem* &c. Quare igitur & præcipuum vocabulum Germanicæ nationis non vertit in latinam linguam, si est Germanicum? Notata fuisset proinde in majoribus nostris magna ambitio & præsumptio, si sese hoc ambitioso nomine reliquis nationibus prætulissent, denominassentq; *Garman*. Addo & istud,

iſtud, vocabulum ipſum Germaniæ non ſic omnino fuiſſe extinctum in Germania, ſi fuiſſet vox Germanica, potiſſimum cum fuerit ſummum & præcipuum vocabulum hujus gentis, poſteaquam particularium gentium nomina non ſint apud vulgares homines obliterata, qualia ſunt *Phriſii* Frieſen, *Svevi* Schvvaben, *Saxones* Saxen,& alia quædam,& tamen populi iſti ſolum membra fuerunt totius Germanicæ nationis, ſed retinuerunt in vulgari lingua nomina ſua antiqua, etiam cum illa nihil ſignificent in Germanica lingua.

Quid igitur accidit,ut interciderit ſummum Germaniæ nomen, ſi fuit compoſitum ex dictionibus Germanicis ſignificativis, nempe ex *gar* & *man*? Et certe nullus hodie in Germania invenitur populus, qui in ipſa Germanica lingua nomen retinuerit Germaniæ, ſed ſolum apud Latinos invenitur, hanc nationem Germaniam vocatam.

Tertio dicit Tacitus, quòd à ſeipſis invento nomine Germani vocarentur: & quidem hæc verba Strabonis ſententiam nonnihil confirmant, & non enervant, cùm in hunc uſque diem hujus nationis conſvetudo ſit, à majoribus veluti per manus tradita, ut ſeſe in bellis *fratres* compellent, ita ut etiam duces exercitus, quando milites alloqvuntur, eos *fratres* vocent, quos Romani olim *commilitones* appellaverunt, & aliæ nationes

more quoque suo vocant. Nam qvum Romani olim tubis aut tympanis milites ad vigiliam adhortabantur, vel aliud quippiam intimare satagebant, dicebant. *Audite populi*, vel *commilitiones*. Galli vero clamant, *O compagnoni*, id est, heus socii: & Helvetii sic, Also ihr Herrn/ id est, heus ô domini: alii autem populi suos acclamant more suo. At Germani ab antiquo milites suos sic acclamant: Also ihr Brüder/ hoc est, heus ô fratres: unde procul dubio ab exteris nationibus & ante multa tempora illis datum est Germaniæ nomen. Et hic quidem mos est Helvetiorum, ut Germaniæ populos fratres vocitent. Consonat quoque sententiæ Strabonis, quod Romani vocabulum Germanorum populorum semper acceperunt pro fratribus. Vel ejus Paterculus lib. 2. ubi mentionem facit de execratione, quæ Consulibus Lepido & Planco triumphantibus fiebat, quorum fratres proscripti erant, ait illis acclamatum, *De Germanis, non de Gallis, duo triumphant Consules*: ubi loqvuntur obscure de fratribus Consulum, & per jocum incessunt Consules ipsos, perinde quasi Germanorum populorum victores fecerint triumphum. Si itaq; vox *Germanus*, fuisset vocabulum Teutonicum *German*, minime quadrasset huic joco. Dicit proinde Tacitus: *Germaniam frugiferarum arborum esse impatientem*. Et quidem fieri potest quod suo tempore nul-

nulla talis arbor in ea plantata fuerit, nihilominus terra ipsa semper fuit & est hodie in multis locis frugifera feraxq; vini, ut in Franconia, juxta Neccarum, & alibi. Cum itaque proprios antiquos autores non habeamus qui Germaniam ipsam descripserint, sed confugere oporteat ad exteros, Latinos & Græcos, videtur mihi Strabo omnibus præferendus, qui diligentius cæteris quæq; investigavit.

Joannes Aventinus, qui Bavariæ antiquitates descripsit, & vetusta nomina diligenter elucidavit, in hoc uno mihi non satisfacit, quando scribit *Augustam Vindelicorum* non esse eam quæ hodie locatur prope Licum, quodque Vindelici citra Licum versus lacum Podamicum nihil dominii habuerint, sed juxta Ptolemæi sententiam habitarint inter Licum & Ænum, id quod omnino est contra sententiam Strabonis, qui scribit Vindelicos attigisse lacum Podamicum. Facile quidem assentior, tempore Ptolemæi & ante, Vindelicorum tractum inter lacum Podamicum & Licum, jam Rhætorum regionibus assignatum, & omnes has regiones in unam redactas provinciam: sicut & apud Helvetios postquam intercidit nomen ipsorum, pars quædam Sequanorum provinciæ fuit asscripta (Nam Ptolemæus ponit Aventicum inter Sequanos, quod tamen tempore Taciti Helvetiorum metropolis fuisse scribitur) & pars alia

Aventin. notatur.

Augusta Vindelic. Vindelici ad lacum Podam.

Aventic.

fuit Rhætiæ adjuncta, sed quæ postea Alemannis una cum memoratis Vindelicis, qui sedem habuerunt inter Licum & lacum Podamicum, sese obligavit. Quod vero Aventinus illam terræ portionem contra Strabonis mentem dicit perpetuam Rhætiam fuisse, & Augustam in ea sitam, Augustam Rhætorum vult esse, statuens interim juxta amnem Iseram aliam Augustam Vindelicorum, nullo fulciri potest autore. Hoc enim pacto liceret arguere ex Ptolemæo, Aventicum nunquam Helvetiorum fuisse, sed Cannodurum tantum & Forum Julii, juxta Rhenum atque intra Helvetiorum limites sita: sic enim Ptolemæi tempora locata deprehenduntur. At ex Antonini itinerario facile probatur, hanc eandem Augustam, quæ juxta Licum collocatur, Augustam esse Vindelicorum, quæ & illo tempore adhuc habuit nomen Vindelicorum, non obstante quod citra Licum in provincia Rhætorum sita esset. Nam erant adhuc illius regionis habitatores Vindelici, etiamsi Rhæticæ provinciæ accenserentur. Ponit proinde Antoninus duo itinera, unum *à ponte Æni Isinisca 20. M. p. Ambre 32. M. p. Augusta Vindelicorum 27.* Aliud *à Blodoro Quintianis 24. M. p. Augustis 20. Regio 24. Abusnia 20. Vallato 18. Summuntorio 16. Augusta Vindelicum 20. M. p.* Describit quoque itinera quædam, quæ ab Augusta Vindelicum ultra progre-

grediuntur, unde facile conjici, imo inferri potest, Augustam ipsam non juxta Iseram, sed juxta Licum sitam. Vale.

EPIST. LIV. S. Galli.

Henr. Bullingerus Joach. Vadiano gratiam & pacem à Domino.

PUdet pigetque me mei, Vir honorande, qui in te optime de me meritum tam sum ingratus, ut tu cogaris tertio jam idem à me postulare. Sed per Christum te oro id delicti mihi condones. Negotiis enim supra quam dici possit obrutus sum. Excuduntur jam secundo Comment. mei in Acta. Scribo interim & in Ephesios Pauli, scripsi in Galatas, scripturus porro sum (si Dominus dederit gratiam) in Philip. & Coloss. ante proximas nundinas Francofordienses &c. De libris Ambrosii id sentio, quod tu, stupidos hos nequaquam esse authoris optimi & judicii emunctissimi fœturam. Stilus enim non congruit cum aliis Ambrosii operibus. Deinde longe aliam rationem sequitur in exponenda ratione Sacramentorum in iis libris, qui absque controversia sui sunt, quam in his sequatur. Confer tu modo illa, quæ in his de Eucharistia scribit cum illis, quæ leguntur 2. Officio libro capite 28. & in 1. D.Amb. liber de Sacram. & Eucharistia.

 ad

ad Corinth. cap. 11. & videbis quam sibi sit dissimilis. Præterea omnia in his libris sunt frigidius tractata quam Ambrosii ferat acumen & diligentia. Erasmus suo more dissimulat & occulit suum judicium. Non enim horum librorum vel verbo meminit. Rejecit tamen in postremum tomum, ut non dubitem illum sentire magonis cujuspiam illud esse opus. Noluit tamen censura sua notare illos libros subdolus, ne fortassis crederetur cultor esse nostræ de Sacramentis sententiæ, qui scilicet non nisi duo aut ad summum tria confitemur. Cæterum quomodo Bertramus istis libris usus sit, non nescis. Vixit is Caroli II. cognomento Calvi temporibus. Valebis optime 7. Julii, an. 1535.

Bertram. Presbyter.

EPIST. LV. S. Galli.

Bullingerus Vadiano CL. Cos.

Honorii Imp. sepulchrũ.


ANno Domini M D. XLIV. pridie Nonas Februarii à fossoribus, qui fulciendis fundamentis terram effodiunt, novæ basilicæ S. Petri à Julio inchoatæ haud longe à mole quadam rotunda, ubi mausoleum fuisse Honorii Cæsaris nonnulli putant, nunc vero in Sacrarii usum cessit, repertum est sepulchrum marmoreum, cujus operculum & ipsum marmoreum longum erat pedes X. latum VI. altum unum & dimidium. Vas ipsum cujusdam amplitudinis

nis foris quadratum, intus obtusos habebat angulos. Sublato operculo reperta sunt ossa duorum cadaverum, quorum alterum fuisse Mariæ sponsæ Honorii, filiæ Fla. Stilichonis ex certis indiciis colligitur: alterum quoq; Thermantiæ ejusdem Honorii sponsæ, & ejusdem Stilichonis filiæ fuisse creditur. Quarum utrasque virgines defunctas Historici tradunt, & regio habitu simul cum dotibus sponsalibus conditas esse ex iis ornamentis, quæ apud ipsas inventa fuerunt, constat. Erant autem hæc cadavera palliis aureis involuta, ipsæq; calvariæ aureis cinctæ diadematibus. Fila vero palliorum vetustate computruerant: externi vero limbi ipsaque diademate ex auro ductili constabant. Quare ex iis aurum conservatum est. Ossa adhuc cohærentia simul cum vestibus statim ad attactum sensumque aeris abierunt in pulverem. Aurum ex vestibus collectum & purgatum ponderabat libras circiter LXXX. In pectore alterius massa racemi specie dependebat, composita ex auro, adamante, smaragdo, atque aliis gemmis. Apposita erant & vasa aliquot perforata forma clepsidrarum odoris gratia concinnata. Margaritæ grandiusculæ LIII. sed squalore sic erant contectæ ut digitis dissiparentur. Anuli aurei plures C. quibus maxime gemmæ per orbem atq; circumferentiam erant insertæ, jaspides, carbunculi, adamantes, & reliqua. Cochlea aliquot

Mariæ Stilicon. cadaver. Thermã. Stilicon. cadaver.

aurea, calamistra aurea, sitella quædam argentea, mirabilis artificii vasa aliquot cristallina, vas quoddam sine concha ex Achate lapide. Item ornamentum quoddam panis fere specie, constans ex duabus gemmis, quarum altera Cornelius erat, altera Topazius: quas connectebat circulus sive zona aurea variis gemmis distincta atq; ornata. In lapidum superficie utrimq; insculpta funere nomina , hoc fere modo:

Delata sunt mox omnia in Palatium vicinum ad Pont. Max. ubi nunc asservantur.



In altero latere eadem legebantur Honorii ac Stilichonis, atq; etiam hac nomina Thermantia Serena.

URSPERGENSIS in Chronicis:

Stilico Comes erat de perfida & dolosa gente Vuandalorum natus. Idem socer erat Honorii. Cujus duæ filiæ Maria & Hermantia, altera post alteram Principi Honorio desponsa sunt, sed utraque virgines obierunt, &c.

EPIST.

EPIST. LVI. S. Galli.

Bullingerus Vadiano gratiam ac pacem à Domino.

QVæ de reperto Mausoleo nuper ad te dedi, interim multo certius accepi ab iis, qui viderunt. Transierunt enim hac superioribus Paschalibus feriis duo viri eruditissimi, cives & Canonici Brugenses, ex animo Christo & veritati faventes: qui circa Martii principium adhuc Romæ fuerant. Ex eorum indiciis & expositione hæc, quæ hic mitto, ut tibi gratificarer, conscripsi. Hæserunt aliquot apud nos diebus, conferentes nobiscum de rebus literariis & religionis. Repararunt fasces ex itinere miros, ac nos illos amicis colloquiis atq; conviviis refocillavimus, &c. Aprilis 19. An. 1544.

EPIST. LVII. Parisios.

Joan. Auratus ad Robertum Stephanum Typographum nobilissimum.

INter tot, hac ætate belle qui typis
Cudunt minutulis libros,
Primas, Roberte Stephane, tu parteis tenes,
Reclamitante nemine.
Seu quis requirat literæ elegantiam,
Cæsis in æs è formulis
In plumbeas abire jussam tesseras,
Vulcania juvante vi.

Typogr. Stephan. prædicatio.

Seu

Seu linearum nobilem symmetriam,
  Oculos quod acreis plurimum
Juvet legentum, haud indecenter omnibus
  Suum tenentibus locum.
Versus spatiolis rite distinguentibus,
  Parvis perinde ut areis,
Quas hinc & inde, susq; deq; continent,
  Cohibentq; certi margines.
Seu quis (quod ad rem pertinet vel maxime,
  Quam quærimus) solertiam,
Ac diligentiam sagacem postulet
  In eluendis omnium
Nævis librorum. ne qua labes sordium
  Doctorum operibus insidens
Obstaculo sit imperitioribus,
  Doctisque bilem conciat.
Inusitatam ô hominis erga litteras
  [Humaniores quas vocant]
Propensionem mentis, ô animum viri
  Nullo silendum tempore,
Seu sit superstes, seu fuisse Dii velint:
  Solerte qui cura libros
Excudit expolitq; tanta. nec sinit
  Circumsideri erroribus,
Aut occupari: crassa quos inscitia, (Barbaries superiorũ seculorum.)
  Et obsoleta spurcitas
Linguæ profudit antelapsis seculis
  Tum cum nitor sub pedibus &
Sermonis apparatus esset (pro nefas)
  Simul omnis eruditio:

Ex-

Expulsa terris quæ per hominum inertiam
Humana corda fugerat.
Gentes ut execrata quondam ferreas,
Post aurea atq; argentea
Peracta secla, dicitur novissima
Liquisse præpeti pede
Astræa terras, quam Pudor & Integritas
Recti boniq; præsides
Sunt insecutæ, non reversuræ, nisi
Criminibus indicta fuga.
Sic effugarat, quicquid in terris erat
Tunc litteraturæ bonæ
Ætas parentum rustica atq; inelegans,
Cum dira labes hæc statim
Veterum occupavit expolitas schedulas
Unde, nisi ab ignorantia
Profecta? Cæterum lues hæc deniq;
Vires eundo sic malas
Collegit, ut sincera nulla pagina
Ad nos dein pervenerit.
Cunctis dolendum quod foret nunc posteris:
Queis haud inoffense datur,
Nec sine labore plurimo ire per libros:
Æras reliquit quos prior
Mutilos, adesos, saucios, interlitos,
Et ulcerosos undiq;,
Mentisq; totidem pene, quot vocabulis
Turpem scatentes in modum.
Quæ non parum vel eruditioribus
Nunc exhibent negocii.

Veterum scriptorũ corruptela & depravatio.

Illas

Illas quotidie acriter pugnantibus
Loco movere non suo.
Roberti Stephani Typogr. laus.
At ô tuarum possit hac in parte quis
Laudum invenire terminum?
Cui tanta se monimenta debent, atq; tot:
Quæ prisca gens mortalium
Licet ædidisset, nunc forent ut inædita
Ni per laborem plurimum
Redintegrasses tu resuscitans ea,
Prope dixerim, intermortua
Roberte literariæ rei salus.
Non ut columnis pluribus
Inniterentur tecta. prætereuntium
Quod vertat in se lumina.
Non ut renidens tibi lacunar in domo
Fulgore verberet solum
Imaginosum. Non enim tu arti tuæ
Statuis avare & sordide
Precium: leveis quod sacculos exhauriat
Scholasticorum pauperum:
Tuam frequentant qui tabernam plurimi
Plenam bonarum mercium:
Emptos ut illinc quam licet parvo libros,
Quibus opus ipsis, auferant.
Libros: heri qui diligentiam sui
In corrigendis lapsibus
Vel ore ab ipso, ceu parentes liberi,
Testentur ac subindicent.
Quod dum assequaris, sumptibus non interim
Parcis profusioribus,

Plus

Plus publicæ rei quam domesticæ gerens
  Curæ atq; sollicitudinis.
Nec me latet, quis sit status domi tuæ,
  Si Junius Rabirius
De te loquendo verba non mihi dedit. Junius Rabirio.
  Quod cur faceret? aut quomodo?
Cum vir sit (ut scis hospes ejus)& bonus,
  Et elegantis ingenii:
In quoq; nigri nulla mica sit salis,
  Multum sed albi & candidi.
Is ipse verbis talibus (si sum memor)
  Est usus ad me dum redit
Dato libello sub tuum prælum suo,
  Grato tenellis mentibus:
Quibus solidior convenit nondum cibus:
  Aurate mi, medullitus
Quem diligo, quem plus ocellis his amo:
  Qui lucis usum dant mihi.
Non tu potes videre conjectareque,
  Quo nunc ab orbe sum redux?
Cum conspiceris me renidenti ore sic
  Magnum fateri gaudium.
Næ tu parum vides, opinor sordium
  Quam plena tibi sunt lumina.
Sed quid moror nunc eloqui, cur ita siem
  Perfusus alto gaudio?
Adverte dicam. Pes refert me nunc meus
  (Equi mens sit sit mei)
Illinc. ubi lux ire purior mihi
  Videtur, ac serenior,

(Lux

(Lux litterarum, dico : non diurna lux)
Quam gentium usquam. Cæterum
Hac gratia illuc iveram, libellus ut
Committeretur publico.
Puertiæ quem scriptitavi in gratiam
Volentis informarier
Solennibus linguæ Latinæ initiis,
Et institutis primulis.
Ut ergo talis conscius voti mihi
Et appetitus, veni eo.
Miratus urbem, doctiores & viros,
Mox me Roberti contuli,
Eum alloquendi cupidus, ad domum, neque
Facta est rogante memora,
Quin duceret me, mitteretq; intro statim
Impigra servorum manus
Illuc: ubi illum reppeii voluminum
Inter patentium greges,
Totum imminentem litteris, errataq;
Delere & interpungere
Non desinentem, stante retro Pallade
(Tydidæ ut inter prælia)
Monitrice cujus cuncta de sententia
(Ducenda seu foret nota
Transversa, seu lacuna libris indecens
Infercienda replendaque,
Seu submovendum quidpiam verso stilo,
Sive quid agendum deniq;)
Agebat ille. Qui simul vidit procul
Ad se ferentem me gradum,

Sal-

Salvare justum me mora nulla rogat,
Quis? unde? quaq; gratia?
Hic ipse oborto obmutuissem cum metu,
Adstantium quem fererat
Conspectus eruditione insignium,
A mœniore scilicet,
Valde virorum. qui simul consveverant
Socios laboris sedulo
Præstare sese, cumq; eo per voluere
Mox imprimendos codices:
Blande manu me prendit, ac in augulum
Seduxit ut vacuum metu
Id, quod volebam, non puderet me loqui.
Ad me redivi tunc ego,
Votumque in ejus auribus cœpi meum
Audacius deponere.
Quod expetebam, ille annuit dempta mora
Cumulumq; gratiæ addidit:
Quod me volentem posuit & mox in suis,
Non ante sane creditum.
Sperare nec enim venerat in animum mihi.
Fortasse non digno, boni
Tantum: verendos ponerer ut inter viros
Autoritate laudeque.
Insignis hoc, & plura liberalitas
Tamen mihi dedit viri.
Nam censuit me, de suo qui viverem,
Dignum: suisq; in ædibus,
Qui commorarer. Quale diversorium
ô Juppiter? quam splendidum?

Quantumq; amœnum? sed potissimum, quibus
  Cordi bonæ sunt litteræ,
Quid aliud illic inter uncta fercula,
  Spumas agentes & scyphos?
Quid, cum remotis pulsa jam mensis fames,
  Sedavit & potus sitim?
Quid ad caminum luculentumq; foculum?
  Si quando hyems inhorruit.
Quid inter opus, ubi collocatur maxima
  Illic diei pars citi?
Quid (tandem ut una cuncta summa colligã
  Lares beatos personat
Indesinenter, continenter, jugiter,
  Et usquequaq; & undiq;,
Intaminata quam Latini puritas
  Sermonis, & castus decor
Nempe uxor, ancillæ, clientes, liberi
  (Non segnis examen domus)
Quo Plautus ore, quo Terentius, solent
  Quotidiane colloquii.
Hæc inter animo quo fuisse me putas?
  Quo? nisi solet quo rusticus
Ingressus olim divitis fores domus,
  Et invidenda limina?
Ut imminentia vertici stupet suo
  Laquearium cælamina:
Ut, insolenti quas opes calcat pede,
  Positosq; circum parietes
Pictos tapetas mente perculsa videt,
  Perstrictus auri fulgure

Novis

Novis ferendis impareis ſpectaculis
Oculos, genasq́; debiles.
Hæc elocutus Junius Rabirius
Seſe recepit ad ſuos,
Mirationis me relinquens ebrium,
Et invidentem jam ſibi.

Ejuſdem ad eundem Diſtichon

Forſitan hæc quæras à te quid pagina quærat.
Quærit, reſcribas ni ſibi, nempe nihil.

Datum Lemovicibus quarto nonas Maji. Anno M. D. XXXVIII.

EPIST. LIIX. S.Galli.

Joannes Sinapius Joach. Vadiano Conſ. & Medico Reipub. S. Galli apud Helvetios S.

NOn potui facere, vir clariſſime, qvum ex eruditiſſimis lucubrationibus tuis nomē tuum ubiq; gentium celeberrimum à puero uſq; noverim & coluerim, quin te per hunc civem tuum Huldrichum Schlaprizium & officioſe ſalutarē & ad maturandā æditionē operis hiſtorici, quod moliris, exhortarer. Quippe quod apud doctiſſimos quosq; in ſūma expectatione eſt. Quod ut cito, & feliciter, & cū tu-

totiusq; Reipub. Christianæ bono ad umbilicum ducas: opto. Interim vehementer te oro, Doctissime vir, si quid de origine Svinfordi compertum habes, vel tu, vel (quem tibi non dubito conjunctissimum esse) Sebastianus Monstreus, id per eundem hunc civem tuum, si vacaverit, ad me scribere digneris. Frequenter enim huc ad nos commeat. Est vero *Svinfordum* civitas imperialis in Orientalis Franciæ medio sita, ut illius umbilicus dici possit, æq; ut olim ὀμφαλὸς γῆς à Pindaro Delphi. Vineis, agris, pratis, nemoribus & navigabili flumine Mœni seu Mogono maxime insignis. A qua olim nomen fuit *Burggraviis à Svinfort*, quorum Otho quidam Dux Suevorum postea fuit. Et sunt in circuitu sane Castella pleraq; nomen à Svevis habentia: ut suspicer nomen id corruptum esse ex Svevofordo, ut sicut *Francofordum* Francorum vadum, ita *Svevofordum* vadum Svevorum appellatum sit à Svevis, non à porcis, nomine deducto. Si quid habes, Ornatissime vir, quod huc pertineat, etiam atque etiam oro mihi ut id impertias. Est enim ea mihi patria, quo minus mireris si ejus quam aliorum locorum majus me studium teneat. Meoq; huic desiderio, si forte videbor importunus, haud gravatim, qui tuus est candor, veniam dato. Bene vale, clarissime vir. Et si vacat aut commodum est, salutem meis verbis vicino tuo Conrado Geisnero Medico Ti-

Svinfordum.

Burggravii à Suinfort.

Otho Burggravius à Suinfort Dux Sveviæ.

Francof. Svevof.

Tigurino dicito, & D. Monstero. Ex Aula Serenissimæ Reginæ ac Principis Ferrariæ, Pridie Calend. Decemb. An. M.D.XLV.

EPIST. LIX.

Hundiscotam.

Petrus Nannius Alcmarianus Paulo Leopardo suo S. D.

Nihil minus arbitror, optime Leoparde, quam Frobenius offensum iri tuis castigationibus in Erasmum. Aliud est errata tollere, & sanare in pulchro corpore quod vitiosum est; aliud est criminose insultare. Nec mihi unquam movisset stomachum Robortelli ab Erasmo dissensio, etiamsi mille locis discrepuisset, hominis virulentam debacchationem & furiosas blasphemias ferre non potui: neque alia intentione calamum in eum sumpsi, quam ut docerem hominem, qui sub nomine Erasmi omnes Transalpinos sibi videbatur triumphare, nihil prorsus esse: ostendique in multis eum vitia, quæ nulla essent, calumniari, & quæ essent, ipsum non videre, ac proinde ipse aliquot vitia Erasmi subjeci. Quapropter oro te per quicquid Musis & Musarum cultoribus charum & sacrum est, ut primo quoque tempore librum tuum eruditissimum edas, ut videat ille Cæcilius quantopere cæcutiat, qvum tamen tantopere emissitios oculos in scripta Erasmi defigat. Non dubium miratur,

Errata doctorũ virorum tollenda, ut nævi in facie pulchra. Robortelli calumniæ.

tur, ægrescit, quod aliquid viderim ab ipso non animadversum: quid futurum est ubi tuum Oceanum suis undis æstuantem cognoverit? Crede mihi optime Leoparde, retundendus est fastus quorundam Italorum, qui se Ciceronianos volunt, quique dum frigidam & superstitiosam quandam elegantiam soni verborumq; inanium sint consecuti, cæteros omnes præ se contemnunt, & magnis conspirationibus adobruunt. Si utaris Frobenio, rectum erit: sive Oporino, non minus faustum erit, bonus & doctus vir est, & qui tuas dotes optime intelliget. Si ad alterutrum meam operam requires, ea tibi non negabitur. Vides quam libere ad te scribam, idq; ideo facio, ut ex fiducia sentias, quanti te faciam, & quantopere tibi confidam. Bene vale. Lovanii, XV. Calend. Decemb. 1551.

Ciceronianorũ fastus.

EPIST. LX.

Genevam.

Henricus Scrimger Henrico Stephano S.

ACcepimus duos codices γεαρῶν. Valde Domino placet operis elegantia & magnificentia, quod gaudeo. In epistola nostra priori vel mea in curia factum vel quod te, quem volui ea diligentius expendere, non satis ad id temporis scripseris, ut nonnulla, quæ in margine forte erant nec deleta, in alienum locum irrepserint, ut illud prima pagina paulo

Novellæ Imperatorum.

ante

ante imum marginem *fecit inquam*, quod omnino ponendum non erat, aut si ponendum, non eo loco, sed ante illa *ut in eam cogitationem*. Pagina sequenti ubi *subsecivis* scripseram, tu *successivis* communi more scripsisti, cum neque id ratio patiatur, & veteres non modo codices sed authores rerum rusticarum & agri mensores *subsecivum agrum* semper vocent, & docti omnes id probant, inprimis Turnebus quodam in loco adversus Ramum. Sed in eo nihil est momenti, cum hoc positum à te receptum jam passim esse sciam: te tamen admonere volui, quid in eo spectaverim cum sic scriberem. Item illud *augiæ*, quod ego *augei* scripseram, te puto Latinos quosdam codices secutum, cum αὐγεῖος Græce vocetur. Reliqua optime, nec in istis quicquam incommodi, præter illud *fecit inquam*. Tibi cum isto Diogenem Laertium mitto, quem cum acceperis, rescribes. Vale. Augusta, 1558.

Subsecivus.

Augias. Augeus. Αὐγεῖος.

EPIST. LXI.
Basileam.

Sebastianus Lepusculus D. M. Severino Ertzbergio Ordinis Philosophici dignissimo in Academia Basiliensi Decano S. D.

HOspitalitatem tuam, Dignissime Domine Decane, dissimulare non possum, qua ita

Hospitalitatis la[...]

ita polles, ut multis parasangis plurimos præcurras. Huic virtute olim egregie studebant Sancti Patriarchæ: unde & non sine laudis commentatione in divinis literis imitandi proponuntur, in primis Abraham & Loth, ut habet Autor epistolæ ad Hebræos c. 13. qvum inquit: τῆς φιλοξενίας μὴ ἐπιλανθάνεσθε· διὰ ταύτης γὰρ ἔλαθόν τινες ξενίσαντες ἀγγέλους. Et hoc est, quod vetustissimus ille Jose, filius Johanan, vir Jerosolymitanus, dixit; יהי ביתך פתוח לרוחה . ויהיו עניים בני ביתך hoc est: *Esto domus tua aperta versus plateam, sintq; pauperes filii domus tuæ.* Ita & Dominus ὁ σωτὴρ ἡμῶν jubet ad prandium sive cœnam vocare πτωχοὺς, ἀναπήρους, χωλοὺς, τυφλούς. Et in consummatione seculi benedictos patris sui ab hospitalitate prædicabit. Tantùm vero abest ut superbias propter hujusmodi dona à Deo in te collata, ut ipse apud me sæpius cum Davide dixeris: יהוה לא גבה לבי ולא רמו עיני ולא הלכתי בגדלות ובנפלאות ממני hoc est: *Domine, non est exaltatum cor meum, neque elati sunt oculi mei, neque ambulavi in magnis neque in mirabilibus super me.* Et iterum: כי ממך הכל ומידך נתנו לך

Id est: *Quoniam ex te sunt omnia, & de manu tua tribuimus tibi, ut magis tete submittas.*

Por-

Porro quod ad Josippum attinet, jam Latine loquentem beneficio Sebastiani Munsteri, scias velim eum libellum ex variis scriptoribus, sed potissimum ex Josepho, esse concinnatum, à quo ne latum quidem unguem discrepat. Josippus Hebræus alius à Josepho.

Nonnunquam fusior est quàm Josephus, & rursus alicubi, ut eos decet, qui bonorum autorum epitomas conscribunt, contractior. Quandoque habet, quæ ille omittit; & interdum omittit, quæ illæ habet. In propriis vero nominibus hic interdum à Josepho variat vel in litera vel in syllaba. Quod certe librariorum vitio fieri potuit, quibus similitudo literarum facile imposuit, ut qvum *Pheroda* pro *Pherora* habet &c. Pheroda. Jam quanta sit inter literas Hebraicas similitudo, non inter omnes, sed inter literas ב & כ, ך & ר, ס & ם, ן & נ, norunt bene, quotquot hanc linguam Hebraicam vel à primo (quod ajunt) limine salutarunt. Hebraicarum literarū inter se similitudo.

Porro qvum hic Josippus noster abbreviator Josephi sit, ut dictum est, quod illud amplissimum testimonium, quod hic Servatori nostro tribuit, ille omiserit: an ex perfidia Judæorum post CHRISTI adventum factum sit, quæ & in aliis locis deprehenditur, scire nequeo. Id itaque in medio relinquo, & subjiciam, quæ in Josepho primum Jesu Servatoris ex Josepho præconium.

Græco, deinde & Latino, de Domino Jesu habentur. Ea ad verbum sic se habent:
Τοῦτον τὸν χρόνον Ἰησοῦς, σοφὸς ἀνήρ, εἴγε ἄνδρα
αὐτὸν λέγειν χρή. ἦν γὰρ παραδόξων ἔργων ποιητής,
διδάσκαλος ἀνθρώπων τῶν ἡδονῇ τὰ ἀληθῆ δε-
χομένων, καὶ πολλοὺς μὲν Ἰουδαίους, πολλοὺς δὲ καὶ τοῦ
Ἑλληνικοῦ ἐπηγάγετο. Χριστὸς οὗτος ἦν, καὶ αὐτὸν
ἐνδείξει τῶν πρώτων ἀνδρῶν παρ' ἡμῖν σταυρῷ
ἐπιτετιμηκότος Πιλάτου, οὐκ ἐπαύσαντο οἱ πρῶ-
τον ἀγαπήσαντες. ἐφάνη γὰρ αὐτοῖς τρίτην ἔχων
ἡμέραν πάλιν ζῶν, τῶν θείων προφητῶν ταῦτα,
καὶ ἄλλα μυρία θαυμάσια περὶ αὐτοῦ εἰρηκότων.
Id est: Hoc tempore Jesus sapiens vir (si virum eum dicere fas est) erat enim mirabilium operum patrator, & doctor eorum hominum, qui cum voluptate, quæ vera sunt, recipiunt, multos quidem Judæos, multos vero ex gentili cultu aggregavit. Christus hic erat. Hunc accusatione primorum ex nostris virorum, qvum Pilatus cruci affigendum esse decrevisset, non cessaverunt, qui primo eum dilexerant. Apparuit enim eis tertium diem habens, iterum vivens, divinis Prophetis hæc & alia innumera miracula de eo prædicentibus.

Hactenus Josephus lib. 18. capit. 6. de Bello Judaico, Hubertus Giphanius JC. omnium disciplinarum & antiquitatis studio ornatissimus, existimavit hunc locum esse spurium & à Christiano quopiam Patre, qui Ju-

dæis

dæis simul & Christianis factum vellit, interpositum.

Sed hoc pacto si censere veteres scriptores volumus, ecquid tandem erit, quod non in dubium vocare possimus? Et nimis est temerarium contra omnes libros veteres stare, quem Judæi vel maximum putant. Hic igitur, qui etsi Græce hæc scripserit, Judæus tamen fuit, paternarumque traditionum acerrimus æmulator, nisi ea, quæ per Prophetas illi de Messia prænunciata fuerant, recte intellexisset, neque de CHRISTO tam bene sensisset, neq; ea, quæ de ipso dixerunt, adeo bona fide retulisset. Quare neque dubium est, qui hæc de eo Græce scripserit, quin alia quoq; longe plura Legem & Prophetas exponens Hebraice scripserit, qvum ipse utranque linguam optime calluerit, & sacris literis ab ipsis incunabulis initiatus fuerit. Unde & credi quoq; par est, alios etiam plurimos præter eum iisdem temporibus extitisse, qui & de Domino Jesu Christo recte senserint, & Prophetarum vaticinia explanantes vera de eo scripserint, Hactenus illa. Rursus jam ad Josippum redeamus. Is cujusdam ישו הנצרי, id est: *Jesu Nazareni* meminit, fol. 82. qvum ait: *In diebus illis comprehensus est Jesus Nazarenus*, memineris sedulo, ipsum alium fuisse à Je- Jesus Nazarenus impius, qui ante Christū vixit.

à Jesu Nazareno Servatore nostro, qui multis annis illum præcesserit. De quo multa sane mala atque turpia in Thalmud prædicantur. Ea tamen omnia non de nostro Servatore, sed de alio quodam referuntur. Nam, ut Thalmudisticæ narrant historiæ in capite חלק, stante templo secundo, regnante Hircano Machabæo, Simonis Machabæi filio, quidam Rabbi Jehoschua, filius Perachiæ, eo itinere, quo ex Alexandria Jerusalem repetebat, hospitium una cum discipulis ingressus, domumque intuens, *quam pulchra* est? inquit. Quidam autem ex ejus discipulis ישו nomine non ישוע (quo nomine perfidi Judæi post ascensionem CHRISTI Salvatoris nostri, ex odio quo laborant Vatiniano ישוע nostrum, ipsissimam salutem nostram sacrosanctum & adorandum nomen defraudantes ultima litera ain, sic ישו, quasi prophanus & impius ille ישו esset, cujus Josippus & Thalmud meminit) qui & Nazarenus erat, credens verbum illud de hospitis uxore præceptorem suum dixisse, respondens ait: *Vere pulchra est, si non profundos oculos haberet.* Rabbi ergo ira vehementi contra eum accensus: *Impie*, inquit, *de hujusmodi ne tam nefario facinore cogitas?* Quo dicto illico eum à suo suorumq; consortio anathemate dejecit.

Talmud explicatur & notatur.

Judæi notantur, ישו & ישוע quid differant.

Qua-

Quare ישו (non ישוע, Judæe perfide) ipse se hujusmodi contemptu atque opprobrio affectum conspiciens, lapidem erexit, ipsumque pronus adoravit, ac plurimos Judæorum ad ipsius idoli cultum adduxit, qui & magus erat, & tandem sua ob scelera suspensus fuit. Unde sic de eo legitur: ולא כרבי יהושוע בן פרחיה, שהיה דוחה ישו הנערי בשתי ידים. Id est: *Non sicut Rabbi Jehoschua, filius Perachiæ, qui repulit* ישו *Nazarenum duabus manibus.* Quia igitur in variis ipsius Thalmud locis ישו ille de adultera ac polluta natus, idololatra, magus, legisque subversor, & tandem suspensus ingenti contemptu memoratur, quam plurimi ac fere innumerabiles, propter historiæ ignorantiam, & forte Rabbinorum recentiorum pravitate decepti, omnia illa turpia de ישוע gloriosissimo Servatore nostro dici putant. Sed hujus erroris falsitas ex eo maxime convinci potest, quod, ut in Thalmudicis historiis quoque patet, Hircanus ille Machabæus, sub quo fuit ישו ille Nazarenus, de quo tam nefanda omnia referuntur, ante Pontium Pilatum, sub quo Christus ישוע noster passus est, anno circiter CX. regnavit. Hactenus de ישו Nazareno, cujus Josippus mentionem facit. Postremo lectio Josippi plurimum conducit ad aliquot (quantum

tum historiam ipsam concernit) locos in literis Evangelicis & Apostolicis fusius intelligendos. Ut qvum Matthæus Evangelista Herodis meminit cap. 2. qui infantes Bethlehæmiticos quotquot erant bimuli aut minores interfecit. De Archelao hujus filio cap.eodem. Rursus idem cap. 14. de Herode Tetrarcha narrat, qui Johannem Baptistam decollavit propter Herodiadem, quem Dominus noster in Luca *Vulpem* appellavit, cap. 13. Idem est ille Herodes, qui cum sua aula Jesum ipsissimam sapientiam irrisit, qvum indutum veste splendida Pilato remisit, Luc. 23. Postremo habent & Acta Apostolica Herodem cap. 12. quem Lucas, *Regem* vocat, qui gladio Jacobum Apostolum occidit, quiq; Petrum in vincula conjecit. Qui qvum à turba adulatrice audiret; *Vox Dei & non hominis*, agnovit se dignum hac acclamatione. Idcirco ab Angelo Domini percussus, ut à vermibus erosus expirarit, eo quod divinos honores affectasset. De excidio item Jerosolymitano, cujus Lucas mentionem facit cap. 19. præterea de abominatione desolationis in Matthæo, stante in loco sancto, ex Dan 9. & reliqua. Quis amabo est, qui non agnoscat in hujusmodi & similibus locis, si diligenter horum historias versaverit, plurimum ad intelligendum eas se juvari? De Josippo nihil amplius habeo, qui, ut mea commendatione nihil opus habet, ipse sese melius commendaverit. Bene vale, vir opti-

optime, & compater charisſime, meq́; (ut hactenus feciſti) amare perge, nihil moratur eos, qui inter nos diſſidium volunt. Baſileæ ex muſæo meo, in commemoratione B. Matthiæ Apoſtoli, 24. Februarii, Anno M. D. LIX.

EPIST. LXII.

Pariſios.

Joach. Camerarius Henr. Stephano V. CL. S. D.

REddidit Guichetus literas mihi tuas ita ſcriptas, ut perſpicue declaretur ſingularis affectio animi erga me tui. Libros vero abs te editos jam acceperam, ſed ſine literis. Itaque tum nihil reſcripſi. Ago autem gratias humanitati tuæ cum præclara opera & ingenii & elaborationis communicanda mecum exiſtimas. Nam quod tantum mihi etiam tribuis, ut de illis judicium me facere poſſe credas, eo me, ut magnopere lætari neceſſe eſt, quod tam bona ſit exiſtimatio de me tua, ſic ſane ego ὥσπερ ἀναλογισάμενος τὰ τῆς φιλομαθείας impenſarum quidem ab opera & labore nonnihil reperio, ſed quod pactum eſt & factum lucri, id perexiguum eſt. Quo etiam tempore illud, quicquid erat & poterat & debebat diligentia creſcere & excolendo reddi fructuoſius, hoc cum Reip. perturbationes tum

tum privatæ difficultates eæ inciderunt, ut copiam deminui necesse esset, nedum tenuitas augeretur. Sed de his plura scribere non est opus. Te hortor, qui & naturæ adjumenta habes, & in quo eximia doctrina atq; industria & ætas ad tolerandam studii defatigationem vegeta est, ut pergas operam navare in iis publicandis, emendandis, perpoliendis, quibus instrui adjuvariq; possunt amatores optimarum disciplinarum & artium.

Etsi autem eruditio literarum indies minoris fit à plerisque, nihilominus tamen & consilium honestum est, & præclara sedulitas eorum qui, quicquid possunt, ad hujus conservationem & incrementa conferunt. Quoniam autem concedis mihi jus quoddam sententiam dicendi de tuis scriptis, de aliis fortasse alias tecum amanter agemus quærentes magis quam definientes.

Eobanus Hessus defenditur.

Nunc facere non potui quin significarem tibi, miratum me esse quod in mentem venerit tibi ut Eobani Hessi versus, quibus psalmes Davidicos est interpretatus, pene futiles perhiberes, atque laudem facultatis Poeticæ operi illi penitus detraheres. De quo certe plurimorum doctorum virorum alia opinio est. Nam meum quasi testimonium non modo ut rudioris καὶ ἀμουσοτέρου seu ut amici & benevolentis minus ponderis fortasse habere

bere debeat. Tu autem cum ἀναιτιολογικῶς pronunties, utrum autoritate an judicio obtinere causam velis, tibi scilicet est videndum. Venio nunc ad γραμματικὸν ζήτημα delatum ad Philipp. Melanchthonem. Atque ille quidem ita respondit, ut non solum ἐπιψήφισιν sed omnino διαγνώμην meam esse voluerit. Ego tamen & assentior illi, & quid præterea censeam non habeo. Nam quid significatione & reipsa prius posteriusve sit, non arbitror te ambigere, cum scias Aristotelem facere τὸ δίκαιον ἀπὸ τῆς δικαιοσύνης παρώνυμον. Et Priscianum ab *armis* verbum *armo* & contra à verbo *curo curam* deducere. Quod restat igitur, tuum opus expectamus. Ego autem valde expeto promissas abs te rationes emendandi libros veteres. Quæ cum prodierint, videbis ut ad nostros mercatus afferantur. Quod de desiderio filii mei Guichetus, narravit, id scito commune esse utriusque. Sed filius ante dies aliquot discessit, Petrus Italiam conficiendi cursum studiorum suorum gratia. Mihi autem non tam ætas ingravescens quam alia impedimenta obstant, quo minus suscipere talia itinera possim, quibus nihil esset mihi jucundius. Te bene valere, & feliciter rem gerere, & studio, industria, laboribus tuis quam diutissime prodesse sapientiæ virtutisque cupidis, precor. Vale, Guicheto officii à me hoc tempore variarum occupatio-

δίκαιον unde.

Armo unde.

Cura unde.

 tio-

tionum amborum,præstari nihil potuit. Qui cum significasset, se postridie abiturum esse, hæc festinanter exaravi ad lucernam, cum lippitudo etiam mihi esset molesta: quæ in optimam partem accipies & conservabis benevolentiam erga me tuam, tibiq; persvadebis, me esse studiosissimum nominis tui. Vale. Lipsiæ pridie idus Octobr.

EPIST. LXIII.

Genevam.

Carolus Sigonius Henr. Stephano suo S. D.

ACcepi libellum à te perelegantem eum, in quo tu summo studio veterum fragmenta Poetarum quasi aliquas ex fœda tempestate tabulas collegisti. In quo eodem nescio judiciine, an amoris erga me tui magnitudinem sim potius admiratus, judicii, quod ex ea re litterarum ad me mittendarum occasionem quæsiveris, cujus me magnopere studium delectaret. Amoris, quod me ejusmodi munere ad simile erga te obeundum literarum officium, quod tibi gratissimum fore significas, provocaris. Ego vero cum librum ipsum valde probavi, tum causam, quæ te ad eum mittendum impulit, multo magis, neq; enim illustri, mihi crede, tua erga me benevolentia ad volupta-

luptatem quidquam ſvavius, neq; iis quæ à diligentia ingenioq; tuo proficiſcuntur ad uſum accommodatius aliquid mihi poteſt contingere. Itaque doleo inprimis, me tamdiu Xenophontis illius tui Græci Latinique jucundiſſimo fructu carere, quem te ad me miſiſſe binis jam litteris repetis. Neque vero ego ſolus hoc conficior deſiderio, ſed familiares mei omnes, qui his dediti ſtudiis ſunt, ita te tuosque labores amant, ut nullam rem vehementius cupiant. Quamobrem ſcire avemus omnes, quæ ex officina tua, præter ea, quæ nunc ad te deſcripta mittimus, induſtriæ tuæ monumenta prodierint, ut ea ſibi quisque cognita comparare poſſimus.

Ego, quod de me quæris, his diebus de Republic. Athenienſium magnum ſane opus inſtitueram, eo conſilio ut aliquando Athenienſium res non minus quàm Romanorum mea ornatæ ac illuſtratæ induſtria poſteris proderentur. Sed me præter quotidianas occupationes multa jam ê medio prope curſu revocarunt. Proxime vero, quod à Bononienſibus honeſtis præmiis in Academiam ſuam accitus, eo jam prope totus animo incumbebam. Ubi ſi quid inciderit, quodad tua commoda pertinere intellexero, noli putare, me amicitiæ noſtræ, cujus

memoria apud me sanctissime custoditur, ullo unquam tempore defuturum. Vale. Patavio, Kal. Quintil. M.D.LXIII.

EPIST. LXIV. Argentinam.
Ob. Giphanius Henr. Stephano S. D.

Mihi ad te heri litteras, quas curabis. Fasciculum, in quo Catalecta, velim jam huic tradas: mandatum quoque dies de Plutarcho ad me deportando Falckenburgii nomine. De Gellio quæso te, ne & mihi & tibi noceas. Quod si aliter susciperes, testor summam mihi nostræq; amicitiæ fieri injuriam: quod ipse satis prospicis. Itaq; tua & scaligerana, cum domum redieris, expecto, & curabo ego bona fide, ut & ipse ea tibi præstem, quæ sum pollicitus. Plura jactare non soleo. De aliis quoq; rebus tibi adero, quibus in cumq; potero. Et suo tempore, id est intra annum, si voles, Lucretium habebis admirabiliter expolitum, simul & Justinum. Quæ quærebas testimonia de ellipsi illa, hæc fere sunt.

Cicero emendatur.

Ciceron. libr. 2. de leg. *Acerbiore odio incitatus, quam si tam fuisset sapiens quam fuit vehemens.* Idem lib. 1. de Rep. *Sed quoniam plurima beneficia continet patria & est antiquior parens, quam si quis, ut ajunt, curaverit: major ei profecto, quam parenti debetur gratia.* Ubi ita lego: *Et est antiquior parens, ut ajunt: major ei* &c. Idem lib.

lib.5. epistol. 20. *Non habui cui potius id negotii darem quam illud quidem.* Sic in eod. Victoriano: Idem 3. Off. *Piratarum enim melior fides quam senatus.* Hæc, *quam senatus*, sunt in plerisq; editis & scriptis. Sed rectius absunt meo judicio. Sic apud Lucretium lib. 6. &Lucretius.

Inde sonus sequitur qui tardius adjicit auris.
Quam quæ perveniunt oculorum ad lumina nostra.

Hic, *Quam quæ perveniunt*, aperte spurius est versus. Et lib. 1.

Posit ibi quidquam hac potius consistere caussa.
Quam quavis alia longe ratione manere.

Hic quoq; spurius mihi videtur. Vale, & si manes, quæso ut prandeas mecum. Jam enim satis valere cœpi aut certe huic quoq; de Gellio indices, an probes & sis facturus.

EPIST. LXV. Genevam,

CL. Auberius Eust. Bucbærio Juven. pio & erudito S.

MIrabiliter nos exercet *Ovum* non gallinæ sane, sed acutissimi, pene dixerim, Galli: si non Galli, sed Simmiæ dicas esse, certe à Gallo æditum, & à Gallo mihi Gallo suppositum fovendi, & mirum aliquem pullum educendi gratia. Videbis σὺν Θεῷ pullum hunc, qui qualis futurus sit nescio. Quare pares te, quæso, & integram famem aut ad ovum aut ad pullum afferas. Sane Simmiæ ovum.

cum ovum hoc mire corruptum ſit, nondum tamen putridum, vereor ut tuam expectationem ſuſtinere poſſim & explere. Tua tamen cauſa faciam, quicquid potero, ſi quid poſſum. Qui ſupponunt ova, vel ejuſdem generis famellis vel ejuſdem ſpeciei potius ſupponunt. Vide quid agas, mi Buchæri, non alteri cuidam Simmiæ ſupponis. Delituit multis annis hoc Ovum; teſte Scaligero viro maximo, qui ſuo tempore teſtificatur non extitiſſe. Nulla extant ſcholia, quæ nobis aliquod adjumentum afferre poſſint. Cogor divinare, & à ſubtiliſſimis atque præclariſſimis Ariſtotelis mei ſcriptis ad obſcuriſſima fabularum involucra deſcendere. Sed quid facerem? Neque enim tibi, mi Buchæri, poſſum aliquid denegare, adeo me tibi obſtrinxiſti. Velim tamen ſcias, mi Buchæri, tuas illas literas, quibus rem tantam me jubes aggredi, poſtremas omnium mihi redditas eſſe, ne forte putes negligere me, quæ tu ad me ſcribis. Abſit. Noſti me. Andrinus meus, & tuus quia meus, ad vos reverſus eſt: ſed, proh dolor, alter Ramus. Venio tamen in ſpem, fore ut aliquando ab ineptiſſimi hominis partibus diſcedat in Ariſtotelis caſtra ſapientiæ humanæ ducis. Huic, quæſo, ſalutem plurimam dicas meo nomine; item Mileſio, & Gellio.

Editum à Criſpino in γνωμο-γράφοις cũ ſcholiis Auberii.

Tu

Tu quidem, Gellius, cum Bone nostro mecum sentitis, & recte, hoc est Aristotelem amatis. At Andrino & Milesio precor meliorem mentem. Si mihi stomachum fecerint, sentient tela Aristotelis: tela, inquam, Herculis invicti & incomparabilis in asserenda philosophica veritate. Ad Andrinum, Gellium, Milesium, scribam quamprimum. Cæterum Macuardus te salutat. Is retinet Poetas eo pacto & pretio, quo voluit vendi Albinus. Brevi accipies pretium. Περὶ σεισμοῦ verum est, quod accepisti. Σιγαλόεντα, quæ tu admiraris, sunt ea, quæ admiratione potius contenta cupio & silentio, quam vulgata. Deus Optimus Maximus vobis adsit in omnibus. Lausannæ, An. 1568.

EPIST. LXVI. Heidelbergam.

Joan. Lalamantius Thomæ Erasto CL. Medico S. P.

Nonis Decembris Divione à D. Saumairo missæ sunt ad me tuæ literæ Heidelbergæ datæ die Septembr. 24. quibus significas te jampridem cupivisse ad me scribere, sed tamen tabellariorum inopia minus id præstare potuisse. Vereor ego plurimum, ne eadem mihi erga te excusatione sit utendum, cum

& longo inter nos intervallo distemus, & rara sint inter vestros homines & nostros commercia. Ne tamen, quam mihi ultro offers, amicitiam aspernari viderer, nihil mihi potius fuit quam ut hora una atque altera, postquam tuas accepi, tibi nulla mora respondendum putarem. Accepto igitur calamo has ad te scripsi, quas biduo post Divionem ad D. Saumairum mittendas curavi, petiique ab illo obnixe, ut has quamprimum ad te perferendas curaret: quod & illum effecturum non diffiteor, si sese offerat occasio. Quod autem doctissimis tuis ad me literis virtutem nescio quam meam & singularem doctrinam prædicas, harum sane utramque potius inesse mihi optem, quam in me esse revera agnoscam. Nam & Commentarii illi mei in *Hippocratis librum de Septimestri & Octimestri partu*, quos tibi placere scribis, rudes sunt & ineptiarum pleni. Cujus generis est etiam liber ille, quem *de Anni ratione* inscripsi, qui Genevæ à Crispino in lucem æditus est: in quo exterarum & præcipuarum gentium anni rationem cum anno Romano confero. Ejusdem esse farinæ comperias Commentarios meos in libros tres *Galeni de diebus Decretoriis*, excusos Lugduni à Gulielmo Rovilio 1559. In quibus omnibus si bonas horas collocare volueris, tantundem tibi temporis deperiisse intellexeris, ut mi-

rer

rer potius illos Commentarios *de Septimestri partu* tibi probari, quam quod ignotus tuis me literis compellas. Nam studiorum per literas communicatio nos ex ignotis notissimos efficiet. Excusi ergo sunt libri mei in *Galenem de Diebus Decretoriis*, qui si apud me adhuc delitescerent inexcusi, eos tamen ad te mittere, si quo modo fieri posset, non recusarem in Reipub. utilitatem & ut desiderio tuo satisfacerem. Hos si quando legeris, ecquid placuerint facies me certiorem. Tentanda vero scribendi mutuo erit via per Genevam, quæ forte erit commodior, si ad Henricum Stephanum Typographum tu tuas, ego meas literas direxero. Is enim, qua est humanitate, literas invicem nostras nobis communicabit. Si tuas de diebus Decretoriis sententias aliquando publicaris, eas perlegere etiam aliquando erit volupe mihi. Quid nunc scribam, paucis accipe. Et si ætas quietem postulat, (sexagesimum enim tertium ætatis annum ago) tamen quod mihi tempus ab ægrotis liberum datur, Galeni lectioni impendo, in cujus libros tam Græcos quam Latinos castigationes paro. Confero scilicet Basilienses codices Græcos cum Venetianis: varias lectiones observo, tum meum judicium interpono ex veteri & recentibus interpretationibus, jamque quatuor tomos primos percurri, & in volumen observationes conjeci.

quæ prodibunt si typographus reperiri poterit, qui id muneris suscipiat. Nam typographia in nostra Gallia his temporibus jacet. Hæc equum conscensurus ad te scripsi, Nonis Decemb. 1576.

Galenus emendatur.

In extremo fine lib. mei de Anni ratione, comperias duas meas castigationes in loca duo Galeni corruptissima. Quorum alter est tomo Galeni ε pag. Basiliens. cod. 347. lin. 41. & 55. alter eod. tomo, pag. ead. lin. 55. Ex his colligere poteris, quales reliquæ futuræ sint meæ in totum Galeni opus, castigationes. Prior locus sic habet: ἐν ἀρχῇ τοῦ καθ' ἑαυτὸν πέρατος μηνός. Hanc lectionem uterq; cod. habet, Venetianus dico & Basiliensis. Emendo ego, ἐν ἀρχῇ τοῦ κατ' αὐτοὺς Περιτίου μηνός. Id est, *in principio mensis secundum ipsos* (Macedonas scilicet. Nam de Macedonum mensibus Galeno hic sermo est) *Peritii*. Nam Peritius mensis est Macedonum XI. Decembri nostro fere respondens: cujus initio, perinde ut nostri Decembris, bruma contingit, ut hoc ipso loco notat Galenus. Interpretes, Hermannus Crusse, & Vasseus sensum non assecuti verba Græca retinuerunt, dixeruntq;, *initio mensis* καθ' ἑαυτὸν πέρατος *appellati*. De hoc mense diximus in libro nostro de Anni ratione Genevæ apud Crispinum impresso una cum libro de Septimestri & Octimestri partu.

Peritius mensis Macedonum.

Ea-

Eadem pag. Basiliensi cod. lin.55. tomi Græci ε καὶ τεσσάρων δ' οὕτως ἀριθ. Sic puto legi oportere abs linea 54. αἱ πᾶσαι γίνονται ε καὶ ξ καὶ τ, καὶ προσέτι τετάρτης ἡμέρας μιᾶς. καὶ τεσσάρων δ' οὕτως ἀριθμηθέντων ἐν τῷ Δ τὸν δεύτερον (male autem ibi legitur τὸν τρίτον) ποιοῦσιν η καὶ κ ἡμερῶν, ἵνα ἕκαστος &c. ut τὸν δεύτερον μῆνα, id est Februarium, quarto quoque anno apud Latinos (de mensibus enim Romanis loquitur) dierum esse dicat η καὶ κ, id est XXIX. Post ἡμέρας μιᾶς, addendum censeo τέταρτος δ' ἕκαστος ἡμερῶν γίνεται τ ξ ς. τοῖς δὲ κατὰ Γαλατίαν &c. Ut sit, *Quartus vero quisque annus dierum sit trecentorum sexaginta sex.* Alioqui non bene calluisse rationem anni Romani Galenum fateri necesse sit. Galenus iterū emendatur. Februarius mēsis intercalaris.

D. Plateanus Medicus vestras, dum hac iter in comitatu D. ab Hofplot faceret, adiit ædes meas, invisit & salutavit. Hunc Witembergensem esse credo. Si tibi is notus est, & ad eum forte scribis, meo nomine salvere jubebis. Nam peracceptam ejus ego visitationem habui. Vale, mi Domine. Per Genevam has ad te. III. Idus Decemb. Nam rure reversus hæc addidi, quæ addita esse vides.



EPIST.

EPIST. LXVII.

Heidelbergam.

Camillus Franchinus Thomæ Erasto

S. D.

Astrologia judiciaria.

ROgas, quid de Astrologia illa judiciaria sentiam? de qua jampridem magna est inter doctos & pios homines controversia, quibusdam nihil prorsus ei tribuentibus ac eam etiam execrantibus; quibusdam vero non secus illi tribuentibus omnia quam si sideribus omnis esset in universum mundum attributa potestas: aliis denique mediam quandam viam seqvutis, ita videlicet ut & neque adimantur omnia neque tribuantur. Quorum sententiam amplecti me profiteor, sed ita ut in ipsius rei explicatione nonnihil à nonnullis dissentiam. Hoc autem brevibus perstringam, ne excedam epistolæ modum, qvum alioqui res ista longiorem tractationem requirat. Itaq; memineris, hæc me tibi scribere, non ut iis qui contrarium sentiunt, aut etiam tibi, per omnia satisfaciam, sed duntaxat ut quandoquidem ita vis, quæ sit nostra de his rebus opinio, paucis cognoscas, paratus & ipse si quis meliora sentiat errorem corrigere. De *Divinationis* nomine nolim multum contendere: tantum dico, *divinationis* nomen mihi quoque videri improprie Astrologicis prædictionibus tribui: quoniam is vere dicitur

Divinatio an sit astrologica.

divi-

divinare, qui externo quodam impulſu,nõ autem ex cauſis, aliqua prædicit. Quamobrem etiam teſtatur Dominus non uno loco, ſe unum illum eſſe qui ventura noverit, & per ſervos ſuos Prophetas prædicat. Dæmonas enim, qui jampridem mundum hac ratione faſcinarunt, quaſi & ipſi divinare poſſent, certum eſt nihil, niſi vel ex peculiari Dei pateſactione illorum miniſterio ad exequenda juſta ſua judicia utentis, vel ex Prophetarum prædictionibus, vel ex ſecundarum cauſarum nexu obſervato cognitum vaticinari unquam potuiſſe: quod ex illorum oraculis cum verbo Dei collatis prorſus liquet. Homines autem per ſe majore aliqua futurarum rerum prædicendarum vi, quam Dæmonas, eſſe præditos, nemo ſanæ mentis (ut opinor) arbitrabitur. Itaque ſi divinare dicantur ex aſtris Aſtrologi, nihil aliud divinationis nomine intelligi poſſe videtur, quam rei cujuſpiam in aſtris tanquam cauſis adhuc veluti deliteſcentis pateſactio ſive prædictio. Ex quo conſequitur, non poſſe latius patere iſtas prædictiones, tanquam conſeqvutura effecta, quam ipſæ cauſæ noſtræ cognitioni pateant, ex quibus effecta illa conſeqvutura judicemus. Primum igitur conſtituamus oportet, quatenus illæ pateant. Ac ſum quidem ego in ea opinione, ut minime,exiſtimem corpora illa cœleſtia idcirco tantum eſſe condita (qui ta-

Divinare qui dicantur.

Dæmones an divinare & futura prædicere poſſint

Homines majore vi vaticinãdi valent quã Dæmones.

Aſtrologi quatenus futura prædicãt.

tamen est vel præstantissimus ipsorum usus,) ut illa contemplantes ad cognoscendam & adorandam tanti opificis Majestatem assurgamus; neq; idcirco duntaxat definitos esse eosdem motus, variosq; aspectus ac concursus, distinctasq; eorum magnitudines, ut dierum & noctium spatia definirent; quoniam si ita esset, Sole tantum & Luna nobis opus fuisset; verum etiam idcirco esse facta, tantoque ordine digesta, attributo singulis invariabili motu, ut in inferiorem mundum (quo nomine tum Elementa ipsa, tum corpora ex Elementis composita complector) inenarrabilem quandam vim suam exererent. Id quod etiam perpetua experientia vulgus ipsum docuit. Aeris igitur constitutionem non illam tantum, quæ certo quodam ordine in genere animadvertitur in quatuor anni tempestatibus, sed etiam particularem pro diverso siderum positu ab Astrologis animadverti & prædici posse, concedo: & qvum ab aeris constitutione pendeant maxima ex parte & aquarum & terrarum (ut ita loquar) habitꝰ, non mirum est eousq; etiam extendi Astrologorum prædictiones. Ex his autem & illud effici concedo, corpora ex ipsis Elementis composita Astrologicis quoq; prædictionibus includi. Sed multæ hic difficultates, & quidem maximi momenti, occurrunt. Liquet enim hominem constare ex corpore quidem mortali, utpote

com-

composito, ac proinde mutationibus ipsique adeo dissolutioni (ut nunc quidem res sunt, post hominis videlicet peccatum) obnoxio, & ex animo, cujus simplex & immortalis sit substantia, & qui vere sit actionum humanarum principium, & tale quidem principium, cujus voluntarii & contingentes sint motus. Itaq; animum sideribus subjicere non absurdum modo, sed etiam pene impium esse mihi videtur. Quantulum igitur erit, obsecro, quod Astrologis relinquetur in his vel illis prædicendis, quæ cuipiam in vita eventura sunt, qvum à sideribus eximatur rerum humanarum actionum principium? solet autem in contrariam partem afferri physicum illud axioma, quod pluribus persecutus est eruditissimus Galenus: nempe quod animi mores temperamentum corporis sequantur, ac proinde quæ scientia de corporis temperamento statuat ex sideribus, ea quoq; de moribus animi possit judicare. Sed primum omnium illud plane subit mirari, quinam possint Astrologi ex solo nativitatis puncto, quod vocant, de corporis nascentis temperamento pronuntiare? Cur enim non potiꝰ conceptū considerant, utpote qui sit ipsius coagulationis corporis initium? causa autem illa, quam proferunt, quoniam videlicet multum intereſt quem aerem tenellum illud corpus primum excipiat, certe inanis est ac plane ἀεργὸς (ut ajunt) λόγος

ad

ad id efficiendum, quod volunt. Neque enim ab aere ambiente, & hoc vel illo modo à vario siderum positis affecto, sed ab ipsa potius materiæ proportione, ex qua corpus compositum est, proprie pendet corporis temperamentum. Deinde mihi sane vix persvaserint Astrologi, ejus puncti, quo primum in lucem prodit infans, tantã esse vim, ut corporis temperamento dominetur, qvum interea tam multæ ac prope infinitæ, atque adeo inter se contrariæ & repugnantes siderum positiones tota alicujus vita incidant, quas illi uni non præponderare vix ac ne vix quidem crediderim. Omittendum etiam illud non est, corporis temperamentum adeo pendere ex lacte & cibo, quo quis educatur, ex loco in quo quispiam aliter, & cæteris ejusmodi circumstantiis, ut mihi quidem hallucinari videatur, quisquis non fatebitur, longe majorem vim esse rerum istarum ad afficiendum corpus, quam aereæ illius unius constitutionis, cui primæ corpusculum quantumvis tenellum exponatur. Quod si quis contendat, stellas arcana quadam vi etiam extra aeris constitutionem in corpus agere, quomodo videlicet Magnes cum polari stella συμπάθειαν quandam habere videtur, tam id mihi fuerit facile negare, quam ipsis difficile atq; adeo ἀδύνατον demonstrare. Hæc autem omnia huc spectant, ut ostendam, non modo incertum sed pene

etiam

etiam plerunque vanum esse , quod Genethliaci de corporis temperamento tam audacter pronuntiant , quod sit potius ex propinquioribus signis à medicis dignoscendum. Quomodo igitur de animi moribus iidem judicarent ? sed tamen,ut illud etiam ipsis concedamus , posse illos ex suis sideribus statuere,quis humor sit in corpore quopiam dominaturus, quis ignorat non usq; adeo affici animum temperamento corporis, quin interea corpori dominetur ? Nam alioqui vel nullum vel tenue admodum esset inter bruta & homines discrimen. Quantulum igitur erit,quidquid Astrologorum prædictioni hac etiam in parte relinquetur ? Nam certe , omnibus etiam superioribus concessis, nihil aliud ex siderum positu genethliaci colligere possunt, quam hunc vel illum melancholicum , aut biliosum, aut alium denique futurum , ac proinde his vel illis morbis & incommodis obnoxium : quæ res quam magnæ sint utilitatis, non video, qvum ex aliis propinquioribus & multo certioribus signis colligi possint. Particularia autem illa, quæ certum est homines istarum rerum curiosos præcipue captare , nempe quid hoc vel illo anno vel die sit alicui eventurum , sitne hoc vel illud prospere vel incommode cessurum , prædici nulla observatione mihi posse videntur , non modo propter superiores rationes, verum etiam quia non dubium , quin

Genethliaci fallaces.

consiliorum nostrorum eventa maxima ex parte ab externis causis pendeant. Ut quis igitur divinare possit, mansurum imperium penes Augustum, necesse etiam fuerit ipsum divinare quid Bruto, quid Cassio, Lepido, Antonio obsistentibus fuerit eventurum: qui sane est inextricabilis Labyrinthus. Particularia autem exempla istiusmodi prædictionum respondendum est, partim à Dæmonibus, qui aliunde ista discere potuerunt, suggesta fuisse: quod etiam liquet ex historia Pythonissæ, quam Saul consuluit: partim esse vanissima, & casu potius ipso confirmata quàm vere prædicta. Quam vanitatem facillimum esset deprehendere, si quis in animum induceret, quæ isti conjectores falso prædicunt, cum iis comparare, quæ eventu ipso confirmantur. Sed quoniam nullum est hominum genus audacius, & nemo istos divinatores consulit, nisi qui veraces illos fore sibi persvasit, idcirco fit ut pro divinis quibusdam hominibus habeantur: quos tamen res ipsa ostendit non aliunde, quàm ex decipiendis hominibus quæstum facere. Itaq; ut paucis concludam, hoc mihi persvasi justis (ni fallor) de causis, extra constitutiones aeris & corporum, quæ inde consequuntur, affectiones (quæ tamen utræque infinitis particularibus objectis impedimentis variantur) nihil habere Astrologum, quod ex arte prædicat hac proinde qui fines istos excedant,

dant, merito, tanquam in ea inquirentes quæ vobis abscondit Dominus; expresso Dei verbo & sacris Imperatorum legibus damnari. Γενέσεων autem etsi aliquis est usus, is nimirum quem dixi non excedere corporis temperamentum, & ea quæ possunt ex corpore in animum redundare, tamen quum hoc idem multo certius aliunde cognosci possit, & omnium seculorum experientia docuerit homines in hac re nullum unquam modum tenere potuisse (quo peccato vix ullum unquam fuit gravius & severius à Deo Optimo Maximo vindicatum,) recte & religiose facere judico Principes; qui præclaram illam ac plane cœlestem astrorum motus scientiam sic curant in Academiis doceri, ut quæ inde colliguntur prædictiones, intra illos, quos dixi fines, coërceantur: & quoties incidunt gravia illa DEI flagella, veluti fames, pestilentia, bella, cæteraque ejusmodi, doceantur homines seipsos non autem stellas accusare, ac sibi persvadere, quod verissimum est, non contingere illa nec prædici posse ex astrorum motu, nisi incertissimo eventu, sed ex Deo peccatis nostris irato proficisci, ac vicissim etiam illo resipiscentia nostra pacato sedari, quæcunque tandem sit cœlorum facies. Vale. Γενέσεων quis usus



EPIST. LXIIX.

Tubingam.

Georgius Burckharaus Nicodemo Frischlino S. S.

CUm proximo anno, Frischline Charissime, iter Stutgartiam haberem, teque illius viæ socium ac comitem nactus essem: cœlo, ut nosti, satis adverso: dici non potest, quam jucundum & gratum mihi tuum colloquium fuerit. Eo enim non modo omne difficillimi itineris tædium mitigari, sed animus insuper verbis tuis, quasi tepida & svavi aura recreari mihi videbatur. Nam inter eundem, cum multa à te ex præcipuis Philosophiæ partibus erudite dicta: tum vero plurima ex Græcis latinisque Poetis facete admodum & comiter prolata esse memini: quibus non tantum mirifica quædam in animo voluptas tum excitabatur: sed etiamnum multarum rerum grata & jucunda recordatio menti innata hæret. Quis enim (ut hoc unum è multis proferam) festivissimas Aristophanis ac Plauti Comœdias: quarum tu argumenta, monstrato rerum initio, progressu & eventu, copiose & ornate tum recitabas, non lubentissime audiret? Quis divitum cæcitatem è Pluto, Sophistarum deliria è Nebulis, Poetarum ineptias è Ranis, Ambitiosorum conatus, eventusque ex Equitibus. Pertinacium furores, & quæ inde consequuntur

Aristophanes.

tur bellicas clades ex Achærnensibus: Iniquorum Judicum sævitiam, & perversum in condemnandis innocentibus studium è Vespis & consimilia multa non attente cognoscere vellet? quis Atheniensium exulum miseriam, quibus utiq; retia & casses tanquā aviculis tenduntur ex Avibus non avidissime perdisceret? Quis pacis commoda & bellicas calamitates ex pace repeti, ac sibi recitari non magnopere exoptaret? Quis de variis mulierum ingeniis atque technis ex sequentibus Comœdiis admoneri & oblectari non cuperet? Quæ quidem omnia ex te audita. (Nam istum Authorem ne legere quidem, nedum intelligere mihi contigit) si hoc loco non dicam percensere, sed leviter tantum attingere velim, non Epistola sed volumen mihi conficiendum erit. Sed cum id nec loci hujus sit, & instituti mei ratio aliud nunc postulet: reliqua consulto jam prætereo. Etenim confido, si vitam tibi Deus concesserit, Studiosos Adolescentes non modo eam, quam in Aristophanis, Plauti ac Terentii Comædias dispositionem à te feliciter adornatam domi tuæ vidi, propediem in manibus esse habituros; sed ipsum quoq; Aristophanem integrum latinitate à te donatum olim visuros. Verum aliud nunc est, de quo in præsentia te paucis admonendum aut rogandum potius esse judicavi. Nam inter reliquos sermones, quos in illo itinere varios de variis rebus agitabamus.

EPIST. LXIIX.

Tubingam.

Georgius Burckhardus Nicodemo Frischlino S. S.

CUm proximo anno, Frischline Charissime, iter Stutgartiam haberem, teque illius viæ socium ac comitem nactus essem: cœlo, ut nosti, satis adverso: dici non potest, quam jucundum & gratum mihi tuum colloquium fuerit. Eo enim non modo omne difficillimi itineris tædium mitigari, sed animus insuper verbis tuis, quasi tepida & svavi aura recreari mihi videbatur. Nam inter eundem, cum multa à te ex præcipuis Philosophiæ partibus erudite dicta: tum vero plurima ex Græcis latinisque Poetis facete admodum & comiter prolata esse memini: quibus non tantum mirifica quædam in animo voluptas tum excitabatur: sed etiamnum multarum rerum grata & jucunda recordatio menti innata hæret. Quis enim (ut hoc unum è multis proferam) festivissimas Aristophanis ac Plauti Comœdias: quarum tu argumenta, monstrato rerum initio, progressu & eventu, copiose & ornate tum recitabas, non lubentissime audiret? Quis divitum cæcitatem è Pluto, Sophistarum deliria è Nebulis, Poetarum ineptias è Ranis, Ambitiosorum conatus, eventusque ex Equitibus. Pertinacium furores, & quæ inde consequuntur

Aristophanes.

tur

tur bellicas clades ex Achærnensibus: Iniquorum Judicum sævitiam, & perversum in condemnandis innocentibus studium è Vespis & consimilia multa non attente cognoscere vellet? quis Atheniensium exulum miseriam, quibus utiq; retia & casses tanquā aviculis tenduntur ex Avibus non avidissime perdisceret? Quis pacis commoda & bellicas calamitates ex pace repeti, ac sibi recitari non magnopere exoptaret? Quis de variis mulierum ingeniis atque technis ex sequentibus Comœdiis admoneri & oblectari non cuperet? Quæ quidem omnia ex te audita. (Nam istum Authorem ne legere quidem, nedum intelligere mihi contigit) si hoc loco non dicam percensere, sed leviter tantum attingere velim, non Epistola sed volumen mihi conficiendum erit. Sed cum id nec loci hujus sit, & instituti mei ratio aliud nunc postulet: reliqua consulto jam prætereo. Etenim confido, si vitam tibi Deus concesserit, Studiosos Adolescentes non modo eam, quam in Aristophanis, Plauti ac Terentii Comœdias dispositionem à te feliciter adornatam domi tuæ vidi, propediem in manibus esse habituros; sed ipsum quoq; Aristophanem integrum latinitate à te donatum olim visuros. Verum aliud nunc est, de quo in præsentia te paucis admonendum aut rogandum potius esse judicavi. Nam inter reliquos sermones, quos in illo itinere varios de variis rebus agitabamus.

cum forte de arte Rhetorica, cujus provincia, ut nosti, in hac schola mihi delegata est, mentio incidisset; intellexi te Annotationes tuas, quas hoc toto octennio, quo publico docendi munere fungeris, in omnes Virgilianos Æneidos libros collegisti, revisurum & emendaturum esse. Quæ animi tui significatio mihi valde grata fuit. Animadverti enim antehac sæpiꝰ ex discipulorum Annotatis, quæ illi ex ore tuo excipiunt, non modo Grammaticam verborum interpretationem, in qua plerunq; cæteri Commentatores subsistunt, à te institui, sed etiam integræ sententiæ, & principalis scopi explicationem quadam paraphrasi felicissime reddi: tum quod alii rarissime observant, troporum, figurarum, locorum inventionis & Amplificationis, totiusq́; Oratorii artificii expositionem adhiberi. Res vero ipsas ex universa Philosophia, historia Græca & Romana, Poetis innumeris & Optimis quibuscunq; authoribus illustrari, & magno labore ac studio Adolescentibus à te proponi. Quod quàm utile & fructuosum sit eruditi facile intelligunt. Nam Virgilio quid tribuendum sit, unius Quintiliani testimonio satis est evidens; ut mea tradam vinum vendibile nihil indigeat. Etsi autē multi docti viri hujus Poetæ libros sibi illustrandos susceperunt: & præter Servium ac Donatum veteres Commentatores, etiam nostra ætate aliquot eruditi homines in Virgilio non infeliciter versati sunt:
ta-

tamen iſtum interpretandi ordinem, quem tu ſequeris, nemo unquam, quantum ego recordari poſſum, tenuiſſe mihi videtur. Ac Landino quidem quantum laudis ſit dandum, Henricus Glareanus in Annotatiunculis, quas in Horatium emiſit, non obſcure indicat. Nam viri hujus authoritatem ita elevat, ac ſi literas ille nunquã didiciſſet. Etſi autem Lamberto Hortenſio, qui in ſex priores Æneidos libros commentarium eruditum, & certe doctum edidit, plurimum ego tribuam, & magni hominem faciam: tamen hoc affirmo, ipſum ſcribendi occaſionem adeo tibi non præripuiſſe, ut etiam præbuiſſe videatur. Quare & meo & Juventutis nomine omnibus precibꝰ te oro atq; obſecro, ut hoc inſtitutum, quod jam aggreſſus es, continuare, & publicæ utilitatis cauſa quàm primum fieri poterit, ſuſceptum commentandi laborem abſolvere, ac ſtudioſis communicare velis. Quod ſi feceris non modo communia ſtudia, & literariam Rempub. magno afficies commodo, ſed ipſe quoq; laboris & diligentiæ tuæ fructus & ſempiternam poſteritatis, ſi qua erit, laudem & gloriam reportabis. Data Tubingæ ex Muſæo noſtro XX. Martii. Anno M.D.XXIV.

EPIST. LXXIV. Tubingam.

Nicodemus Friſchlinus, Georgio Burckhardo ſuo. S.

GRata eſt mihi, optime idemque doctiſſime Burckharde, animi tui ſignificatio: quam

quam in literis tuis non modo erga me, sed etiam erga artes, humanitatis & liberalia studia satis superque declarasti: ut vel hoc nomine ab omnibus bonis amari & coli merearis: quod in optimis disciplinis adjuvandis ac promovendis non ipse tantum tua sponte sedulam navasti operam: sed aliis etiam ut idem facerent, diligens hortator semper extitisti. Etsi enim ipse ad scribendum, (quod certe difficile tibi, exercitato viro, non erat,) hactenus non prodiisti: sed istam qualemcunque ingenii gloriam aliis quibusdam lubens concedis: ea tamen in literis & bonis artibus provehendis tua est diligentia: ut quod per te ipsum, propter multas quibus implicaris, molestias, præstare non potes: per alios certe præstare effectumque reddere coneris. Quod igitur meas in Aristophanem cæterosque comicas lucubrationes, quas domi meæ vidisti ac legisti: tam præclaro ornas elogio, verbisque tuis plus justo extollis: & editionem illarum à me haud obscure postulas: eodem accipio animo: quo nuper Leonhardi nostri, viri in studiis juvandis non in strenuo, honestam adhortationem: qua meas in Persium paraphrases luci impetravit. Decet enim bonos & doctos viros mutuis operis in hunc finem totos insistere: ut studia literarum ab interitu præserventur ac vindicentur.

Quam

Quam enim cæca hodie adolescentum ad superiores & quæstuosas artes festinatio sit, videmus: quam studia linguarum & artium indies magis magisque decrescere ac vilescere incipiant, perspicimus: quam tenuis & vulgo contemtus eorum status sit, qui artes dicendi & linguas, sine quibus in reliquis doctrinarum studiis nihil proficitur, juventuti proponunt, nemo nostrum non expertus est. Nam quis nostrum illud Horatii jam plus millies non audivit: *non si male nunc & olim sic erit*? Cui non fallax spes, qua pulvis noster scholasticus rigatur, melius cras fore semper ait? Sed interim rusticus exspectat, dum defluat amnis: at ille, *Labitur & labetur in omne volubilis ævum.* Verum de his alias. Nunc ad alteram Epistolæ tuæ partem venio: qua meas in Virgilium annotationes studiosis commendas: & in lucem à me emitti postulas. Equidem facilius hoc à te peti, & à me promitti, quam præstari potest. Neque enim te fugiunt, quæ politissimus ille Politianus in Miscellaneis suis à poetarum interprete inquirit: cum inquit: *Qui poetarum interpretationem suscipit: eum non solum (quod dicitur) ad Aristophanis lucernam, sed etiam ad Cleanthis oportet lucubrasse. Nec prospicienda autem philosophorum modo familiæ, sed & jure consultorũ & medicorum, item & Dialecticorum, etiam quæcunque doctrinæ illum orbem faciunt: quæ vocamus Encydia, sed &* Virgilio. Interpretãdi Poetæ requisita.

philologorum omnium, &c. Id vero cum in aliis poetis omnibus, tum præsertim in Virgiliano poemate usu venit. Nam hic autor non tantum elegantia verborum & carminis majestate, sed etiam admiranda rerũ varietate omnibus poetis aliis antecellit: ut Homerum principem Græcorum poetarum non æquasse modo, sed longe etiam, (ut Pontano & Scaligero videtur) superasse videatur. In huj9 itaq; enarratione duo præcipue scopi & fines tenendi sunt: ad quos omnis interpretatio accommodari debet. Quæ enim Pericles apud Thucydidem vitæ humanæ ornamenta nominat: *γνῶναι τὰ δέοντα καὶ ἑρμηνεῦσαι ταῦτα*: ea in rebus omnibus cognitu necessariis observanda sunt: ut primo res ipsas intueamur & perpendamus: deinde res animo compræhensas, idoneo convenientiq; orationis genere exponamus. Verbaq; prævisam rem non invita sequentur. Ac initio, quantum ad

Rerum varietas in Virgil. res ipsas à Virgilio propositas attinet: eæ (ut nosti) variæ, & haud quaquam unius sunt generis: ac proinde ingenium subactum, & multiplici rerum notitia præditum requirunt. Pri-

1. Historica. mo enim poeta Virgilius, cum passim, tum præsertim in Æneide sua Historica proponit: eaq; vel antiquiora, vel recentiora. Nam illa ab interitu vindicare: hæc posteritati commendare voluit. Cæterum antiquiora aut propria sunt gentis Trojanæ: de quibus Dares Phrygius, Dictiis Cretensis, Diodorus Siculus in Antiqui-

tiquitatum libris, & alii : Item poetæ Græci, Homerus, Calaber, Coluthus, Tryphiodonus, Euripides, Sophocles, Lycophron, Æschylus, & Latini, Seneca Tragicus, Ovidius in Metamorph. & Fastis, & reliqui. Aut gentis Græcæ, contra Trojanos gesta: de quibus consulendi, præter jam dictos scriptores & poetas, etiam Herodotus, Thucydides, Pausanias, Suidas, Epitaphia Arist. & alii. Aut propria Italiæ monumenta: de quibus Cato in fragmentis Originum, Myrsilus, Fabius Pictor, Dionysius Halicarnass. Livius in primo ab urbe, Plutarchus in Romulo & Numa. Ovidius passim in Metam. & Fastis, Horatius & reliqui. Aut Tyriorum & Phænicum, qui à Chaldæis descendunt, & in Africa Carthaginem condiderunt: de quibus Berosus, Philo Judæus, Josephus, Archilochus, Justinus, Diodorus, Eusebius in Chronic. ubi diligens instituenda collatio temporum, & rerum in Ecclesia Dei gestarum, cum prophanis Historiis. Recentiora vero sunt de rebꝰ consulū contra Chartaginenses & exteras gentes præclare gestis: quæ passim celebrat Virgilius. Ad ea illustranda facit Livius, Polybius, Florus, Sallustius, Appianus, Plutar. Dion. Plin. Zonaras, Silius poeta &c. vel sunt de rebus Julii Cæsaris, & Augusti in quorum gratiam opus Æneid. ab autore cœptum est. Huc pertinēt præter Appianum & Plutarchum, citatos, etiam Cæsaris Historia, Svetonius Paterculus, Xiphilinus,

linus, Eutropius, Orosius, Blondus, Sabellicu
Lucanus poeta, Horatius & alii: Deinde in h
2. Fabulosa. autore etiam fabulosa sunt plurima, & figme
torum nebulis res veræ opertæ: præsertim
Diis gentium: qui originem suam à regib
& Heroibus traxerunt. Cum enim humar
mentes veram de Deo notitiam non gignar
sibiq; innatam non habeant: & aut ad homin
tantum, qui cæteris antecellunt, aut etiam
naturam oculos suos convertant: Ideo mirab
les sibi Deos ex hominibus, animalibus, stell
& similibus rebus à Deo conditis procrearur
Ad hunc locum pertinent Orpheus, Hesiodu
in Theogonia, Pindarus, Homerus, & cæteri s
pra recensiti: Lucianus item, Aristophane
Diodorus, Cicero de natura Deorum, Fen
stella de Roma Sacerdot. Apulejus. Præter
Mythologi, Palæphatus, Lactantius, August
nus de civitate & similes: ut Gyrasdus, Nat
lis, Sabinus.

3. Ethica. Tertio pleraque in Virgilio sunt Ethica
ad mores hominum recte informandos pe
tinentia, eaque vel tecte, ut in Bucolicis: v
aperte, ut in exemplis honestorum ac turpiu
factorum, & pulcherrimis sententiis, quasi v
tæ & actionum regulis proposita. Hæc exo
nanda sunt non modo sacræ scripturæ dictis
& morum præceptis apud Aristotelem, Theo
gnidem, Phocyllidem, Pindarum, Euripiden
Stobæum, Platonem, Xenophontem, Arria
num

num, Epictetum, Plutarchum, &c. Itemq; sententiis oratorum, Demosthenis, Socratis, Aristidæ, Lycungi, Ciceronis, Senecæ utriusque: Poetarum deniq; omnium græcorum & Latinorum: sed etiam proverbiis, Apophtegmatis, Apologis, & exemplis accommodis, ex universa historia Hebræa, Græca, Romana & aliarum gentium, præsertim Germanicæ, petitis ac leviter attactis.

Quarto plurima in hoc scriptore extant Oecomica, & ad rem familiarem spectantia: ut in Bucolicis vita pastoricia, in Georgicis agricultura, educatio equorum, boum, apium, cultura arborum, item venatica, &c. De quibus omnibus legendi sunt Theocritus, Aristoteles, Hesiodus in Historia animalium, Plinius, Columella, Cato, Varro, Palladius, Constantinus; quibus addendi Theophrastus, Dioscorides, & similes: item Victruvius Frontinus, Appianus, Curtius, Xenophon, Athæneus, referri huc possunt amatoria & ad conjugium facientia: quæ exornari debent ex Plauto & Terentio, Anacreonte, Tibullo, Ovidio, Propertio & aliis. 4. Oeconomica.

Quinto, totum Æneidos opus inprimis ad gubernationem civilem, & Rempubl. administrandam pertinet. Est enim imago ἀνδρὸς πολιτικοῦ καὶ στρατηγοῦ. Ostendit enim Æneæ exemplo, qualis vir princeps domi & militiæ, in utroq; fortunæ statu esse debeat. Quæ do- 5. Politica.

ctri-

ctrinæ pars utilissime explicabitur, ex Platone, Aristotelis politicis, Cicerone, Xenophonte, Plutarcho, Heraclida Pontico, & id genus aliis. Cui non parum lucis afferent exempla consimilia ex omni vetustatis memoria & Historiis prolata: ut supra monstravimus. Ad militaria & nautica non mediocriter conducet Ælianus, Vegetius, Frontinus, Alexander ab Alexandro & similes.

6. Physica. Sexto reperiuntur in Virgilio multa physica, & proprie ad naturam rerum spectantia, quæ aut fabulis involuta sunt, de quibus antea dictum est, aut aperte proponuntur: ut in Georgicis & Æneide passim, de variis animalium naturis, de arborum, apum, herbarum, & similium rerum virtutibus: de ventis, tempestatibus, fluminibus: quorum diligens explicatio ex Aristotele, Plinio, Seneca, Nicandro, Oppiano, & rei rusticæ atq; herbariæ, scriptoribus petenda est: sed ea brevitate, quæ in commentario requiritur: ne plura sint πάρεργα τῶν ἔργων.

Occurrunt etiam multa medica: qualis est curatio Vulneris Æneæ, lib. 12. Qui locus sine Hippocratis & Galeni adjumento intelligi atq; exponi nequit.

7. Geographica. Septimo, sunt etiam in hoc autore multa Geographica, præsertim 3. & 7. Æneid. item descriptiones urbium, regionum, montium, nemorum, portuum &c. Quorum interpræta-

tationi adhibendi, Plinius, Strabo, Mela, Solinus, Pausanias Stephanus, Ptolemeus & Sempronius, Victor, Pomponius Lætus, Vadianus, Roma Fabricii, & Dionysius poeta περὶ οἰκουμένης cum Eustatio.

Octavo, sunt item hic Astronomica, ut descriptiones ortuum occasuumq; Solis, Lunæ, stellarum: itemq; χρονογραφίαι noctis, auroræ, meridiei, & similium temporum: de quibus Aratus, Manilius, Ovidius in Fast. Lucanus passim, Firmicus, Thæo, Proclus, & alii recentiores. Ex quibus omnibus, doctissime Georgi, breviter à me commemoratis, facile intelligis: quàm vera sint, quæ Politianus de poetarum interpretibus scripserit: & quàm multa ei tenenda sint, qui eruditum & lectu dignum in poetam commentarium adornare aggreditur. Quæ res merito prudentem absterrere poterit: ne onus subeat: cui nullo modo sufficere posse videatur. Et hactenus quidem de rebus tantum, à Virgilio propositis, ea, qua potui, brevitate tecum egi. Nunc ad verba & phrasin venio: quem alterum explicationis scopum esse volui: ea tamen libertate: ut pro materiæ subjectæ alia atque alia conditione interdum verba rebus, interdum res verbis inter enarrandum præmittantur. Quod igitur ad verba attinet: duplicem ego cujusque rei propositæ interpretationem instituo. 8. Astronomica.

Unam

Unam quidem Grammaticam : in qua verborum & orationis proprietas indicatur: Poetica ab usitatis discernuntur; elegantiores metaphoræ, Epitheta, periphases & similia annotantur. Quæ omnia ex Servio, Donato, Prisciano, Diomede, Linacro, Valla, M. Varrone & aliis, Latinæ linguæ autoribus illustrantur. Tum ut studiosi commodam styli exercendi formulam habeant, ex poetica oratione solutam & prosam (ut vocant) diligenter effingo. Et narrationes quidem ex Livio & Cæsare, dialógismos vero ex Cicerone & iisdem, qua possum elegantia παραφραστικῶς interpretor. Alteram vero explicationem Rhetoricam & Dialecticam facio. Nam ex præceptionibus inventiones, non modo circumstantiæ personarum, locorum, temporum, consiliorum, factorum, consecutorum, eventuum, & aliarum rerum in narrationibus observandæ : sed etiam argumenta ex locis Rhetoricis & cujusque rei propriis, in dialogismos indicanda, perque Analysin retexenda : tum circumstantiarum & argumentorum amplificationes ex locis Dialecticis diligenter annotandæ sunt : ut & copia rerum & verborum inde cognoscatur : Postremo figuræ & schemata oratoria explicanda, quibus circumstantiarum, signorumque & argumentorum rationes & amplificationes illustantur & exornantur : ut hoc modo totum

ora-

oratorium artificium exemplis Virgilianis explicetur. Ad hujus doctrinæ partem requiruntur præcepta Rhetorica, Aristotelis, Hermogenis, Ciceronis, Quintiliani, Aphtonii, Erasmi, Melanchthonis & recentiorum. Cum autem non satis sit, bonas res intelligere, & verba idonea ex poetis annotare: ut tantum sciantur: (neque enim hujus studii finis tantum est cognitio;) sed etiam à studiosis requiratur: ut bonas res animo comprehensas verbisque conceptas in usum transferant: & sedula æmulatione aliorum similes esse nitantur: ideo postremo loco etiam dicendum est de imitatione. Ea vero triplex in hoc autore est. Una, qua alios ipse imitatus est: altera, qua ipsum alii ex vetustioribus: tertia qua omnes eum imitari possunt. Quantum ad primum imitationis genus pertinet: duplicem omnino eam facio: rerum & verborum, partim ex Græcis, ut Theocrito in Bucolicis, Hesiodo in Georgicis, Homero, Thyphiodoro, Callimacho, Apollonio, Orpheo, & aliis, in Æneid. partim ex Latinis, Ennio, Lucretio, Catullo, &c. ipsum Virgilium scribendo imitati sunt, Ovidius, Lucianus, Silius, Statius, Valerius Flaccus, Claudianus, Ausonius Nemesianus, & alii complures. Quomodo vero adolescentes propositis ex Virgilio carminum materiis, aut aliis exercitiis, ad imitationem asvefaciendi sunt: id cujuslibet præceptoris relinquendum

dum est judicio. Commentarios equidem, quos nos videmus, lectu dignos, in Virgilium ædidere Servius & Donatus, antiqui, in Bucolica & Georgica Petrus Ramus, in priores b. Æneid. Lambertus Hortensius quorum & tu meministi. At vice commentariorum legi & volui debent, Aulus Gellius, Macrobius, Pontanus, Rhodiginus, Scaliger, Erasmus cum passim, tum præsertim in proverbiis, Politianus, Alexander Volaterranus, Decembrius, & similes farinæ scriptores: ac veterum Græcorum Latinorumq; poetarum doctiores interpretes. Et hæc quidem sunt humanissime & charissime Georgi, quæ ad tuam exhortationem paucis respondere volui: ut quid de meis in Virgilium commentariis tibi aliisque expectandum sit, (modo nihil interveniat, quod institutum impediat) non ignorares. Interim annotationes & compilatores illos, qui pedem in alieno choro ponunt, & nihil nisi tritum & quæ plus millies audivimus proferunt, nobisq; cramben apponunt, diligenter monitos volo: ut aut hunc ordinem teneant, aut stylum præmant. Quod nisi fecerint, operam semper, dabimus: ut putidæ illorum merces nostris nequaquam respondeant.

Bene vale. Datæ Tubingæ 25.

Mart. A. M. D. LXXV.



EPIST.

EPIST. LXX.

Thomas Erastus N. S. D.

EX Francia Orientali , ubi per duos fere menses hæsi , cum reversus essem die III. Martii, binas tuas literas inveni, quarum altera XI. alteræ XXII. Novemb. adscriptum habebant diem. Ad utrasq; nunc respondere tentabo, cum præsertim occasio mittendi à nundinis offeratur. Ago tibi gratias quod tanta diligentia Patavinas res exposuisti ignaro mihi, attamen cognoscendi cupido. Scripsere nuper Mercurialis & Monavius, & quod magnæ mihi voluptati fuit, pestem desiisse restitutasq; lectiones II. Jan. affirmavere. Gaudeo etiam te incolumen evasisse & locum quiescendi invenisse.

Intelligo etiam ex tuis, hospitium tibi dedisse generosum & illustrem virum D. Andream Duditium, cujus ego virtutem & doctrinam ante multos annos mirifice audivi prædicari. Invitatus sæpius fui à Polonis, & imprimis à Domino N. Lasizio, ut ad eum literas darem: nec ego alienus ab ea re fui. Metui tamen cum occasio nulla scribendi offerretur, ne vir tantus vel amicitiam & observantiam meam aspernaretur, vel aliter factum meum interpretaretur. Itaque me continui, nec multo post audivi eum in suspicionem aliquam venisse quasi Arii dogmati faveret. Etsi

 vero

vero putarem, injuriam fieri viro tanto ingenio, judicio, tantaq; doctrina & pietate prædito, timidiorem tamen ea me res fecit. Scis enim quàm ſcelerate nebulo ille Olevianus ejuſdem criminis reum me facere tentarit, cum à nullo errore & peccato in omni mea vita alienior fuerim. Vix puto vivere illum hominem, qui minus me de articulo Trinitatis ſacroſanctæ unquam dubitarit. Quare ſic mecum ratiocinabar, ſi tibi intentare audent ſcelus tam nefarium (de quo nulla creatura ex me verbum ullum audivit aut factum aliquid vidit, ex quo vel ſuſpicio probabilis poſſet naſci) quid non audebunt de longius diſſitis mentiri? Attamen cum de re ipſa nil mihi conſtiterit, & ne nunc quidem conſtat aliquid, optima ſperare volui, (& jam etiam ſpero) nihil tamen faciendum mihi cenſui, quod adverſariis meis nequiſſimis occaſionem præberet ſuam improbitatem excuſandi. Quis enim ego ſum alias, ut non vehementer gaudere debeam, ſi tanto viro placuiſſe judicer. Theſes *de putredine* tibi mitto. Fuſiorem explicationem per dialogum incepi, at nondum abſolvi. Edetur ea cum tractatu *de Auro potabili*, *Contagio*, *Morbis totius ſubſtantiæ*, *Somno*, *Melancholia*, *Convulſione*, & aliis quibusdam, quibus poſteritatem juvare ſtudui. Nullus enim, quod ſciam, hæc recte huc uſq; expoſuit.

De

De *Excommunicatione* ea ſcripſi, quæ certo ſcio nullus homo unquam confutabit. Tentarunt enim Beza, Noſtri, Galli omnes docti: ſed fruſtra tentarunt, & pudet eos refutationum ſuarum, pudebit magis, cum reſponſiones meas legerint, imo abdere ſe cogentur, niſi frontem prorſus habeant meretriciam. Exemplum, ſi ita voles, tranſcribi tibi curabo & Theſium & Reſponſionum. Quando vulgaturus ſim neſcio, cum præſertim plus nimio turbarū in Eccleſia nunc habeamus in Saxonia & hic ob mortem Principis Electoris, ut nova diſputatione nondum videatur eſſe opus.

Ad poſteriores venio, in quibus mihi quæſtionem proponis diſcutiendam, *an Medicina ſit opus*? videri enim inutilem eam eſſe, ſi præfiniti ſint ſui cuiq; dies, ut nec temporius nec ſerius quiſquam occumbere valeat. Miror vehementer, inveniri aliquem potuiſſe, qui de hac re quæreret. Ad valde pauca reſpicit, quiſquis hic dubitat. Sed quando ſaxum hoc voluere cœpimus, age verſemus diligentius. Reſpondetur, non utilem modo, verum etiam neceſſariam eſſe: quod primum Phyſice, deinde Theologice probabo: breviter utrumque, ſed firme & aperte tamen. Res nulla perit naturaliter, quantiſper calor ejus congenitus ſupereſt. Hic enim author & effector & conſervator eſt temperationis, qua incolumi

Medicina an opus ſit.

 per-

permanente res nulla interire potest. Manet autem calor insitus in re qualibet tantisper dum alimentum ei suppetit conveniens. Calor enim nativus instar ignis (aut flammæ in ellychnio accensæ) perpetuo indiget alimento. Continue namque generatur & occidit, sicut in flumine semper aquæ præterlapsæ nova succedit. Alimentum porro nativi caloris, quod rationem lucernarum olei habet, est humidum congenitum. Quod cum in re aliqua copiosum & lentum inest, difficilius ac longiore tempore absumitur: cum vero paucum est & aquosum, brevi admodum tempore dissipatur. Ut uno verbo dicam omnia, sic res habet. Quanto magis aut minus humidum istud calori nativo, cujus est pabulum, resistit, tanto rei cujusque vita seu duratio longior est aut brevior. Hoc spatium temporis, quo rei cujusque calor insitus proprium humidum depascitur naturaliter, id est, absque vi & morbo, *fatum* nominant Peripatetici. His positis, certum est apud Aristotelis sectatores vitam produci arte ad hunc terminum usque posse. Quis enim dubitet artem hoc præstare posse, ut serius aut temporius humidum à calore consumatur. Etenim dum hoc agimus, ut præter naturæ modum calor non augeatur, & humidum propter adventitiam causam non minuatur, ab interitu ce-

leriù

leriore rem præservamus. Qui cibis mali ſucci veſcitur, & ob id corpus vitioſis humoribus replet, nec idoneam materiam pro repoſitione humidi, quod diſſipatum eſt, habet, nec cavere poteſt, quin per febres aliosve morbos caloris proportio ad humidum mutetur. An non quotidie videmus herbas, quæ frigoris aut hyemis aſperitatem ferre nequeunt, multis annis conſervari, cum vel teguntur, vel in cella calidove loco ad ver uſque ponuntur? Fructus nonnulli arte, qui vix menſem unum integri manſiſſent, per totum annum recentes ſervarunt. Norunt Agricolæ certas arbores in aprico & calido loco plantatas longe felicius, quam in opaco & frigido ſolo conſitas, naſci, fructusque ſuos temporius & copioſius procreare. Hic eſt cereviſiarum coctor, qui vitem habet ad parietem, juxta quem ignis ſubinde accendi ſolet, plantatam, quæ botros & folia longe ante protulit, quàm aliæ omnes gemmas oſtendere cœperint. Vidi Bononiæ quoque aliam, quæ ſimilem ob cauſam in mediam uſque hyemem & folia ſervabat, & per æſtatem multo ante alias fructus ferret maturos, ſemimaturos, & nuper enatos aut florentes. Non minus certum eſt, propter contrarias cauſas tardius à nonnullis arboribus & plantis fructus & ſemina produci. Ex quibus evidentiſſime probatur, nativum calorẽ arte augeri & minui poſſe, ut ejus operatio-

nes & maturentur & impediantur. Cæterum ars, quæ nativum hominum calorem auctum reprimit, & ne pabulum suum justo celerius absumat, præcavere docet, quæque congenitum humidum, quoad ejus fieri potest, auget, *Medicina* est. Quocirca non utilis tantum est, verum etiam necessaria: nisi quis inscite affirmare ausit, profligationem morborum, qui humidum congenitum dissipare festinanter possunt, necessariam non esse.

Apud Christianos facilior est hujus quæstionis explicatio. Christus enim *ægrotos Medicis indigere* affirmat. In Dei populo & Republ. Medicos semper fuisse manifeste patet ex 50. capit. Genes. Exodi 21.2. Paralip. 16. Ecclesiast. 38. Et hoc quidem loco postremo palam jubemur post nominis divini invocationem Medico locum dare. Probatur ibidem, Deum voluisse Medicam artem exerceri hoc argumento, quod ob eam causam tot & tam varia terram jusserit pharmaca proferre. An & Chirurgiam inutilem minimeque necessariam aliquis opinabitur? haud puto. Si de hac parte nobis concedent, illam quibus argumentis minus necessariam demonstrabunt? Argumentum certe de præfinito mortis die ac tempore utrobiq; locum æque habet. An quia mortis horam definivit nobis Deus, necesse etiam non habemus edere ac bibere? Argutabitur hic etiam

ali-

aliquis, frustra cibum assumi, quia nec detrahere nec addere tempori nobis præscripto possumus. Si cibum potumque necessarium confitemur, quo argumento alio remedia inutilia monstrabimus? providentia DEI falli non potest: atque ob id necessario eveniunt omnia, quæcunque fiunt, si ad Dei præscientiam referantur. At si ad nos respiciamus, contingentia sunt plurima. Quoniam igitur & hoc Deus providit ac voluit, ut aliqui beneficio medicamentorum sanentur, (sicut vitam nos vult cibo ac potu producere) minime instrumenta & dona hæc divinæ clementiæ aspernari debemus. Quia etiam scire non possumus, utrum Deus per pharmaca nos liberare statuerit, prorsus officium nostrum facere, ac eventum justæ & bonæ Dei voluntati permittere tenemur. An non insanus judicaretur, qui de loco alto præcipitem se dare, quã apte per scalas descendere mallet? An non tentaret Deum, qui cum ex aqua enatare posset, enatarè nollet, quia Deus etiam in aquis servare, quos vult, potest? Jubet Deus, ne soliciti simus, quid edamus, bibamus, induamus, addita causa quod & passerum & liliorum agri curam gerat, præterque ejus voluntatem capillus de capitibus nostris defluere nullus possit. Idem interim misericors DEUS arare terram, sulcis committere semina, metere, triturare, vites colere, uvas colligere, fructus re-

ponere, præcipit. An quia nemo ad Christum pervenit, nisi quem pater traxerit, ministerium hominis necessarium non est? summa est. Deus miraculose vitam nostram nunc non regit, sed per media & instrumenta ab ipso ordinata agit: in quibus nihilominus suam nobis potentiam, majestatem, gloriam, & clementiam liquidissime patefacit. Quia igitur nescimus consilium Dei de vitæ nostræ termino, deq; ægrotationis & sanationis eventu, faciendum id nobis sedulo est, quod mandavit ac ordinavit, sive mori sive vivere nos velit. Cavendum insuper nobis est maxime, ne eum tentavisse deprehendamur, sed ut successum ab ipso præcipue & solo expectemus, dum, quod nostrum est, facimus. Ergo sive Philosophos consulamus, sive Dei verbum audiamus, necessariam esse medicam artem concedere cogimur.

Siracides affirmat, medicum à Deo ornatum, & stipendium ei dari præcipit. Deinde subjicit, Medicinam à Deo mortalibus donatam esse, ac in precio apud Reges forè hujus professorem. Postremo addit (quod imprimis observandum est) Deum ex artis Medicæ miraculis & sanationibus laudari & prædicari velle. *Ipse namq; per medicamina* (inquit) *sanat, & doloribus homines liberat.* Non igitur tollit artis exercitium Dei præscientia. Nec ob id nos juxta præscriptum Dei non agere debemus, quia eum scimus ab æterno prævidisse, utrum

pro-

profutura sint nec ne pharmaca , quibus utimur. Qui hæc media negligit, non sine culpa sua moritur, nec poterit non vulnerari ob hanc rem conscientia. Qui Dei ordinationi paret ac moritur, nihilominus bona conscientia coram Deo consistet, dum nulla sua culpa se mortuum intelliget.

Ad argumentum frustra aliquid respondero. Non enim quia meta nobis est posita, ideo officium nostrum, qui, qualis & quanta ea sit, nescimus , deserere nos convenit, sed in Dei sapientia & bonitate , à qua omnia provenire nobis scim9, sic nos acquiescere decet, ut quod imperatum nobis est, neutiquam negligamus, quicquid tandem Deo facere sit visum. In Christo Jesu Domino nostro Vale. Heidelbergæ, die 26. Mart. An. M.D.LXXVII.

EPIST. LXXI.
Parisios.

Janus Passeratius Errico Memmio felix novi anni auspicium.

Alma refert nobis dum Janum Aurora bifrontem, Pavi descriptio.
Patroniq́ parant solemnia dona clientes,
Acciperes, Memmi, mihi si fortuna dedisset
Parrhasii tabulas, spirantia signa Myronis,
Stragula quæ Babylon, quæ misit vasa Corinthus;
Sed vatum in laribus non est tam lauta supellex.

Fal-

Fallor? an & magni fuerit tibi muneris instar
Pavus, Apellæâ quem nemo expresserit arte,
Vixq; levi in tabula tenuis nunc versus adumbrat?
Experiar. Junonis Avem celebrare volenti
Æqua favet Juno, & supplentur numine vires.
Jam mihi lætitia Pavus gestire videtur
Altius ingrediens, jam se formosior ipso
Stellatæ ostentat concibata volumina caudæ.
Laudis enim tacito sensu, blandisq; movetur
Vocibus, & solida virtutis præmia quærit.
Mira loquor, nostrum tangit quæ gloria pectus
Sublimes Pavorum animos, generosaq; corda
Sollicitat, decorisq; accendit honesta cupido.
Fortasse invalidum objicient in prælia robur,
Accipiter pugna melior, fulvusq; Tonantis
Armiger, atque rapax avido cum vulture milvus:
Sit licet ad prædam vis major, & impetus illis,
Non tamen eximiæ spernenda potentia formæ:
Nec si præstat olor cantu, aut vocalis aedon,
Idcirco Aoniæ Pavos odere sorores.
Mæoniæ speciem & mentem gesturus Homeri
In Pavi latuit pennis pater Ennius olim.
Pace ausim vestra, Consulti, dicere, Juris,
Omnis abest feritas, agnoscunt verba vocantis,
Assuescuntq; manu, & dextra mulcentur herili.
Hos amat, hos jungit Divûm Regina jugales,
Atque bis insigni vehitur per nubila curru.
Conjugibus nulla inter se discordia, nullum
Dissidium, durat thalami inviolabile pactum.
Quicquid contigerit commune ambobus, & alter

Inte-

Interitu alterius stygias solet ire sub umbras,
Securiq; simul ducunt oblivia Lethes.
Vidi ego languentem, nec sicco lumine vidi,
Occubuisse marem, viduum sua fœmina postquam
Destituit moriens primævo in flore juventæ:
Una dies rapuit, tumulus tegit unus utrumq;
Crudeli occasu tua tum, clarissime Memmi,
Ingemuit turbata domus puerìq; virìq;
Excussit lacrymas tanta pietatis imago,
Digna equidem, æternæ tradant quam carmina famæ.
Thesea Pirithoum, juvenis Phocæus Orestem,
Dilexere minus: vel qui promissa Tyranno
Sicaniæ non deseruit vadimonia Damon,
Servataq; fide incolumi est servatus amico.
Quid memorem Paphiis quam fidi in amore columbis,
Firmaq; concilient similes & fœdera mores?
Conflictum invidiæ crimen nativa refellit
Simplicitas sorptiq; fimi videtur anilis
Narranda ante focum gelido fabella Decembri.
Præterea haud sterilis cura est, & sumptus alendi,
Fructus inest pulcris, superant quoq; commoda formam.
Non ita rem Domini cumulat fœtura bibentis
Lanigeræ, nec quæ invenit vivaria luxus
Exigua pretia ut fierent ingentia villæ.
Præbuit Ausoniis Pavus flabella puellis,
Unde graves æstus animiq; animiq; levabant
Luce domum servat, prospectatq; omnia lustrans,

Igno-

Ignotosq; procul crebris clangoribus arcet
Nocte, vel excelsi fidens in culmine tecti,
Arbore vel summa ventum speculatur & imbrem,
Certaq; venturi attento dat signa colono.
Ergo illum venerata Samos, populoq; Quirini
Manserat intactus, donec mensam Ortalus augur
Impius apposito, facundaq; polluit ora.
An referam teneris haud æmula colla palumbis?
Crinitumve apicem, modici vel acumina rostri?
Conspicuas Soli adverso si quando superbæ
Pandit opes caudæ, speculorumq; explicat orbes,
Tum vero effulget gemmis ita pictus & auro,
Ut longe Eoi cedant miracula cœli;
Quæ minio distincta virent: humanaq; reddunt
Pervigili studio nocturnis verba magistris.
Cedat & ipse suis vivax Gangeticus ales
Funeribus, magnum solus qui computat annum,
Et Nomadum volucres, & Phasidos incola ripæ.
Aeriam pennis cum versicoloribus Irim.
Illic aspicies, convexi & sydera mundi,
Quosq; rubens Indi parit æquoris unda lapillos.
Hortorumq; comas sub adulti tempora veris,
Irrigui & prati sparsos per gramina flores:
Centum oculi lucent illic, quos perdidit Argus
Inachiæ custos ad flumina nota juvencæ.
Tot bona tam rarus dotes angustior ætas
Excipit, & vita quinto meta ultima lustro.
Invida formosis spatium cur longius ævi
Fata negant, tribuuntq; novem tibi secula cornix?
Indulget mala Parca malis, atq; optima quæque
Im-

Immatura metit duri inclementia Ditis.
Sic Nympheis accepta diu non lilia florent,
Virgineusq; rosæ primo rubor interit Austro.
At tribuli & lappæ horrentes,& inutilis agro
Carduus, haud Boream curant & frigora Brumæ.
Luce sacra tristes cohibe sed, Musa, querelas
Omina mense suo geminus fœlicia Janus
Postulat, & lætos Anni redeuntis honores.

EPIST. LXXII.

Genevam.

Joannes Leuvenklavu Henr. Stephano S.

SUperioribus tuis propterea non respondi, quod Xenophontem meum denuo per politum ad te perferendum primo nuntio dare statueram: nunc qvum alteras abs te acceperim, deq; nonnullis admoneri me prudenter & amice videam, inhibito nonnihil consilii prioris quasi cursu meum exemplar apud me tamdiu retinebo, dum & Camerarianam & Venetã interpretationem παιδείας nanciscar; quarũ illã heic apud me non habeo, alterã variis auctã lectionib9 ut scribis, nunquã adhuc vidi. Optarẽ utramq; mihi abs te mitti, ne dũ longius arcesso, quod ê propinquo consequi licet, exspectationem commodaq; tua remorer. Cupio quidem certe Xenophonteam hanc lucubrationem alteram mihi honestam, typographo fructuosam, lectori gratam & utilem efficere. Xenophon.

Oeco-

Oeconomici nullam arbitror editionem præstare Camerarianæ, qvam ego cum mea diligenter contuli. Polybium nunc paro, quo quidem edendo nolim te properare. Nam audio quemdam Polybii, Procopii, & aliorum quorumdam fragmenta propediem publicaturum, ea primùm videamus censeo. Varias lectiones Polybianas omnes abs te nõ desidero. Nã ἐπιτομάς, quæ maxime corruptæ sunt, & emendatas ego de libris manuscriptis & auctas habeo. In ceteris, si primæ paginę duas mihi lacunas exemplaris editi complanaveris, gratissimum feceris. Scribis abs te nunc Dionysiũ Halicarn. elaborari. Vide num tuis ego reb9 recte sim consulturus. Historiam Romanam scriptores Græci plures universum pene complexi sunt: Dionysius, (inquam) Polybius, Appian9, Diones, Herodianus. Hos si tu nobis omnes ordine Græcos & Latinos dares in certos tomos digestos, qui licet singuli prodirent, conjungi tamen omnes tandem possent; magno tibi beneficio rerum Romanarum studiosos obligares. Dionysium Latine redditum habere te dicis. De ceteris videndum. Appiani novam interpretationem nullam scio. Quid si hunc ego tibi cum Herodiano tradam? audi amplius. Scis in quæ tempora desinat is, quem dixi, Herodianus. Eorum temporum historiam nulli plenius exceperunt, quam Eunapius & Zosimus. Eunapii fuere libri XIV. qui nus-

Polybi9.

Dionysi9 Halicarnasseus.

Appinianus Herodianus.

Eunapi9.

nusquam exstant, ne quidem in Italia: Zosimi sex tantum. Photius in bibliotheca narrat, easdem res ab utroque sic tractatas, ut una videatur historia. Stilum & φράσιν diversam facit, Eunapianam ob prolixitatem καὶ τροπὰς frequentiores improbans, Zosimæam laudans, ὡς σύντομον, καὶ εὐκρινῆ, καὶ καθαρὰν, οὐδὲ τῆς ἡδέ☉ ἀπῳκισμένην. Zosimus. Photius.

Repetit autem Zosimus narrationes (ut dixi) rerum gestarum suas ab iis temporibus, in quibus Herodianus desiit: integramq; pertexit historiam, usq; ad Gotthicum urbis excidium; & rara plæraq; continet, parumq; nobis cognita; qui de temporib9 iis scriptorum duntaxat Ecclesiasticorum monumenta legimus hactenus. Hunc ego tibi manu mea descriptũ, diligenterque collatum & emendatum mitto, ut historiam Romanam annorum CIↃ. CC. ab urbis origine ad excidium usq; continuatam habere possimus: suppeditaturus etiam conversionem bonam & luculentam, quæ dudum parata apud me est. Rarum hoc, crede mihi, opus est: quod aliunde non facile consequare. Deest parum in fine primi libri, parũ in principio secundi, parum in medio quinti, parum deniq; in fine sexti. Quæ omnia exspecto ex Italia, cujusdam amici opera, qui admodum secreto custodiri quoddã istic exemplar mihi nunciavit, cujus ipse copiam sit habiturus. Audio te Photii bibliothecam habere, de qua

vellem exscriptum de Zosimo titulum mitteres. Nam mea, quæ in fronte Zosimi posita vides, alicubi corrupta sunt. Facies item me certiorem, an Herodiani videris editionem aliam quam Basiliensem. Dionysii περὶ τέχνης ῥητορικῆς cũ Antimachianis illis ad me mittito. Nullum enim exemplar habeo. Vel ipse in eo tibi gratificabor, vel alium inveniam, qui reddat. Platonis editio tua valde ab omnibus exspectatur. Naogeorgus an versionem orationum Chrysostomi suam recognoverit, nescio. Mortuus est haud procul Heidelberga: nec commodius hæc aliunde quam ex Ursino vel Melisso resciveris. Hæc ad tuas rescribere prolixius volui. Tu velim officio tuo me subleves simulq; veteris illius verbi memineris, quo χάρις βραδύπους ἄχαρις. Nam duplo me tibi putabo devinctiorem, si ultra natalicia proxima rem non distuleris. Vale. a. d. VII. eid. Decemb. Basilea.

Plato. Thom. Naogeorgus.

EPIST. LXXIII.

Ultrajectum.

Justus Lipsius Jano Dousæ meo S. D.

Silentium tuum mihi, Dousa, molestum: absentia multo magis. Ubi autem fides? intra dies octo expectari volebas te: menses ecce labuntur. Statueras hoc jam antea? an quid intervenit? an placent tibi novitii isti & fallaces mores? An potius uxoris partio te detinet?

quæ

quæ genuit tibi (ita audio) decumam jam prolem. Macte hac fortitudine dicam, an fortuna? utraq; certe opus, nec minus hic, quàm in agricultu, Labori & Eventui litandum. Sed tibi quidem propitius uterq; Deus: & gloria Masanissæ te manet, si sic pergis. Vide tamen ne dum assiduus nimis in illis vallib9: desertum eas nostros montes. Suspicor: & jure. Ut quid enim procaces illæ antea Musæ tuæ tamdiu silent? cur tribus his mensibus gutta nulla nos irrigavit poetici tui humoris? Emenda: & hic & ibi vir esto. Libelli etiam tui addicti Plautino, ubi sunt? Solve sodes, aut Prætorem exspecta & suspensum capiti tuo libellum. Non enim differo, non protollo. Indicem Francofurto en habes. Sed sterilem bonarum rerum: & nihil nundinæ istæ ad Phœbum. Melleri tamen Spicilegia edita, acutissimi ingenii juvenis: utinam rectissimi, vere addam. Sed profecto aut fallor in hac omni litteratura, aut ille valde in censendo & scribendo. Palmerii Spicilegia

Quales pleræque eæ conjecturæ? quam non callidæ solum, sed calidæ? imo quam audaces? Mihi crede, corrumpendis ista, sive perdendis potius libris literisq; sunt: si dimanat hæc labes. Et dimanabit, ita juventutem hanc video: & tantum ingenii specie blanditur hic calor. Jam stilus ille quis? doctus, antiqvus, arcanus, inquies. Scio: sed quo tã doctus,

antiqvus, arcanus? Ego ille ipse qui aliquid hic capere me puto & sapere, sæpe quæro aut non video ejus mentem. Quæso, mittamus tenuem nimis subtilemq; hunc colorem & Apellæas, ut sic dicam, lineas: & Venus nostra inspiciatur etiam à vulgo. Ut nihil minus expedit, quam agrum optime colere, (ajebant veteres:) sic censuerim de stilo. Nimis ornas? fucus & adfectatio apparet. Nimis attenuas? tenebræ & squallor. Modus autem in omni re optimus: etiam in epistola, quam finio, & te salvere jubeo, nove Hercules Musarum, nove matrum. Lugduni nostræ, a.d. III Nonar. Aprilium. M. Lↄ.LXXX.

Plautus aliquam multis locis emendatur.

Scripseram, ecce filius tuus à te scidam, cum pauculis quæsitis super Plauto. Respondebo breviter, & Centurioni tuo addam hæc sive impedimenta sive ornamenta. Trinummo, Scæna, Sta illico:

Hic agit magis ex argumento & versus meliores facit.

Etiam ob stultitiam tuam te tueris, multa abomina.

mihi tecum tenebræ, quas tamen coner hac emendatione discurrere, *ob stultitiam tuam tete veris multabo minis.* Non insolens hoc Plauto, ut avertat à fabula ad actores aut Poetas. Ita de Pellione alibi interserit: *ita Os columnatum Nævii ridet*: ita hic exclamat velut victor (certabant enim, ut scis, & Ædiles præmium dabant)

Aversio à fabula ad Poetas. Comicorũ certamina pro præmio.

bant) imo & comminatur multam ſtulte adverſanti. Infra, quod legis, *haud longius*, probo. Scæna, Staſime fac te —— *huic quiſquis eſt*,

Gurgulio eſt exercitor, is hunc curſuram docet.

Capere ego ſententiam videor : & puto ab athletis ſumptum, quibus gymnaſtæ ſui & magiſtri exercitores. Quia igitur in brevitate illa proſcœnii currebat ſervulus & recurrebat, ſed lento & mimico curſu: ſenex ludit, & hunc hominem, inquit, tardus aliquis Gurgulio ad curſum exercuit. Ita currit, nec procurrit. Non alia alluſione aut ſententia, ſupra dictum [ſcæna, multas res) Currendi magiſtri & exercitores.

Magiſter mihi exercitor animus hic eſt. Ubi, *hinc eſt*, inſcite ſcribunt & diſtingvunt. Ibidem:

Sed ſi non dicto audiens es, quid ago? ST. damnum malum.

CH. Bene mones. ita facere certum eſt.

Jure hæres & ambigis de ſermone. Quis enim dixerit, *Agere damnum*? Nos vocula augemus, quæ retrahenda è ſyllaba primore alterius verbi; ST. *da damnum malum.* Scæna, Minis quindecim: Agere damnũ.

Qua ſponſione pronuper tu exactus es.

Alterutrum ſcripſerim. Sive *quam ſponſionem*; ut vetus Poeta, *Ego nihilominus illud exigor portorium.* ſive diviſum, *qua ſponſione pro, nuper.* ut rejecta præpoſitio in tergum vocis ſit, quod ſæpe. Valebit igitur, *pro qua ſponſione nuper.* Scæna, Quo illic homo: Exactus ſpõſionẽ. Pro, poſtpoſitum.

Dejuvare *Deserere illum & dejuvare in rebus adversus pudet.*

Exemplum postulas verbi *Dejuvandi.* Non do: & tollere malo ac scribere, *desivare.* Hanc Plauto priscam & suam vocem adseruero attestante Paulo sive Festo *Desivare*, inquit, *desinere*, Ubi ambigam an non scribendum, *deserere*, vel addita voce *desinere juvare.* Glossæ veteres, quas debemus Henr. Stephano: Desivator, ἀβοήθητος. Lego: *Desivatos*, ἀβοηθήτους. Interpretatur scilicet, (& recte) desertos, destitutos. Nec repugnem etiam, si quis ubiq; *Desinare* per N. potius scribat. Ibidem, sed anterius:

Desivare. Festi laus Philoxenes corrigitur. Desinare.

Pro ingenio ego me liberum esse ratus sum, pro imperio tuo.

Acumen sententiæ reddimus scribendo, *tuum.* Pro ingenio, ait optima illa proles, liber sum: pro imperio, tuus. In Sticho, Scæna, quisnam obsecro:

Commodum radiosus sol esse superabat è mari.

Superare se. Leviter extergeo labem: *sol sese superabat. Superabat sese*, ut *Emergebat sese*, & talia. Persa, Scæna, Jovi opulento:

Quia meo amico amiciter hanc commoditatis copiam

Danunt. ——

Imo, *Danit*, singulario numero: quia hæ gratiæ uni Jovi. In Pœnulo, Scæna, Negotii sibi:

Quin

Quin abire finis? quid vis tibi? qui bene volunt,
bene visitent.

Quæris quid illud, *Bene visitare?* meo animo, nugæ & sordes. Purgo, *qui bene volunt, benefici fient.* Idemtidem amator ille benivolentiam amicæ oggerebat,& sese eam liberam facturum: sed illa, verba fastidiens, Omitte promissa,inquit:& si bene vis,bene fac.In Mercatore,Scæna, jam redeo:

Qui bono sunt genere nati, si sunt ingenio malo
Suapte culpa genere capiunt, genus ingenuum
improbant.

Scio qui vir doctus explicet. Sed involucra hæc sententiarum nunquam ceperint prisci illi Quirites. Facile cum iis ego,si legas: *Suopte culpam genere capiunt. Capiunt culpam,*inquit, nobiles à suo ipsi genere, si degenerant. Hoc probum.Scæna,Divum atq; hominum: Capere culpā ab aliquo.

Nobis ater imberq; instat, aspice nunc ad sinistram.

Labat sane à fine versus, nec fulciunt ut censes mei libri. Ego, tibicine literæ inserto, sic:*ad sinisteram*.Ita dicebant,sicut *Supera, Infera*,&(quod noviter observo) *Propterà*.Ita enim versum Ennii lego & constituo diu inter Criticos jactatum: *Subulo finitimas propterà stabat aquas*, non,*propter astabat*: quod pugnat nimis in leges receptissimas versus. In Menæchmis, Scæna,sine fores: Sinistera. Propterà Ennii versus.

Sed scin? quid te, amabo, ut facias impero? ME. quid vis modo.

Confusa. quæ digero : *quid te amabo ut facias? ME. impera quidvis modo. Amabo ut facias,*
Amare, ut faciat. sicut infra: *Amabo ut deferas : Amare ait te multum Erotium, ut hoc nunc una opera ad aurificem deferas :* In Epidico. Scæna I.

——— *haeccine ubi scribit senex, puppis*
Pereunda est probe. ———

Nec Latina quidem hæc, ut recte vides. Legam : *hæccine ubi scribit senex? Pupis pereundum*
Pupi. *est probe. Pupos* appellat per delicias, servulos, quibꝰ ob fraudes fraufas non dubie mala crux à sene. Proverbii speciem dictio præfert. Gurgulione, Scæna, Edepol nugatorem :

Vel qui ipsi versant, vel qui alii subversentur praebeant.

Scribo, *vel qui aliis ut versentur.* Capteiveis, Scæna, Injicite huic:

Vel te interiisse vel periisse prædicent,
Dum pereas nihil interdico.

Interduere. Lego, *nihil interduo.* Habesne largiter ad quæsita ? Mirum ni te obrui hac grandine verborum : nec, si sapis, ultra scabiem hanc Criticam exscalpes. Ut cantores enim sumus : cum semel cœpimus ἀχάλινον nobis ςόμα.

EPIST.

EPIST. LXXIV. Genevam.

Joan. Sambucus V. CL. Henrico Stephano εὖ πράγειν.

FAsciculum ad me missum, quod indicium plenum amoris interpretor, accepi. Xenophontis editio ita valde mihi accepta venit, nil ut cupidius exspectarim. Zosimi mutila sunt, & suis partibus mutila, graviter affecta plurima. Sed quid agas? Melioribus id malum scriptoribus evenit. Græcum sperabam fore integrius, totque locis minus ad sanitatem impeditum. Nil editionem Discoridis moretur, oro, cujusquam nova versio. Mitto tibi ὑπόμνημα non contemnendum. Si Saracenus pollicita non urget, aut deseruit, adde Ruellii interpretationem, quam meæ observationes meliorem multis partibus efficient. De Platone variæ voces, ejusque versione & scholiis. Sunt qui, si non falluntur judicio, Ficinum longe præferant: & Saracenum hunc grammaticum tantum non Philosophum ajant: rhetorizare & παιδαριωδῶς scholastica interim adhibere. Sed fortasse odio tui, & qui istic degitis, uti solent Itali, & quidam carpendi morbo suffusi, οὐκ ἀληθῶς pronunciare. Egi cum Episcopio de meo Aristotele imprimendo. Sed is tergiversatur. Alloquitor eum sodes, forte persvadebis. Palladii ἀπόσπασμα in VI. Ἐπιδημίων meum edi- Xenophō Zosimus. Dioscorides. Plato. Aristotel. Palladius

dit Pema ex interpretatione Crassi, utinam tibi commisissem. ἔρρωσο, atq; Saracenum V.CL. & magnum ἰατρὸν à me saluta, quem omni præconio dignum censeo, III. Kal. Maji, Anno 1581. Viennæ.

EPIST. LXXV. Genevam.
Jac. Cujacius Jac. Lectio suo S.

QVem misisti ad me librum, accepi: gratiasq; ago, quantas dignum est. Amabo, mi Lecti, alterum illum, qui *Polygamia* inscribitur nec non illum, qui *Diogenes*, etiam ad me cura. Quæ de Civitatis tuæ adversis meministi, eadem ad nos quoq; Lugduno scribuntur, sed

O passi graviora, dabit Deus his quoq; finem.
Scaliger abiit à me Jussianum: & profectionem parat in Vasconiam. Rogavit in discessu, te ut apprime nomine suo salutarem. Pontanus noster, quando it isthuc, de rebus meis ac scholæ quam uberrime tecum aget. Me discriminis metus nondum adeo terret, ut cogitem de abscessu. Spero futurum pietate divina, ut hoc quidquid est contagionis, priusquam feriæ nostræ vindemiales exierint, evanescat. Itaq; certum mihi est ad id saltem usq; tempus in statione perseverare. Vale, doctissime & sapientissime Lecti. Biturigis, IV. Calend. Augusti cIↃ. IↃ.LXXXII.

EPIST

EPIST. LXXVI. Genevam.
Paulus Melissus Henr. Stephano.

TE in eo esse, ut Typographiam tuam instaures, non ipse modo, verum alii mecum, utriusq; nostrum amici, ex animo gaudemus. Utinam autem te inani Aulæ Gallicæ pollicitatione deceptum prius mens & Fors bona in Allobrogas retraxisset, quam & spei aura nonnulla refulgentis, & rei privæ jacturam fecisses.

Frustra me hercule obnitimur fatis humunculi miselli, si Deo aliter visum est. Quærimus commoditates, invenimus calamitates. Sorte quemq; sua contentum esse decet. O mi Stephane, te nunc diligenter & serio hæc considerare velim. Resarcies igitur, quod neglectum fuit. Habes quæ rem familiarem curet; ut ita te in libros totum abdere possis, litigiorum fugitans, atq; istiusmodi apinarum tricarumve, unde nihil emolumenti, nihil lucri. Loquor tecum aperte & sine fuco: atq; hinc amici hominis animum cognoscas licet. Litteræ tuæ quidem mihi redditæ, nondum autem libri. Francofurdiam non veni. Catalogum quorumdam Græcorum manuscript. à me petivit Th. Beza, cum misero, & tu perlegere poteris. Ad Thucydidem & Herodotum quod attinet: quin manuscriptis jam olim Fuggeranis usus fueris, non dubito. Quid igitur est in quo tibi pro-

prodesse possimus? Da nobis. Pohstius te resalutat amanter. Bene vale. Datum Heidelbergæ, XV. Kalend. Aprilis, anno cIↃ.IↃ.VII.

Cum literas ad te scriberem, ad manum erat Virgilius ex tua editione. In ea mihi non placet, quod super syllabam brevem acutus tonus reclinatus sit:

——*desvetáq; corda.*

Ineptum, & contra omnes libros manuscriptorum, debebat potius hoc modo:

——*desvétaq; corda.*

Nam omnino ita pronunciandum. Solent eodem modo corrupte scribi;

Armáque, Fatáque, Metáque, & id genus alia, cum *Ar'maque, Fátaque Métaque* sit scribendum.

Vellem imprimendi nugas & stultitias in Typographia tua omitti.

Adverbia in e lōgū circūflectenda. Adverbia in *ê* longum, circumflexo noto, *longê, latê, amicê.* Reliqua nullo indigent accentu. Similiter ablativos primæ inflexionis in *â.*

Ablativi in a circumflectenda. Dictiones quæ *s* littera finiuntur, quibus adhæret in fine enclitica, non scribo longiusculo *ſ*, sed minusculo *s* ut, *densusque*, non *denſuſque.* Itidem, *hortusve, amoribusve* &c.

Ambiguitas hoc medio excluditur: —— *Immundoſve*, pro *immundosve*, legere aliquis potest, *immundo ſue.*

Di-

Discrimen observo præterea inter i.e.v consonantes,& *i.e.u.* vocales. Prodest hoc in multis. *uva, uvidus*: non *vua,vuidus,vivus, viv:dus, volvi* à *volvo* , *volui* à volo, *volvisse, voluisse &c. juvo,jaceo,injicio*,non *inijcio*. In fine tamen vocabulorum rectius ita pingitur *servitij*, quàm *servitii* vel *servitji*.

Præter rationem solent præpositionibus *à, è* addere gravem accentum,cum syllabæ sint longissimæ,in quibus insit circumflexus.

Discordes vulgo scribunt. Ego *Discordes*, ut *s* parvulum terminet syllabam primam.

Contra *Discindo* ſ longiusculo , ut indicet syllabam ab eo incipere. Itaq; scribo *abstulit*, non *abſtulit*.

Quod supra dixi de *que*, *ve*, etiam de interrogandi particulâ *ne* intelligendum. *iſtane, illane, bónane*? non istáne , illáne,bonáne?Cum autem longum est *a* , ut in sexto casu,circumflectens scribo *illâne*?

Malo sane ego omnia in linguâ Latinâ legere absq; accentibus additis,quàm dictiones ita miseriter depravari.

Pag.342. l.10.

——— *arbuſtáque diruta campis*

Si *dirúta* scribas,ut acutus sit in medio,idem esset, ac cum scripsisti *arbuſtáque*.

Ex his pauculis mentem meam collige,& iterum vale.

EPIST.

EPIST. LXXVII. Francofurtum.

Paulus Melissus Henr. Stephano S.

IN Nundinis tuis Francofordiensibus, quas longe habeo gratissimas, hæc mihi annotare visum, quæ nunc ad te mitto, ut vel corrigas in editione iterata, vel me errantem revoces.

Frank-furt. Pag. 6. *Franckfort*) scribendum, *Frankefurt* vel *Frankfurt*, *u* est *ou* vestrum Gallicum. Est autem *furt*, vadum, trajectus. Composite, *Francorum-* u furt. *trajectus*. Sabinus: *urbs de Francorum nomen adepta vado.*

Schvveb. Schvvein furt. Ita oppidum imperii ad Mœnum, distans V. millionibus Wircipurgo, *Schvvebenfurt*, vulgo *Schvveinfurt*, Svevorum trajectus.

Typogr. inventio. Pag. 27. *Typographicam artem excogitavit*) velim heic refutari Jovium, qui eam nescio in qua parte Arabiæ Indiæve inventam scribit.

Ad laudationem & vituperationem equorum velim addi à Musis tuis præterea novem singulis disticha. Octies loqvuntur Musæ, cur non etiam novies?

Pag. 28. in Cœna Posthiana. *Sed fascia ego*) Non constat sibi versus.

Cubiculū haber bi corre͂pru͂. Pag. 34. *Cubiculares*) Syllaba *bi* in *cubiculum* apud Catullum corripitur.

Pag. 43. *Detrudi ebrietas*) Versum purum ab initio desidero:

Ebrietas solio si detrudatur avito, vel *dejiciatur*, vel *deturbetur*.

Sed omissum. Pag. 44. *Sed quæ in vobis sunt*) Lego, *quæ sunt*

in

in vobis. Non enim semper opus est poni *sed.*

Pag. 49. *Putat anteire gent.*) Lego, *Anteire gentibus putabo.*

Pag. 51. Prandio solet) Ita incoho:

Semisobrius é suo redire
Prandio solet ille noster Aulus.

IN EPIGRAM. ANTHOL.

Pag. 130. *Tu Paridis recitas foris*) *foris* ultimam longam habet. Mutabis igitur distichon meum hoc modo: Foris ult. longa.

Damna foris Paridis recitas & damna Laconis
Et Parin haud unum ———

Ibidem: *Atridæ & Paridis*) Repone;

Atridæ Paridisq; foris mala multa recenses,
Et multos Helenes ———

Pag. 133. *De pleno victum*) *Gratis* ultimam longam habet. Reponendum in meo: Gratis ult. lõga

Ex pelago gratis multa alimenta capit.

Imposuit mihi Micyllus versu corrupte citato.

Ibidem: *Aptet, ibi pelago*) Rescribe, *Applicet, é liquido.*

IN EPITAPH. BEZÆ.

Pag. 126. vers. *Nec mutat*) pro *ignea stella* ponatur *stella serena*, in meo epigrãmate. Vale.

EPIST. LXXIIX. Altorphium.

Matthias Bergius V. CL. Theophilo Madero Collegæ & amico honorando. S.

VOlebam nuper emendicare abs te sententiã loci in 12. c. Ethicorum à verbis ἐν ἐπεὶ τῷ

τοῦ ἀγαθοῦ τὸ μὲν &c. usq; ad illa ἔτι οὐκ ἀνάγκη &c. de quo loco dissentiunt interpretes, quos habeo, nemine cum alio sentiente: & nullo(ut mihi videtur) cum Aristotele. Quod tum non patiebatur tempus, ut tibi proponerem, id jam epistola exponam etiam atque etiam orans, ut me in hoc salebra humaniter adjuves. Etsi de argumenti totius ductu minus exploratum habeam, tamen in primis de illo dubito, quonam referantur ista quæ sunt, σημεῖον δ' ὅτι οὐ τοῦ αὐτοῦ ἥδει χαίρουσι &c. Cujusnam rei σημεῖον istic exponit? Anne ejus, quod in præcedentibus exposuerat de duobus generibus voluptatum? Quorum unum sunt corporis voluptates cum λύπῃ καὶ ἐνδείᾳ conjunctæ, in appetitu rerum illarum, quæ habitui corporis naturali desunt: Alterum sunt voluptates animi contemplantis verum in rebus &c. ut scilicet hujus rei indicium sumat ex ipsis illis, quæ in corpore fieri comperiuntur: alia scilicet, cum illud se habet secundum naturam vel cum natura consistit: Tum enim ludi & θεάματα & jucunditates quæruntur: aliter, cum id se habet præter naturam vel cum natura constituitur vel expletur, quando contrariis sæpe utimur, quæ sint grata non ἁπλῶς καὶ φύσει, ut priora: sed κατὰ συμβεβηκός ut amara in frigore, acida in æstu &c. An tibi videatur esse Aristotelis mens, an alia, quæso, ostendas mihi: ne forte secus, quàm oportet,

lo-

locum hodie interpreter. Rogavi de eo etiam Giphanium, sed nescio an hodie ipsi liceat mihi respondere. Et me urget cursus lectionis. Gratissimum mihi facies si totius argumenti ductum paucis ostendes, ut si idem mecum judicas confirmer consensu nostro: Sin aliud à me sentis, erudiar tua ἐπανορθώσει. B. Vale & salve.

EPIST. LXXIX. Altorphium.

Theophilus Maderus V.CL.O B.Gilphanio IC.S.

PRincipio tuam probo sententiam de distributione illa bimembri prædicationum in *homonymam* & *synonymam* prorsus manca & inepta. Excludit enim *paronymam* prædicationem, qua ἴδιον πάθος subjecto tribuitur, scientiis omnibus familiarem ac omnino vernaculam. Excludit & illas prædicationes, in quibus *accidens commune de subjecto* effertur; quæ & ambiguitate carent pleræq; omnes, nec ad essentiam & naturam rei declarandam faciunt, ideoq; nec sub homonyma nec sub synonyma comprehendi possunt. Deinde non minus imperite synonyma sola regularis & propria à nescio quibus Logicis indicatur. Nam & paronyma regularibus & propriis jure annumeratur, ut recte objicis. Testis est Aristoteles 1. poster. 18. ubi has prædicationes: *Lignum est album, Lignum est magnum, Homo ambulat, Homo est Musicus*, pro naturalibus & ἁπλῶς prædicationibus agnoscit.

De Prædicationibus Dialecticis.

Altera divisio τῆς κτ' φύσιν κατηγορίας in ἁπλῶς, quæ essentialis seu synonyma: & accidentalem, quæ & paronyma nuncupari queat, à veterum decretis longe si non re verbis saltem recedere videtur. Aristoteles enim omne prædicationis genus in ἁπλῶς & κτ' συμβεβηκὸς partitur 1. Poster. 18. Ἁπλῶς vocat propriam & naturalem: κτ' συμβεβηκὸς vero τὴν παρὰ φύσιν & impropriam prædicationem. Prius membrum recte in essentiale & accidentale tribuetur, si accidentale intelligatur, quando vel ἴδιον πάθος vel accidens commune de subjecto prædicatur. Immo & quando ἴδιον πάθος dicitur, est essentialis non ut constituens, sed ut constitutum sequens necessario.

Essentiale appello cujus prædicatum vel ὅπερ ἐκεῖνο id est totam naturam, vel ὅπερ ἐκεῖνόν τι seu partem subjecti explicat: vel, ut loquar planius, in qua vel tota definitio definito attribuitur, aut genus vel differentia speciei. κτ' συμβεβηκὸς apud Aristotelem complectitur prædicationem παρὰ φύσιν, quum accidens subjicitur substantiæ (quod ipsi naturæ repugnat. Essentia enim per se subjectum est accidentis, idq; sustinet, non autem in subjecto accidente inhæret) & prædicationem κτ' συμβεβηκὸς in specie sic interpretibus Græcis dictam, in qua accidens de accidente, quod in abstractu non tribui possit, V. G. album de

Mu-

Musico, dicitur. Accidentalis igitur prædicatio triplex exsistit: 1. quando accidens attributi, substantia subjecti munere fungitur: quæ sub prædicatione κτ̀ φύσιν vel ἁπλῶς continetur. 2. qvum accidenti essentia tribuitur. Hæc ad παρὰ φύσιν attributionem pertinet. 3. qvum accidens de accidente prædicatur. Hæc in specie ac peculiariter κτ̀ συμβεβηκὸς appellatur Græcis interpretibus.

Quod si ista vera sunt, ut mihi plane persvadeo, constare non poterit illa subdivisio τῆς κτ̀ φύσιν in ἁπλῶς & accidentalem: qvum κτ̀ φύσιν & ἁπλῶς, eandem speciem κατηγορίας constituant: & accidentibus quoq; nonnullis inter ἁπλῶς prædicationes locus concedatur.

Quæris præterea, an homonyma prædicatio possit esse regularis sive naturalis, ut an tuæ prædicationes, *Hoc pictum est animal, Herodes est vulpes*, sint naturales? Ego ad παρὰ φύσιν has prædicationes referendas puto (possent tamen disparatæ sub naturalibus contineri, sed non propriis verum figuratis. Nam disparatæ pertinent ad accidens. Herodes enim est vulpes, id est similis vulpi. Et hoc est accidens commune quod potest adesse & abesse præter subjecti interitū) At de priori exemplo res omni caret controversia, si sequimur

Aristotelem cap.18.lib.1.deDemonst.& 1.prior. 28.Posterius etiam τῇ παρὰ φύσιν κατηγορίᾳ adscribendum est, siquidem recte interpretes disparatas prædicationes non naturalibus subjiciunt.

Objicitur,in ista divisione rei & materiæ haberi rationem. Itaq; non ponendum in libro περὶ ἑρμηνείας, qui formam enunciationum non materiam consideret. Respondeo, hanc ipsam ob causam ab Aristotele istam divisionem in eo libro prætermitti. Nam divisiones ad formam pertinentes ibi enumerantur,quales sunt, *affirmans, negans: una,plures: generalis, specialis:indefinita, singularis: τῷ ὑπάρχειν,modificata: finita,infinita*,&c.Quamvis vero princeps sit consideratio formæ, quædam tamen etiam materiæ habetur ratio in eo libro, ut hoc nomine excusari queatCrellii partitio.Confirmatur,quod dico, ex divisione in *unum & plures*. Nam ut una sit, omnem abesse oportet ambiguitatem, alioqui non unam, sed plures fere prædicationes,etsi una sit vox, confirmat Aristoteles cap. 7. libri illius. Taceo nunc disputationem περὶ τοῦ συναληθεύειν καὶ συναποληθεύειν enunciationem, de legibus oppositionum,de conjunctione & disjunctione partium enunciati, compositi, vel simplicis &c. quæ absque materia explicari nequit: licet & illa tractatio ob levem & ἐπιπόλαιον tantum materiæ θεωρίαν formalis, ut sic dicam,censeri possit.

Crellius excusatur.

Quæ-

Quæris insuper, an non synonyma sint duplicia, ἁπλῶς, & πῶς: quorum illa reciprocentur cum subjecto, hæc non? Ego non repugno quo minus aliquis ita dividat synonyma: verum istæ partium nomenclationes apud Aristotelem nusquam exstant. At synonymorum natura non in eo consistit, ut reciproce vel sursum versus dicatur, sed ut in quid enuncietur, sive totam naturam, sive partem declaret. Et definitio synonymorum tam convenit generi non reciproco seu ἀναστρέφοντι (ut loquitur Galen.) quam differentiæ reciprocæ seu ἀντιστρέφοντι. Itaq; utrunq; ἁπλῶς συνωνύμου nomen sibi vendicat. Nolim tamen cum quoquam de hac re litigare, qvum pugna non in re, sed in verbis consistat.

Ad extremum judico & ego illam distributionem in *propriam* & *figuratam* Grammatici potius, quàm Logici esse propriam. Nam utrum vox sit figurata an propria, judicium aliunde quàm ex grammatica peti non potest.

EPIST. LXXX.
Ambergam.

Theoph. Maderus N.S.D.

Significavit mihi D. Richius, vir præstantissime summeque colende, legisse te Theses meas de Logicæ definitione publice à me su- De Dialecticæ sive Logicæ definitione.

 pe-

periori menſe hic exhibitas ac earum aliquam explicationem à me petere. Ego non tantum ad hoc qualecunq; officium, ſed ad alia quæcunq; à me proficiſci poſſunt, tibi me devinctum exiſtimo, cum ob nominis celebritatem, tum notitiam illam, quæ, dum clariſſimo præceptore Eraſto uteremur, Heidelbergæ inter nos interceſſit, quam nulla oblivione deleri, ſed literis creſcere & confirmari optarim. Quoniam vero theſes noſtræ ſatis videntur perſpicuæ, ut declaratione noſtra longa & operoſa non indigeant, ſtudebo brevitati & tantum ſumma capita perſtringam.

Dialecticę nomē. In prima theſi utor voce generatim, quoniam *Dialectica* in ſpecie quoq; & fere ſemper ab antiquis uſurpatur pro methodo diſputandi in utramq; partem probabiliter, quam *Topicam* una cum aliis appello, quæ tanquam εἶδος ἀντιδιῃρημένον Apodicticæ parti opponitur. Ut igitur univerſæ diſſerendi rationis, ſive ἀποδεικτικῶς ſive τοπικῶς inſtitueretur, definitionem communem proponerem, Dialecticæ nomen generatim me ſumere monui. Et ideo ſic loqui placuit, quoniam & Ariſtoteles Princeps Logicorum ita interdum, licet rariſſime, loquitur, & hanc generalem acceptionem vocis uſus omnium fere hujus ſeculi Logicorum comprobat. Genus in definitione aſſignavi proximum.

Topica.

Nam Dialectica ad Categoriam qualitatis, &

& quidem ad primum ipsius genus, extra controversiam omnem referendum est. Qvum vero habitus sint varii, Dialectica habitibus intellectus recte ab omnibus adnumeratur. *Habitus* porro animi recte in *Principes* & *Organicos* distribuuntur. *Principes* proprium & per se optabilem finem obtinent, & quinq; numero recensentur ac describuntur ab Aristotele lib. 6. Et hic *Organici* primariis habitibus adquirendis inserviunt: & remoto illo usu, per se nunquam exoptarentur. Jam quod Dialectica instrumentum sit comparandæ scientiæ, quæ Princeps est habit9, nemo est qui ignoret. Itaq; merito organicis habitibus subjicitur. Quis enim exoptavit cognitionem syllogismorum & ejus formarum, si non earum ope veritatem investigare se posse confideret? In eum quadrare arbitror vulgatum illud, *Merum Dialecticum esse merum asinum.* Hæc si vera, uti certissima esse minime dubito, constat de veritate secundæ theseos, quæ negat Dialecticam proprie vel artis vel scientiæ nomine appellandam, cum & ars & scientia sint habitus Principes, & earum definitiones ab Aristotele propositæ Dialecticæ accommodari non queant.

Habitus animi in Principes & Organicos.

De tertia thesi non video ullam controversiam inter doctos.

Quarta thesis aliquid videtur habere dubii & novi propter novas partium nomenclaturas à veteribus non usurpatas. Sed discrimen

Dialectica veritatis indagatrix.

periori mense hic exhibitas ac earum aliquam explicationem à me petere. Ego non tantum ad hoc qualecunq; officium, sed ad alia quæcunq; à me proficisci possunt, tibi me devinctum existimo, cum ob nominis celebritatem, tum notitiam illam, quæ, dum clarissimo præceptore Erasto uteremur, Heidelbergæ inter nos intercessit, quam nulla oblivione deleri, sed literis crescere & confirmari optarim. Quoniam vero theses nostræ satis videntur perspicuæ, ut declaratione nostra longa & operosa non indigeant, studebo brevitati & tantum summa capita perstringam.

Dialecticę nomē. In prima thesi utor voce generatim, quoniam *Dialectica* in specie quoq; & fere semper ab antiquis usurpatur pro methodo disputandi in utramq; partem probabiliter, quam *To-* Topica. *picam* una cum aliis appello, quæ tanquam εἶδος ἀντιδιῃρημένον Apodicticæ parti opponitur. Ut igitur universæ disserendi rationis, sive ἀποδεικτικῶς sive τοπικῶς institueretur, definitionem communem proponerem, Dialecticæ nomen generatim me sumere monui. Et ideo sic loqui placuit, quoniam & Aristoteles Princeps Logicorum ita interdum, licet rarissime, loquitur, & hanc generalem acceptionem vocis usus omnium fere hujus seculi Logicorum comprobat. Genus in definitione assignavi proximum.

Nam Dialectica ad Categoriam qualitatis,

&

& quidem ad primum ipsius genus, extra controversiam omnem referendum est. Qvum vero habitus sint varii, Dialectica habitibus intellectus recte ab omnibus adnumeratur. *Habitus* porro animi recte in *Principes* & *Organicos* distribuuntur. *Principes* proprium & per se optabilem finem obtinent, & quinq; numero recensentur ac describuntur ab Aristotele lib.6. Et hic *Organici* primariis habitibus adquirendis inserviunt: & remoto illo usu, per se nunquam exoptarentur. Jam quod Dialectica instrumentum sit comparandæ scientiæ, quæ Princeps est habit9, nemo est qui ignoret. Itaq; merito organicis habitibus subjicitur. Quis enim exoptavit cognitionem syllogismorum & ejus formarum, si non earum ope veritatem investigare se posse consideret? In eum quadrare arbitror vulgatum illud, *Merum Dialecticum esse merum asinum*. Hæc si vera, uti certissima esse minime dubito, constat de veritate secundæ theseos, quæ negat Dialecticam proprie vel artis vel scientiæ nomine appellandam, cum & ars & scientia sint habitus Principes, & earum definitiones ab Aristotele propositæ Dialecticæ accommodari non queant.

Habitus animi in Principes & Organicos.

De tertia thesi non video ullam controversiam inter doctos.

Quarta thesis aliquid videtur habere dubii & novi propter novas partium nomenclaturas à veteribus non usurpatas. Sed discrimen

Dialectica veritatis indagatrix.

men consistit in vocabulis, nôn in re. Nam Dialecticæ essentia consistit in veritatis indagatione seu discretione veri à falso. Quot igitur modis hæc discretio fit, tot recte partes essentiales constituuntur. Discretio vero hæc duplex, tantum est duplex, altera constans necessariis & propriis, quam Apodictica: altera vero communibus & ἐνδόξοις, quam Topica tradit. Itaque si essentiam Logices consideremus, duæ existunt partes, *Apodictica* & *Topica* sive *Dialectica* speciatim ita accepta. Atq; ita omnes Græci, excepto uno quod sciam, imitati Aristotelem, Dialecticam diviserunt. Quoniam vero hæ partes describi ac tradi nequeant, nisi præmittantur quædam generalia & communia elementa, qualia sunt illa, quorum in thesi 5. fit mentio, illorum descriptionem vocare placuit partem communem seu elementariam: quam Galen. noster & alii peculiari nomine *Logicam* dixerunt, ut docet noster Erastus piæ memoriæ in epistola quadam ad Simonem Grynæum libello de Formandis syllogismis adjuncta. Hæc *Logica*, sive pars communis, non est pars princeps, sed primariis illis duabus inseruit: nec illius foret ullus usus, si Apodictica & Topica hujus ministerio carere posset. Quare, ut maxime planam & perspicuam divisionem meis auditoribus traderem, in propriam & communem, secut9 Averhoëm, distinxi.

Apodicticæ & Topicæ sive Dialecticæ discrimé.


Logica.

Quod

Quod ad septimam thesin attinet, si nomen *judicii* proprie sumatur, omnino inepta & absurda judicabitur divisio in *inventionem & judicium*: cum ita arcto necessitudinis vinculo sint conjuncta hæc duo, ut nunquam divelli possint. Nam sine judicio invenire nemo valet, nisi forte fortuna id fiat, quomodo bestiæ aliquid inveniunt. Et methodus judicandi, an recte aliquid sit inventum, à methodo inveniendi non discrepat, sed iisdem præceptis & *invenire & judicare* docemur. Sin per judicium dispositionem argumentorum inventorum intelligas, hoc est, doctrinam de forma syllogismi, seu parte, quam communem vocamus, sub inventione comprehendere oportebit partem Apodicticam & Topicam, hoc est methodos duas præceptis & usu diversissimas totoq; cœlo differentes inter se confundemus, nisi Apodicticam pene totius artis nobilissimam penitus exterminare, Rami temeritatem secuti, volumus. Præterea partem communem omnis inventionis expertam statuere oportebit, quod falsum esse docet sectio secunda libri primi Priorum Analyticorum. Præterea Topica destituentur sua dispositione, quem errorem refellit liber octavus Topicorum: & Apodictica judicio carebunt. Quæ omnia meo quidem judicio sunt plane παράδοξα & ἄτοπα.

Judiciũ.

Inventio & Judicium.



Πάρεργον à nemine hactenus vidi oppugna-

tum quam à discipulis PhilippiMelanchthonis, qui hasce prædicationes: *Homo est Deus*,& *Deus est homo*,inusitatas vocāt: quoniā unio illa duarum naturarum in Christo sit inusitata,& quia non congruant ad aliquem modum ex 5. prædicabilibus. Atqui nōn sequitur ob rem inusitatam,prædicationem esse inusitatam. Pari enim ratione prædicatio rei miraculosæ, miraculosa:& rei ridiculæ,risu digna evadet &c.Neque alicujus est momenti ratio: non congruere prædicationem ad modum ex 5. prædicabilibus;neq; etiam est figurata ; ergo est inusitata. Nam figuratæ prædicationi opponitur propria, etsi attributio neq; sit generis, nec speciei, nec differentiæ,nec proprii vel accidentis. Exempli gratia hæc attributio: Hic homo est Petrus, non certe generis vel speciei &c.& tamen vera & propria dicitur attributio. Multa alia de hac re dici possent,si tempus suppeteret.Sed hæc impræsentiarum sufficiant.

EPIST. LXXXI. Francofurtum.
Joan.Crato à Craffthiem Friderico Sylburgio S.

Aristot. librorum lectio & distributio.

ARistoteles autor est antiqvus, maximæ autoritatis atq; reverentiæ etiam apud illos, qui illum non intelligentes ei obloqvuntur. Cujus doctrina non solum utilis est,sed & necessaria omnibus disciplinis,quas hodie vulgo homines sibi proponunt, ut honores ac divitias

vitias acquirant(ut Galenꝰ ingenue fassus est.) Duo sunt quæ homines ab ejus lectione & studio avertunt, aut certe non ita ei inhærent, ut deberent. Alterum quod legi non potest in lingua, qua ipse scripsit, à multis: alterum quod ab his, à quibus legitur, non facile intelligatur, cum ille & brevissime & quasi concise doctissimeq; res suas suis locis tractarit. Hinc colligitur hæc propositio: qui Aristotelem ita in lucem emiserit, ut in eo clare prospiciantur, quæcunq; scripsit, vel conjectura eorum, à quibus ipse Aristoteles didicit, assequantur: vel eorum quos ipse docuit: præterea intelligatur, quo loco quidq; docuerit, quoties, ad quod propositum usus sit eodem verbo & phrasi: iste, inquam, ea præstabit, quæ hactenus à nullo præstita sunt, neq; quisquã melius aliquid unquam præstare poterit. Quare vellem Aristotelem tuum in sex dividi partes. 1. Quæ contineret tractatus ordinarios & proprios: Logica. 2. Moralia. 3. Physiologica. 4. Metaphysica. 5. Tractatus communes. 6. Extraordinarios, qui hactenus recepti sunt, sive legitimi sive spurii sint. Quæ partes sex legitimo ordine collocentur. Quare vellem primo præfari principio operis totius erudite & plene, ita ut ratio redderetur solida de unaquaq; harum sex partium natura, scopo, ordine ejus. Quæ singulæ postea suis locis repeterentur particularibus præfationibus, & ibi explicatius tractarentur. In quibus locis da-

Patricii temeritas.

daretur occasio respondendi ultimo scripto Patricii, qui Aristotelem privat possessione multorum librorum, de quibus hactenus schola Græca, Arabica & Latina eum cognoverunt possessorem. Hæc de ordine & distributione.

Quod ad textum attinet, ut omnibus satisfiat, vellem per capita distributum, & capita per textus numeris marginalibus annotatos, juxta Averrois divisionem: quamvis Aristoteles neq; in capita neque in libros sua scripta diviserit: & sub quoque capite annotatiuncula minori charactere moneretur lector de varietate textus sive lectionum, quæ ibi continerentur. De quibus quatuor Græci interpretes, Alexander, Philoponus, Simplicius & Themistius una cum præstantioribus Latinis mentionem fecerunt, reddendo caussas variationis cum moderato & rationabili judicio, quod putaret præferri debere: ita daretur ansa lectori seligendi, quod magis placeret suo palato. Posthæc annotentur errores versoris sive traductoris. Versores autem eos eligerem, qui juxta sanum judicium melius rem intellexissent, & fidelius vertissent, & non uni tantum me addicerem in toto opere, minus tamen in dictione barbaros eligerem, ut delicatis auribus satisfacerem, & minus superstitiosos, ut veritatem amantibus obtemperarem. Quare (ut mihi videtur) neque antiqua versio, neq; Argyropolitana, neq; Boetiana,

na,neq; Perioniana gratiam tuo Ariſtoteli conciliaret magnam.

Ad hæc vellem in margine annotari locos, in quibus Plato ejus magiſter eadem vel dixit vel expoſuit, diligentius quàm Juncta in Galeno fecerit locos Avicennæ. Et hoc maxime notandum in tuo Ariſtotele.

Vellem præterea tres indices confici,ſed non vulgares id eſt inſulſos.In primo à docto & bene intelligente viro tria iſta capita in unaquaq; materia,quam Ariſtoteles tractaſſet, annotarentur: quid, quotuplex,quale: ita ut nihil inveniri poſſet in Ariſtotele, etiam quid minimum ſive ob propoſitum dictum ſive incidenter & per tranſennam, ſive ſolum ſive adjunctum,propria ejus qui conficiet; ſive alterius ſententia, quod in eo indice non inveniretur.

Secundus index contineret omnes ſimiles ſive contradicentes locos in toto Ariſtotele.

Tertius index oſtenderet quibus locis Ariſtoteles uſus eſſet, eodem ſive iiſdem verbis & phraſi præſertim obſcurioribus, ut per collationem eliceretur eorum ſenſus, ut nullus eſſet uſus Lexici Henrici Stephani, qui neq; illius tertii problematis προσκιαπίμπλησιν dignatus eſt mentionem facere.

Si ita Ariſtotelem feceris, fructum ingentem capies tu & quicunque legerint &c. Poterunt ſtudioſi cum hoc Ariſtotele carere in-

ter-

terpretibus. Loca Ariſtotelis & Platonis quantam lucem afferent locis à magnis viris & philoſophis non intellectis? &c.

EPIST. LXXXII.

Ambergam.

Philippus Scherbius Theophilo Madero meo S. Dico.

SCripſi jam & obſignavi, Strackgraffium ad te miſſurus: ecce tibi tuæ literæ: ad eas breviter. Nō enim abundabam tempore. Tu nunc totum te converte Heidelbergam: mitte Mulhuſium. Quantum tamen in memoriam redire poſſum, ſtipendium eſt ibi LXXX. florenorum. Scio eſſe paulo minus profeſſione Baſilienſi. Sed tu ad delicias tuas Heidelbergenſes uxorem tuam deducito: fortaſſis ubi florem ætatis conſumpſiſti, ibi opera juventutis tibi oſtendet: qualia ego excudi Baſileæ, ſcilicet. Quæſtionibus tuis ex parte ſatisfacere cupio, more Alexandri deſcindendo nodum: vel etiam aperte profitendo ignorantiam meam.

Ariſtot. liber περὶ ἑρμηνείας an ſit, & an cum Analyticis continuetur.

Liber περὶ Ἑρμηνείας mihi diu jam dubius fuit, an ſit Ariſtotelis: argumenta quædam Patritii me moverunt: Diſcipuli potius credidi. Et, ſi eſt opus cum Analyticis continuatum, quid opus erat in limine Analyticorum repetere, quæ uſui poſſunt eſſe de *propoſitionibus* Analytico? Eſto, ſit Ariſtotelis, vix tamen cre-

credo ſcriptum ad Analyticorum continuationem. Repeteret Ariſtoteles in veſtibulo Analyticorum, ut ſolet,& continuaret. Quid eſt uſitatius Ariſtoteli quam proponere optime & ἐπιλέγειν? Intuere omnes ejus libros, animadvertes hujus viri conſvetudinem. Sive igitur ſit Ariſtotelis, ſive Diſcipuli ejus, eſt ſcriptus, ut opus ſeparatum & proprium, in quo,quæ de *enunciatis* dici poſſent, explicavit.

Idem hoc dico, & nuper diſputavi,de Topicis:hoc opus eſſe ſeparatum. Cum Ariſtoteles Analytica priora & poſteriora ſcripſit,non cogitavit de Topicis. Intuere propoſitionem in limine Analyticorum,& epilogum in poſterioribus: intuere principium Topicorum, nullum habes argumentum. Neq; quicquam valet epilogus Sophiſticorum, qui ad Topicos pertinent,de συλλογίζεσθαι. æq; enim ad Topica hoc verbum pertinet: cum Dialectica ſit μέθοδος τῶν λόγων; ſive δύναμις τοῦ πορίσαι λόγους. Quin dico, Dialecticum ſive Topicum poſſe in ſuo genere eſſe perfectum, qui nunquam viderit priora Analytica. In hoc Giphanius à me eſt (de authore περὶ ἑρμηνείας, quin ſit Ariſtotelis, repugnat.)Topico ſatis eſt communis ratio ſyllogiſandi omnibus inſita: neq; στοιχεῖα Topica unquam ad redarguenda illa aut confirmanda adhibentur; quæ in Prioribus docentur. Summa: Quatuor Analytici ſunt opus ſeparatum: & Decem Topici, com-

Topica an cũ Analyticis continuentur.

Sophiſticorũ Elēchorũ libri ad Topica pertinēt.

συλλογίζεσθαι dicitur etiã Dialectici.

Dialectica quid.

comprehẽsis Sophisticis. Quod Priora, usui esse possunt Topico, non est contra institutum Analytici, sed tamen præter, ut si ego pileo meo domum referam ova. Si in Prioribus Analyticis conscribendis alterum oculum convertisset ad Topica, cur explicasset ibi illud ἐν τῷ παρὰ μικρὸν: item τὸ μὴ παρὰ τοῦτο? ὃ πολλάκις, inquit, ἐν τοῖς λόγοις εἰώθαμεν λέγειν. Quod puto dici ἐν τοῖς λόγοις, id est ἐν τῷ διαλέγεσθαι. Ergo non cogitans se aliquando Methodon τῶν λόγων scripturum, attigit in universali consideratione syllogismi ista. Ergo &c.

Aristotelis locus in Analyticis.

De distributione in *communem* & *proprium*, sæpe audivi, quod objicis: quia utuntur eadem distributione in Physicis: saltem commoditatis cujusdam causa, quia lumen infert in πραγματείᾳ συλλογιστικῇ: alioquin nihil recte dividitur in generale & speciale. Memini mihi Basileæ dictum fuisse, idem hoc Jugnitium Neostadii Crellio in Disputatione publica objecisse.

Syllogismus cõmunis & proprius

Repeto quædam superiora, quia fortassis non poteris legere. Priora Analytica fortassis prodesse possunt Topico. Sed est idem ac si dicerem, artificem pilei mei, fecisse pileum ad ova aut cerasa domum reportanda. Hoc non est præter consilium artificis, sed tamen contra id est, id est, hoc accidentale est: quemadmodum in natura, cum duritie rami, quæ facta est à natura ad fructus sustentandos, nos uti-

utimur ad tectum & tegulas sustentandos. Hoc,inquam, accidit: & excluditur ab Aristotele in definitione Naturæ per illud, *& non secundum accidens*. Ita se habent priora ad Topicum. Alioqui semper erit ἔνστασις de methodo.

Sed quæ objicis de Modalium oppositione, fateor me neq; consideraffe, neq; nunc posse considerare: vel apertius,fateor me nescire: & tamen tam magnum stipendium non pudet me accipere.Ignosce,Amici mores hi sunt. Vale iterum iterumq;, & tuam uxorem salute asperge.XIV. Aprilis,Altorfio.

EPIST. LXXXIII. Genevam.

Hieronymus Groslotius Lyslæus Jacobo Lectio, Amico supra omnes amicos S.P.Dico.

PORro interim in hoc secessu usurpo rusticanum hoc otium, in quo tamen ut scias & libros interdum me tangere, vide sis, Doctissime Lecti, hos Plauti locos Bacchidibus, quos videor misi,ardeo scire an & tibi, restituisse nuper certo judicio. Plautus emendatur.

SC. IV. *Mirum est me.*

CHR. *Non hero,sed actor mihi cor odio sauciat.*

Etiam Epidicum, quam ego fabulam æq; ac
meipsum amo
Nullam æq; invitus specto, si eam agit Pellio.

Z Quis

Pellio. Quis fuerit hic *Pellio*, credo, primus inveni. Nemo enim quod ſciam, ante me id animadvertit aut certe ſi animadvertit, uſq; dum ſcriptis non prodidit ſuis, quod viderim. Hic *Pellio*

Pollio. ſcribitur antiquè pro *Pollio*, quo modo & illi veteres ſcribebant *Apellinem*, quem nos ſcribimus Apollinem. Deſignat autem P. Pollionem comœdum minorum partium, & in arte ſua parum nobilem, qui fuit hac ipſa, qua Plautus, tempeſtate, utpote quem ex hoc loco veriſimile ſit egiſſe aliquas Poetæ noſtri fabulas, verbi gratia Epidicum. De hoc ipſo P. Pol-

Symmachꝰ emẽdatur. lione illuſtris locus eſt apud Symmach. lib. 10. ep. 2. abſq; quo fuiſſet, me hercule, per me quidem, ut ignoraretur adhuc, quem hic intellexerit M. Attius Pollionem: *Magnis in negotiis* (inquit) *itidem ut magnis comœdiis edecumati apponuntur actores. Non idem honos in pronunciandis fabulis P. Pollioni, qui Ambivio fuit*: (ſic enim vere emendat Juretus) *neq; par Æſopo Etruſco fama proceſſit*. Qũa poſtrema Symmachi verba ſic reponenda ſunt: *Neq; par Æſopo & Roſcio fama proceſſit*.

Æſopus. Roſcius. De hoc Æſopo & Roſcio lege M. Tullium pro Roſcio comœdo, qui dabit plurimam lucem huic Symmachi loco. Et Symmachus, Dii boni! quam apte, quam appoſite ad Plautum. Ei profecto debet Plautus illuſtrationem hujus loci, quã fruſtra, niſi fallor, anquiras aliũde?

SC. ſeq. *Ibo in Piræeum*;

Sed divesne est istic Theotimus? CH. *etiam rogas?*
Qui soccis habeat auro suppectum solum.
NL. *Cur ita fastidit? &c.*

Quid sibi velit secundus versus, ut nunc legitur, certo scio, nesciret ipse Plautus, si revivisceret. Quid enim est hoc, *soccis habere*? Aut ubi ficta, ubi picta, ubi scripta hæc alibi reperietur locutio? Lubet hic exclamare, portenta verborum! &, quid est intactum audaciæ barbarorum hominum? cujus certe vel in hoc loco maxima apparent vestigia, quæ quod in me erat, delere conabar, & certe, nisi fallor judicii, scripsit Plautus:

Qui flocci habeat auro suppectum solum,
probissimo loquendi genere, *flocci habere*, pro nihili facere, contemnere. Quod & ibi extulit alibi, *flocco habere*, si bene memini. Hic locus est elegantiæ non vulgaris, & sane quantæ quantæ est, dedit mihi. Flocci vel flocco habere.

SC. VIII. *Nunc experiar:*
Nego tibi hoc annis viginti fuisse primis copiæ,
Digitũ longe à pædagogo pedem ut efferres ædib.
Ante solem exorientẽ nisi in palæstram veneras,
Gymnasii præfecto haud mediocris pœnas penderes,
Id quod obtigerat, hoc etiam ad malum accersebatur malum,
Et discipulus & magister perhibeantur improbi.
Ibi cursu, luctando, hasta, disco, pugillatu, pila,
Saliendo sese exercebant magis quam scorto aut suaviis.

Disciplina vetus adolescétum.

Præclarus locus de disciplina antiqua, sed qui laborat transpositione, quod mirum nemini hactenus ne oboluisse quidem. At nos id nunc primum odorati sumus; & hoc ordine reponendos hos versus censuimus:

Nego tibi hoc a u f p copia,
Digitum longe a p p eff. ædibus.
Id quoi obtigerat, h eti. ad m a malum,
Et discipulus & m p improbi.
Ante solem ex n in p veneras,
Gymnasii p h med. p penderes.
Ibi cursu, l h d i p pila,
Saliendo se m q saut suaviis.

Quam melius jam hæc cohæreant, quam prius, quis non videt? Ait enim: Cui discipulo obtigerat primus XX. annis ut posset digitum longe à pædagogo pedem se efferre ædibus, hoc ad malum accersebatur malum, & discipulus & magister perhibebantur improbi. Deinde addit, primus illis viginti annis oportuisse eum adfuisse Gymnasio ante exortum solis. Quod ni fecisset, severe castigabatur ab gymnasiarcha. Postea enumerat cottidiana juvenum in gymnasio exercitia; quis intentis olim non licebat ætatem impendere iis voluptatibus, quæ tunc temporis erant juventuti & corruptelæ & plerunq; exitio. In hac ipsa fabula infra est & alter locus eodem mendo similiter inquinatꝰ, quem tunc suatum prioris loci causa restituam, si potest, principi nitori & ordini.

SC.

§C. XXI. *Quam magis :*

PHIL. *Quam magis in pectore meo foveo, quas meus filius turbas turbet,*
Quam se ad vitam, & quos ad amores præcipitem inscitus capessat,
Magis cura est, magisq; afformido, ne is pereat, neu corrumpatur.
Scio, ego fui illa ætate, & feci illa omnia, sed more modesto.
Neq; placitant mores, quibus video vulgo gnatis esse parentes.
Duxi, habui scortum, potavi, dedi, donavi: Etenim id raro.
Ego dare me ludum meo gnato institui, ut animo obsequium
Sumere possit &c.

Tu ne dubita hos versus misere turbatos ita recte & ordine digerere :

Quam magis in p m f quas m f t turbet,
Quam se a vi & q ad m p insc. cap.
Magis c e m q; af. n. is p n corrumpatur
Scio ego f il a & f i o s m modesto;
Duxi, h s p d d. Etenim id raro.
Neq; placitant mores q u u g es. parentes.
Ego dare me l m n i ut a obsequium
Sumere possit. &c.

Quam aptius conseqvuntur hæc invicem? Rationem transmutationis ut exponam, non reor necesse, cum sit per se satis clara. Sed priusquam amittamus hunc locum, tollenda

est macula ex antepenultimo versu, in quo illa: *potavi, dedi, donavi*. Sunt nulli frugi bonæ, nec solet Plautus conjungere frigide duo verba significantia idem. Sed facilis lapsus, ultima enim litera prioris vocis adhæsit sequenti. Legendum est, *potavid, edi, donavi*. Nihil verius.

D. in fine additum.

Supra SC. IX. *Amiciorem*:

MNE. *Amiciorem nunc utrum credam magis, Sodalem ne esse an Bacchidem, incertum admodum est.*

Æternum illud Germaniæ decus, Joachim. Camerarius testatur fuisse scriptum in veteri suo libro, *Immitiorem*. Ego scio, verum esse, *Inimiciorem*, quod certe immane quantum est convenientius huic loco, quàm illud quod nunc legitur. Tu judicabis, doctissime & humanissime Lecti. Hæc pauca è plurimis, quæ habeo in hanc comœdiam, meras affanias, scripsi ad te, ut super iis singulis, tamen etsi non mereantur, elicerem particulatim judicium tuum, quod est, erit mihi, dum ero ipse, instar sexcentorum: nec non ut invitarem simul ad faciendum me participem Musarum tuarum, quas sat scio fore præ meis nugis χρύσεα ἀντὶ χαλκείων. Vale, & me ama. Habes qui faciat mutuum. Ex Insulano nostro, Fontinalibus, A. D. III. Eid. Octobres, CIↃ. IↃ. LXXXIII.

Inimic.



EPIST.

EPIST. LXXXIV.

Genevam.

Hieron. Groslotius Lislæus Jacobo Lectio JC. doctissimo & amicissimo S.P.Dico.

NUnc vero demum Deo gratia incipio tangere libros, verum timide, & quasi in transitu, in quo tamen non me fugerunt istæ maculæ in Seneca patre, quas an absterserim, tu judicabis: certe conatus sum.

Seneca Pater in Præfatione lib. III. Declam. Seneca Pater emẽdatur.

Quamdiu extra jocose continebat, censoria oratio erat.

Scribo, *extra jocos se continebat.*

Agedum istos declamatores produc à senatu in forum, cum loco mutabuntur velut in assveta classe & assveta umbra corpora sub dio stare non possunt. Senatus vox aliena ab hoc loco. Declamasse enim in senatu Rhetoras, nugæ meræ. Censeo scripsisse Senecam, *produc à scena in forum.* Probare videntur illa sequentia, *in assveta classe & assveta umbra.* Rhetorum scholas *scenas* vocavit Tacitus Dial. de Orat. *At nunc adolescentuli nostri deducuntur in scenas scholasticorum, qui Rhetores vocantur.* Quem Taciti locum frustra est Lipsius cum tentat. Illustrandis vero Senecæ verbis facit Petronius Arbiter in ipso aditu Satyrici fragmenti, quem inspice, nisi metuis censoriam notam. Scena Rhetorũ. Taciti locus.

 Eam-

Svetonius emendatur. Eamdem maculam eluo ex Svetonii codice cap. 12. in Nerone: *Deinde in Orchestram senatumq; descendit, & orationis quidem carminisq; Latini coronavi* &c. scrib. *scenamq; desc.* Vide Taciti lib. 16. Ann. non longe à principio. Porro *scenæ* vocabulum ut repono in Seneca & Svetonio, ita quoq; videor vere tollere & Plauti Pseudolo, SC. Malus & nequam: *Bene ad hoc prædatus ibo bona scena est mihi.* legendum, *bona scæva est mihi.* Item in prologi versu primo; &Plautus Bona scæva.

Studete hodie mihi, bona in scenam affero, emendat amicus noster Janus Gulielmius juvenis antiqua doctrina & fide, *bonam scævam affero. Bona scæva,* est bonum augurium. Lege Festum. Sed redeo ad Senecam ibidem:

Memini me intrare scholas cum recitaturus esset in Milonem Castius, ex consvetudine sua miratus dicebat: si Thrax essem, Fusius essem &c. Forte *mira tum dicebat.*

Svasoria prima:

Satis sit hactenus vicisse Alexandro, qua mundo lugere satis est. Emendo, *qua mundo lucere satis est.* Infra, *Vicimus qua lucet.* Legend. *qua lucet,* ex fide schedarum Hispanicarum. Sic appello, quod allatæ ex Hispania. Qua lucet.

Immensum & humanæ intentatum experientiæ pelagus, totius orbis vinculum terrarumq; custodiam inagitata remissio, vastitas, litora modo sævien-

viente fluctu inquietas, modo fugiente deserta, terra caligo remittet fluctus. Nescio quid humanis natura subduxit oculis, & terram nox obruit.

Affectus locus & de cujus restitutione mire ambigo. Age tamen, apponam heic somnium meum, si forte conjectores invenire possit. Dubito an leg. *Custodia inagitata remigio, vastitas, litora in s. fl. inq. in f. deserta tetra caligo immites fluctus.* Ut sit epexegetica & ad terrorem ficta descriptio maris. an sic; *tetra caligo remittet fluctus?* quod erit, tetra caligo fluctus, & quæ supra enumeravit alia, si obstinatus mare conscendas cum exercitu, invitum te & indignantem remittent, ô Alexander & cogent repetere, quam reliqueris continentem. Hæreo quoque, an illa, *& terram nox obruit*, vel, *& tetrum nox obruit.* Sed ut verum fatear, plane cæcutio in toto hoc loco nisi tu attollis mihi aliquam facem.

Pergo.

Sed Atheniensium sponsalia mille talentis æstimata sunt, quæ cum exigerentur, complures contumeliosi libelli tradebantur, sicut illa qui subscriptus statuæ ejus fuit, cum & eodem tempore Octaviam uxorem haberet & Cleopatram: Hoc tu evita —— res tuas tibi habe. Hic hiatus & corruptela. Corruptelam divinans vere sustuleram pridem suam hoc mihi observatum ante hos morbi grandes nimbos. Ita; *Octavia res tuas tibi habe.* Dixi, vere; quod viderim nuper cum gaudio

Divortii formula res tuas tibi habe

probari ſuſpicionem meam illis optimæ notæ membranis Hiſpanicis, in quibus integer locus legitur ſic, Οκταυΐ καὶ Αθηνᾶ Αντωνίῳ: *Res tuas tibi habe.* Nota divortii formula apud Romanos. Hæ membranæ non membranæ, ſed mehercule purus putus theſaurus boni, quis & hic locus & inſigniores alii multi in Senecæ patris libris debent vitam. Earum deſiderium non tam accenderem tibi, niſi ſi vivo & ſalveo, brevi cogitem reſtinguere, hac tamen conditione, ut cum mihi caras tamq; raras opes lubens tibi impertivero, nulli impertivero nemo enim homo eſt, mi Lecti, cui non invideam eas, præterquam uni tibi, cui volo patere omnia mea etiam maxime recondita. Repeto Senecam.

III. Svaſoria.

Sive ita natura diſpoſuit, ſive, ut ferunt, luna curſu gerit. Lego, *regit*, contra corrigas in Tacito, Hiſt. I. *Sed tum humido die & ſoluto gelu, neq; conti, neq; gladii, quos prælongos utraq; manu regunt, uſui &c.* ſcrib. haud dubie, *gerunt.*

Sed jam nimis nugarum, de quibus tamen, ſi me amas, dignaberis cenſuram reſcribere in tabella. Tuas doctiſſimas ad Cornelium & Maronem notas miror, probo, amplector: ut & illam vere eruditam & plane ex hiſtoria Domini Bezæ conjecturam in Taciti loco, etſi aliter jampridem emendavit Joſias Mercerus amicus noſter, à quo profecto mihi vix licet diſ-

ſen-

ſentire. De illis itaq; habeo immortales gratias, quas nolo putes me referre his noſtris, quas ſcio præ tuarum puriſſimo auro vix eſſe plumbi fæces, ſi me ſæpius his talibus locupletaveris bonis, quod à te ſummis votis peto, mi Lecti, per ingenuitatem amoris noſtri, quo nihil habemus ſanctius, beatus ſim. Sed deſino plura. Etenim ego jam ſum feſſus ſcribendo, & tu nunc quoq;, opinor, legendo. Propere ſcripſi A. D. III. Kal. Aug. Inſulani noſtri. cIↃ.IↃ. LXXXVI. Vale dulciſſime Lecti.

EPIST. LXXXV. Genevam.
Hieron. Groslotius Lyslaeus Jacobo Lectio JC. S. D.

HAs literas do honori amici diſcedentis, non merito tuo; meruiſti enim ſilentio tuo ſilentiũ meum, quod hercle fuiſſes expertus, ni has mihi extorſiſſent preces communis amici noſtri D. Forcadii, quos piaculũ negare quicquam. Experire autem deinceps, ni brevi culpam emendaveris crebris ſcriptis tuis. Satius enim duco, omnino non ſcribere, quã perpetuis querelis implere paginas, quas expreſſit mihi hactenus qui eſt juſtus dolor meus. Angerona, puto, tibi mater fuit; Harpocrates pater. Ita jam obmutuiſti lõgũ, nec reſpõdiſti quicquã tot literis meis, quas tibi fuiſſe aut injucũdas aut neglectas ſuſpicari quis poſſet, non ego vero, qui mi Lecti, novi probe animũ tuũ in me, à quo has

has ſuſpiciones nimium quantum alienæ Mercerus hinc abiit Biturigas. Indolui diſceſſu tam cari capitis, tamen ſolatio fuit, quod ſciam valde eſſe è re ſua; deinde quod ſperem ſubſeqvuturum me cis paucos menſes, ſi tempora ſirint, quæ nobis minantur certam perniciem, niſi nos ab alto ——*reſpexerit ille Deus.* Expectamus hic brevi duos illos Semones Galliæ, Cujacium & Scaligerum. Adferet ille ſecum Inſtitutiones Imperatorias ex correctione ſua, quas dabit Typographo excudendas. Nunc eſt hic ſub prælo divinum opus divini prorſus Poetæ, Salluſtii Barthaſii, diſtinctum in octo libros, hoc titulo; *De Infantia mundi.* Magna expectatio ejus operis. Et profecto, ſi quid judico ex paucis verſibus, quos obiter legi, reſpondebit expectationi. Sed hoc relinquo judicio tuo quando veneris in rem præſentem.

Salluſtii Barthaſii op9 Poeticum.

Id, amabo te, potius eſt, nunc adhibeas mea cauſa huic loco diſſertiſſimi Apulei mei in Apologia, ubi diluit crimen magiæ.

Apulejus emendatur.

Partim autem qui providentiam mundi curioſius veſtigant, & impenſius Deos celebrant, eos vero vulgo magos nominent, quaſi facere etiam ſciant, quæ ſciant fieri, ut olim fuere Epimenides & Orpheus & Pythagoras, & Oſtanes, ac dein ſimiliter ſuſpecta eſt Eocli Cathorino, Socrati Dæmonion, Platonis τὸ ἀγαθὸν *Gratulor igitur mihi cum & ego tot & tantis viris adnumeror.*

Vi-

Vides, opinor, fœde depravata esse ista; *suspecta est Eocli Cathorino, Socrati Dæmonion, Platonis* &c. Nam de Eocle Cathorino, mera somnia. Tam magis cogito, tam magis probo legendum esse; *suspecta Empedoclis καθορμεία, Socratis δαιμόνιον, Platonis τὸ ἀγαθὸν*, & firmat conjecturam meam vetus excusus, in quo diserte legitur *cathormea*. Porro hic καθορμεία est Empedoclis ille impetus in profundendis versibus de re qualibet, maxime de rebus physicis, qui ubique tantopere celebretur ab auctoribus, Plutarcho imprimis & Laertio, eum vero ait hic Apulejus tam fuisse vulgo admirationi, ut Empedoclem adduxerit in magiæ suspicionem, perinde ac Socratem Dæmonium & Platonem τὸ ἀγαθὸν suum. Longe gratissimum mihi feceris, si certioraris me, quid pares in vulgus, nec enim credibile est, te esse otiosum. Et profecto dandum est aliquid famæ. Ego, si quid edidero, ut edam si forte Musis volentibus, volo apparere maximam partem sub nomine & omine tuo. Est enim mihi valde volenti testari publice & posteritati sanctam illam amicitiam nostram. Sed plura de his alias. Longioris epistolæ vicem præstabit tibi D. Forcadius, Legatus Regius. Salutem D. Gothofredo & D. Hortibono, quos ni scripsero brevi, nimium peccem in Genium meum. Vale, mi Lecti, & Salve, & ut salveam face literis tuis, sine quibus me dius fidius non magis

Empedoclis καθορμεία. Socratis δαιμόνιον Platonis ἀγαθόν.

gis possum vivere, quam ille juvenis apud Petronium ambulare sine nervis, scripsi quidquid mihi venit in buccam, tu modo mutuum facito, si me amas. Iterum vale, svavissime Lecti. Data Lutetiæ Parisiorum, prid. Eid. Mar. cIↄ. Iↄ. LXXXVI.

EPIST. LXXXVI. Genevam.

Hieronymus Groslotius Lyslæus Jacobo Lectio JC. S.

ANtiqua studia non desino tractare per vices: & nunc plurimus sum in historiis, maxime in Taciti & Sallustii, quos ego soleo indigetare Historicorum principes. In iis plurima legendo notavi, de quibus ad quem libentius provocem quam ad te, qui unus vere possides eorum auctorum Genios. Quare, amabo te, has paucas ad Sallustium notas dispice eo acumine judicii, quo scio te valere plurimum.

Sallustius emendatur.

Verum enimvero is demum mihi vivere atq; frui anima videtur, qui aliquo negotio intentus præclari facinoris aut artis bonæ famam quærit. Non fert Latinitas hanc locutionem, *aliquo negotio intentus*, *aliquo* enim est sexti casus, qui haudquaquam potest regi ab *intentus*. Propius vero est, scripsisse Sallustium, *aliquoi negotio intentus*, id est alicui, ut infra, *Servilib. officiis intentum*; & passim alibi. Sic & Apulejus (de quo auctore, si Musæ faverint, aliquando videor dicturus

Apulejus emendatur.

meri-

merito, noster) lib. IV. Milesiarum. *Huic me operi attonitum clara lux oppressit.* Vere corrigo, *attentum.*

Infra:

Nam quicunq; impudicus, adulter, ganeo, alea, manu, ventre, pene bona patria laceraverat.

Vox, *alea,* in omnibus codicibus corrupte legitur & nullo sensu, non habet enim, quo referatur. Quod cum videret nuperus Sallustianus Criticus, nugivendus homo, quod sanare non poterat, amputavit, more nimium basilico. Ego vero unius literulæ mutatione minima restituo elegantem & antiquam vocem, quæ vix nota vel doctissimis ipsis; *Namque q. i. a. q. aleo, manu* &c. *Aleo* is est qui alea ludit, aleator. Glossæ veteres; κοττάςης, *Aleator, aleo.* item; κυβδὐτης, *aleator.* κυβεύω, *aleo, aleam ludo.* Ejus vocis haberemus plura exempla, extarent modo Catonis Origines, ex quîs hæc solens deprompsit Sallustius. Cæterum non potest aliter constare hic locus. Aleones enim manu, ganeones ventre, adulteri & impudici pene sua vel aliena bona laceraverant. Aleo. Aleator. Aleare.

Infra in oratione Catilinæ ad populares sceleris:

Neque per ignaviam aut vana ingenia, incerta pro certis captarem. Lego, una litera detrita, *ut varia ing.* vel duabus ultimis

mis repetitis, *aut ut vana ing*. quod poſterius potius eſt ut probem.

Adhoc maledictis increpabat omnis bonos: ſuorum unumquemque nominans laudare, admonere alium egeſtatis, alium cupiditatis ſuæ &c. Malim legi, *increpare*. Sic infra: *Interea plebes, conjuratione patefacta, quæ primo cupida rerum novarum nimis bello favebat, mutata mente Catilinæ conſilia execrari, Ciceronem ad cœlum tollere: veluti ex ſervitute erepta, gaudium atq; lætitiam agitabat*. Lego, *agitare*.

Aliter ſine populi juſſu nulli earum rerum Conſuli jus eſt. Puto legendum, *nullæ*, ſecundo caſu, ſextu muliebri, ut ſit; *nullæ earum rerum*. Plautus Milite; *ſtudioſus nullæ aliæ rei eſt*. Suſpicionem animi mei confirmat u.c. in quo ſcriptum, *nullius*, quod erat gloſſema illius, *nullæ*.

Hæc tu pro ſingulari eruditione tua judicabis Lecti, quæ ſi probari tibi intellexero, putavero me feciſſe pretium operæ. Quod ſupereſt, ago tibi immortales gratias de variis illis lectionibus ad Corn. Taciti librum de Germanorum moribus, in quos tamen quædam reperi, quæ item in vulgatis: &, puto, ille codex, unde excerpſiſti eas, erat recentioris notæ ..... Scripſi valde feſtinus. Lutetiæ Pariſiorum XI. Kalend. Januar. quæ Kalendæ, anni auſpices, impertiendis ſtrenis dicatæ antiquitus tibi debent aurem vellere, ne te opprimant imparatum: mihi vero cautio erit,

erit, ne violem antiquum & tam boni ominis ritum. CIↃ IↃ LXXXIII.

EPIST. LXXXVII.
Genevam.

Hieronym. Groslotius Lislaeus Iac. Lectio IC. S.

IN hoc Taciti loco iuva me, sodes, iudicio tuo. Lib. Annal. XIII. in illâ graphicâ descriptione Poppææ. quæ certat cum Semproniæ apud Sallustium, ubi de Othone loquitur: *Sæpe auditus est consurgere Cæsaris, scire ad illam, sibi concessam dictitans nobilitatem, pulchritudinem vota omnium & gaudia felicium.* Tolerabilis lectio, & quàm non sim ita audax, ut mutem, movent me tamen aliquantum libri, in quibus omnibus est, *ubi*, quod Iustus Lipsius mutavit in, *sibi*, ut testatur ipse in Notis. Movet me vero supra omnes Budensis, in quo legitur *ubi concessam dictitaret nobilitatẽ,* corrupte; ita tamen ut etiamnum appareant, si recte iudico, clara vestigia antiquæ scripturæ, quam censeo hanc esse, *ubi congestam ductaret nobilitatem* &c. apte ad convivia, è quibus consurgens hæc Otho effutiebat. *Ducendi* enim & *Ductandi* verba usurpata proprie in conviviis; ad quæ hîc Otho alludit non sine multo lepore. *Ducere* autem significat continuo haustu producere & siccare poculum uno spiritu; quod & veteres vocabant *Obducere.* Plautus Cu-

Tacitus emendatur.

Ducere, Ductare, de poculis.

Obducere.

Curcul. —— *Ipsum expeto Tangere, invergere in me liquores tuos sino ductim*, ubi notat Priscianus aviditatem bibendi. Ductim, ἀπνευστί. *Ducendi* autem frequentativum est *Ductare:* quod & præterea alia significatione; quod nec tu nescis, solet dici de scorto, quo non dubito quin oblique respexerit auctor noster. Clarior est emendatio, quàm ut egeat longiori explanatione, tantum addam, scriptum fuisse in archetypo, *concessam* pro congestam, more scribendi veterum, qui fere semper scribebant C. pro G. ut tibi alias probabo pluribus: quæ scribendi ratio ignorata imperitis liberariis fecit, ut corrumperetur ea vox in *concessam*. Illud porro *Ductandi* verbum tollendum est ex Sallustii Catilinario, ut glossema: *Atq; eo dictiare fecisse, quo inter se magis fidi forent, alius alii tanti facinoris conscii.* Non alibi magis variant libri scripti. Quidam legunt, *dictitare*; quidam etiam *dictante:* item alii *dictam rem*, vel *dictas res*. Quarum omnium lectionum nullam video, quæ saltem ferri possit: nisi si sit *dictam rem*, quæ det meram glossam. Ita enim suspicor, primo hunc locum interpolasse barbaros homines, inde fluxisse tantam librorum depravationem tamq; diversam. Ego lego, sublato omni glossemate *atq; eo fecisse.* Illud enim non possum concoquere, quod scribit vir doctus ad hunc locum, *Dictare fecisse* dixisse Sallustium pro dictabant fecisse. Nec enim umquam

Ducere & Ductare de scribis.

Sallustius emendatur.

quam

quam Sallustius, nec quisquam alius bonus scriptor solet ita loqui, ut unum infinitivum ponat συνεκδοχικῶς pro indicativi imperfecto, deinde alterum proxime quod ab illo regatur.

Volebam plura: sed avocor. Hoc unum scribam præterea, deinceps mutiorem pisce me fore, ni facias mutuum proximis literis tuis. Nolo enim te in posterum obtundere meis nugis, ni tuarum Musarum particeps fiam deniq;. Vale & salve perpetuum mihi amicissime Semo. scripsi propere Lutetiæ Parisiorum A.D.XIV. Kal. Ian. cIↃ.IↃ.LXXXIV.

EPIST. LXXXIIX. Genevam.

Hieron. Groslatius Lislæus amplissimo & amicissimo Iuveni Iac. Lectio I C.
S. P. D.

Duabus novissimis epistolis ad te meis obsecrabam te nomine Dn. Cuiacii Doctoris nostri, ut illi istinc quàm posses commodo tuo citissime curares librum, qvi prodiit nundinis Francofurtensibus, cuius hæc index: *Speculum Romanorum Pontificum, in quo Decreta cum verbo Dei pugnantia, vita cursus, prodigia horrenda, accurata brevitate depinguntur, per Stephanum Szegedinum Pannonium, 8.* Hisce literis tertio te rogo, quanti quanti emeris, id tibi bona fide restitutum iri, respondet idem noster. Gratum illi, multo

gratissimum feceris mihi, quo velut interprete visum est illi hoc in negotio uti apud te. Memineris omnem, saltim maximam gratiam fore ex celeritate. Esset enim illi iam nunc is liber maxime usui ad interpretationem Iuris Pontificii, quam suscepit nuper. Initium illi tanti operis & laboris est IV. Liber Decretalium in quo lib. tit. est *De sponsalibus & matrimoniis*, quem prope jam absoluit: apta & apposita materia illis superioribus proximis Bacchanalibus, quis litandum fuit nuptis verbis. Bis in hebdomade prælegit ex jure Pontificio, nimirum duabus ultimis Septimanæ diebus, quas sacras Veneri & Saturno voluit superstitiosa antiquitas. Aliis autem Ius Romanum sive Civile quod appellant, profitetur: ex quo adorsus est nudius tertius explicationem tit. *De act. emti & venditi.* Hæc de latere nolui. Porro Corn. Taciti editionem ultimam in Iusto Lipsio censeo vidisti: non ego hercle, qui torqueor diutina nimis expectatione videndi ejus. Mandavi enim literis ter quater Parisiensi Typographo, ut exemplar ad me mitteret: &, nisi adhuc fallor, tandem expecto per proximum rhedarium: eo avidius, quod narravit mihi amicus, fieri tui honestissimam mentionem, quam rem fore & mihi voluptati, & tibi honori, gratulor. Cum accepero, tum si quæ mihi in tantum auctorem post Censorem reliqua, selegam & scribam tibi omnia, cujus u-

nius

nius iudicium æstimo mihi unice opus esse ad quæcunque meditor in his literis. In præsentiarum vero ne te velle videar inani spe lactare, duxi attexendas has pauculas notas, quasi prægustamenta ceterarum & veluti arram: de quibus in tempore non fallam fidem, modo tanti facias preces meas, ut reddas vicem, hoc est quæ habes in eundem hunc scriptorem, amice & benigne mecum communices.

In Iulii Agricolæ vita in oratione Galgaci ad Britannorum exercitum: *Nos integri & indomiti & libertatem non in præsentia laturi, primo statim congressu unde ostendamus, quos sibi Caledonia viros posuerit.* Insigniter depravatus locus: sæpius molesta mora legenti mihi, de eo tandem studiose & cum cura vagatus per singulos scripturæ apices sic statui leg. *Et libertatem non jam P.R. servitia laturi, primo statim cōgressu demū ostendamus quos* &c. Maxima mendi indoles ex ignoratione notarum, *P. R. servitia*, id est populi Romani servitia; quæ imperiti librarii corruperunt in *præsentia*. At aperta & clara emendatio mea, in qua si erro, lubet testari mihi suavem errorem meum. *Unde*, mutavi in *demum*, inversis tantum literis aptissime. Nam alloquitur hic bellicus concionator Caledonios, qui populi remotissimi & penitissimi Britanniæ, ideoque, ut ait, adhuc integri & bello intacti, nunc primum vero tentati, cum reliqui citeriores Britanni omnes

Corn. Tacitus emendatus.

Caledonii.

iam domiti, subacti, & sub iugum agerent Romanorum.

Ibidem infra:

Obsequiumque ac modestiam, si industria ac vigor adfuit, eo laudis excedere, quo pleriq; per abrupta, sed in nullum rei post usum, ambitiosa morte inclaruerunt. Lipsius, *accedere*, rescribit. Ego libentius reddo Tacito antiquam & probissimam vocem, *escendere*, qua usus etiam alibi, & ut magis audacter adfirmem, ita legi debere, facit, quod sequitur, *per abrupta*. Restituo eamdem vocem, simulq; aculeum Satyricum Iuvenali Sat. 6.

Escendere.

Iuvenalis emendatur.

—— Minus ergo nocens erit Agrippinæ
Boletus: siquidem unius præcordia pressit
Ille senis tremulumq; caput descendere iussit
In cœlum, & longam manantia labra salivam.

Omnes libri tam scripti quàm excusi non aliter habent quàm *descendere*. Contra quos tamẽ audeo omni adseveratione contendere legẽdum esse *—— Tremulumq; caput escendere iussit. In cœlum.* Nam illud *descendere* in cœlũ, præter quã quod vix commodum, imo nullum sensum habet, non æque morsui Satyrico aptum, atq; hoc nostrum. Et hic vere nugantur omnes Interpretes, & quæ afferunt frigidiora nive Gallica, ut aiunt. Nam affectasse iocum ex impossibili, quod sit impossibile descendi in cœlũ; si Diis placet, explicant pro sepulchro, quod κοιλὸν logi alogi, & delirantiũ delirametã. Doceant

ant me, descendi in cœlum; non vero, escendi, tum, quod volent. Dicam, quod res est, respicit ad ἀποθέωσιν Claudii, quam irridet & insectatur nō absq; minore felle, quā Seneca noster. Ansa corrumpendi loci fuit, primum insolentia vocis, deinde cæsura ignorata librario, qui putabat eà corrumpi modulum versus. Huius verbi frequentissima corruptio apud optimos scriptores, sed fere semper ut hic, in *descendere* ut adverti apud Ciceronem pro Plancio (*Consuli P. Nasicæ præco Granius medio in foro, cum ille, edicto iustitia, domum descendens rogasset Gr. &c.* Legendum *escendens*. Nam Nasicæ domus in supeirore urbis parte) in Offic. & alibi: item in C. Curtio Rufo, Macrobio, A Gellio, Plauto, Cæsare, Seneca', aliisque, quorum locos hic non enoto, quod mihi nec eorum libri, nec, ut ita dicam, memoria ad manum; nec si essent, otium. Quin & apud Sallustium in Catilinario, illo loco, qui, si non fallor memoriæ, sic habet; *Est in carcere locus, quod Tullianum appellatur, ubi paullulum ascenderis ad lævam circiter XII. pedes humi depressus.* (τὸ *humi*, mihi glossam subolet. Cicero de latomiis Syracusanis. VII. Verr. *Totum est ex saxo in mirandam altitudinem depresso.* Tamen nihil muto) memini me legere in optimo Codice manuscripto, quem studiose cum impresso comparavi, vice τοῦ *ascenderis*, exaratum vitiose, *descenderis*, pro *escenderis*, quo ver-

Cicero emendatur.

Curtius, Macrobius, A. Gellius, Plautus, Cæsar, Seneca in verbo escēdere emendandi. Sallustius corrigitur.

verbo nec alio hic usum censeo Sallustium, ut & alibi sæpe, ut scis, Redeo ad Tacitum.

In Dialogo de Oratoribus: *Tam hercule quam divitiæ & opes, quas facilius invenies qui vituperet, quàm fastidiat.* Inserta vocula arbitror scribendum, *quam qui fastidiat.*

Ausim contendere Marcellum hunc Eprium, de quo modo locutus sum & Crispum Vibium (libentius enim novis & rec. quàm rem. & obl. ex.utor) non minus esse in extremis terrarum quàm Capuæ aut Vercellis, ubi nati dicuntur. Verisimile est deesse vocem, *notos*, aut quid simile: *Vercellis notas, ubi nati dicuntur*, nisi si interpretatione integra videri possint si capias, *Marc. & Crispum non minus esse in extremis terrarum quàm Verc.* id est, nomen & famam utriusque non minus esse celebrem, non minus vagari, non minus esse in extr. terr. quàm Verc. Et hoc fortasse an rectius meliusque. Sed & subsequentia verba mutila sunt: *Nec hoc illis alterius ter millies sestertium præstat, quamquam* &c. Deest enim alterum membrum, quod respondeat τῷ *alterius.*

Ibidem infra:

Omnes tamen eamdem sanitatem eloqentiæ ferunt: ut si omnium pariter libros in manum sumpseris, quamvis in diversis ingeniis, esse quandã iudicii ac voluminis similitudinem & cogitationem. Verissima emendatio & germanissima lectio hæc est; *Ac voluntatis* (sic editio Pithœi V.C.) *simi-*

similitudinem ac cognationem. Reposui tantum *cognationem,* pro *cogitationem.* Sed & videtur deesse vox, *videas*, vel *agnoscas*, vel *scias*, aut quid simile: *sumseris sciasq;.*

In libro de moribus Germanorum: *Manet honos & antiquæ societatis insigne. Nam nec tributis contemnuntur, nec publicanus atterit.* Legend. *contunduntur,* aut *continentur.* ego malim, *conteruntur.*

Lib. Histor. *Pleraq; vulnera feritate & sævitia, trunco iam corpori adiecta.* Quid si scribas, *adacta?* tamen vulgata defendi potest.

Centurio is prætoriæ cohortis ad Galbæ custodiã â Pisone additus, stricto pugione occurrens armatis &c. Clarum ex ipso Tacito & ex fide historiæ scribendum esse, *â Galba ad custodiam Pisonis additus.* Pisonem enim tutabatur non Galbam, &, ut ait infra, *Pisoni effugium dedit.*

Et stetit domus utraq; sub Othone, incertum an metu. Vitellius victor clementiæ gloriam tulit. Adiuvo locum distinctione; *Et stetit domus utraq;: sub Othone, &c.*

Lib. IV. Annal. *Quid illi cum militibus? quos neq; dicta Imperatoris neq; præmia nisi ab Imperatore accipere par esset.* Aut redundat τὸ *Imperatoris*, aut addita voce legent. *nisi Imperatoris.* Sed redundat potius.

Metum prorsus & noxam conscientiæ pro fœdere haberi. Peccatum properantis & non adver-

tentis scribæ: contra enim debuisset scripsisse, *noxæ conscientiam*.

Lib. XIV Ann. *Agrippina & Acceronia eminentibus tecti parietibus forte validioribus, quamvis oneri cederent, prætecta sunt*. Potius scribend. *quam ut oneri ced*. Visum id mihi, visum magni auctoris magno interpreti V. C. Faucheto annotatumq; ut scivi & vidi postea monitus ab amico, & hercle gavisus sum vel me simul errare cum tanto viro, vel quod potius volo putoque, recte sentire.

Ac posteaquam frustra oblata sint, insensa militibus patribusq; & plebi, dissuasisset donativum & congiarium, periculaq; viris illustribus instruxisset. Vere monuit Lipsius non esse sanam vocem, *oblata*: nec medetur. Mihi medicina in promptu legenti. *Ac posteaquam frustra optata sint*, id est cupita & sperata, sibi scilicet Apripinæ.

Græci amictus, quos per eos dies pleriq; incesserant, tum exoleverant: Lego, *quis per eos d.*

Lib XV. Ann. *Alius filio, fratre alius aut propinquo, aut amico interfectis, agere grates Deis, ornare lauru donum, genua ipsius advolvi, & dextrā osculis fatigare*. Quis non videat scrib. *ornare lauru domum?* Ritus notior, quàm ut debeam de eo ulla verba facere. Hæc hactenus: de quibus iudicabis, mi Lecti.

Cæterum quod pridem scripseram ad te, videri mihi in Hist. 1. pro *quos* (gladios scilicet)

utra-

utraque manu regunt, scribendum, *gerunt*, hercle non scriptum vellem. Fateor enim errasse me: & recipio. Purissime enim dicitur, *Regere gladium*, pro eo quod vulgo effertur, *manier une espèe*. Errati veniam precor, qvo me tibi & inscitiam meam prodidi nimis. Hoc solatium meum, & excusationis apud te meæ summa, *Homo sum*. Vale, mi lectissime, Lecti & si me redamas, testare amorem tuum frequentibus literis. Raptim. Avarici Biturigum, Eid. Mart. CIↃ.IↃ. LXXXV.

EPIST. LXXXIX.

Genevam.

Hieronym. Groslotius Lislaeus Iac. Lectio IC. S. R.D.

DUo menses sunt, & quod excurrit, mi Lecti, ex quo adveni in hanc urbem audiendi magni Papiniani nostri; qui, quod est mihi semper adversum fatum, me vix dum ingresso hanc urbem, decubuit à gravissimo morbo, ut per aliquot dies desperata iacuerit salus ejus. Sed illum servavit, opinor, Iurisperitus Apollo; ætatem vero precor, servet incolumen nobis, inprimis mihi, ac Reipub. illius viri obitu maximum ornamentum amissuræ. Mihi certe non vnus homo, sed literæ ipsæ omnesq; bonæ artes in uno homine summum periculum adire videbantur. Sed laus Deo, nũc con-

Iacobi Cuiacii scilicet.

mis repetitis, *aut ut vana ing.* quod posterius potius est ut probem.

Adhoc maledictis increpabat omnis bonos: suorum unumquemque nominans laudare, admonere alium egestatis, alium cupiditatis suæ &c. Malim legi, *increpare.* Sic infra: *Interea plebes, conjuratione patefacta, quæ primo cupida rerum novarum nimis bello favebat, mutata mente Catilinæ consilia execrari, Ciceronem ad cœlum tollere: veluti ex servitute erepta, gaudium atq; lætitiam agitabat.* Lego, *agitare.*

Aliter sine populi jussu nulli earum rerum Consuli jus est. Puto legendum, *nullæ*, secundo casu, sextu muliebri, ut sit; *nullæ earum rerum.* Plautus Milite; *studiosus nullæ aliæ rei est.* Suspicionem animi mei confirmat u.c. in quo scriptum, *nullius*, quod erat glossema illius, *nullæ.*

Hæc tu pro singulari eruditione tua judicabis Lecti, quæ si probari tibi intellexero, putavero me fecisse pretium operæ. Quod superest, ago tibi immortales gratias de variis illis lectionibus ad Corn. Taciti librum de Germanorum moribus, in quos tamen quædam reperi, quæ item in vulgatis: &, puto, ille codex, unde excerpsisti eas, erat recentioris notæ ..... Scripsi valde festinus. Lutetiæ Parisiorum XI. Kalend. Januar. quæ Kalendæ, anni auspices, impertiendis strenis dicatæ antiquitus tibi debent aurem vellere, ne te opprimant imparatum: mihi vero cautio

erit,

erit, ne violem antiquum & tam boni ominis ritum. CIↃ IↃ LXXXIII.

EPIST. LXXXVII.
Genevam.

Hieronym. Groslotius Lislaeus Iac. Lectio IC. S.

IN hoc Taciti loco iuva me, sodes, iudicio tuo. Lib. Annal. xiii. in illâ graphicâ descriptione Poppææ, quæ certat cum Semproniâ apud Sallustium, ubi de Othone loquitur: *Sæpe auditus est consurgere Cæsaris, scire ad illam, sibi concessam dictitans nobilitatem; pulchritudinem vota omnium & gaudia felicium.* Tolerabilis lectio, & quàm non sim ita audax, ut mutem, movent me tamen aliquantum libri, in quib9 omnib9 est, *ubi*, quod Iustus Lipsius mutavit in, *sibi*, ut testatur ipse in Notis. Movet me vero supra omnes Budensis, in quo legitur *ubi concessam dictitaret nobilitatē*, corrupte; ita tamen ut etiamnum appareant, si recte iudico, clara vestigia antiquæ scripturæ, quam censeo hanc esse, *ubi congestam ductaret nobilitatem* &c. apte ad convivia, è quibus consurgens hæc Otho effutiebat. *Ducendi* enim & *Ductandi* verba usurpata proprie in conviviis; ad quæ hîc Otho alludit non sine multo lepore. *Ducere* autem significat continuo haustu producere & siccare poculum uno spiritu; quod & veteres vocabant *Obducere*. Plautus Cur-

Tacitus emendatur.

Ducere, Ductare, de poculis.

Obducere.

Curcul. —— *Ipsum expeto Tangere, invergere in me liquores tuos sino ductim*, ubi notat Priscianus aviditatem bibendi. Ductim, ἀπνευστὶ. *Ducendi* autem frequentativum est *Ductare*: quod & præterea alia significatione; quod nec tu nescis, solet dici de scorto, quo non dubito quin oblique respexerit auctor noster. Clarior est emendatio, quàm ut egeat longiori explanatione, tantum addam, scriptum fuisse in archetypo, *concessam* pro congestam, more scribendi veterum, qui fere semper scribebant C. pro G. ut tibi alias probabo pluribus: quæ scribendi ratio ignorata imperitis liberariis fecit, ut corrumperetur ea vox in *concessam*. Illud porro *Ductandi* verbum tollendum est ex Sallustii Catilinario, ut glossema: *Atq; eo dictiiare fecisse, quo inter se magis fidi forent, alius alii tanti facinoris conscii.* Non alibi magis variant libri scripti. Quidam legunt, *dictitare*; quidam etiam *dictante*: item alii *dictam rem*, vel *dictas res*. Quarum omnium lectionum nullam video, quæ saltem ferri possit: nisi si sit *dictam rem*, quæ det meram glossam. Ita enim suspicor; primo hunc locum interpolasse barbaros homines, inde fluxisse tantam librorum depravationem tamq; diversam. Ego lego, sublato omni glossemate *atq; eo fecisse.* Illud enim non possum concoquere, quod scribit vir doctus ad hunc locum, *Dictare fecisse* dixisse Sallustium pro dictabant fecisse. Nec enim umquam

Ducere & Ductare de scribis.

Sallustius emendatur.

quam Sallustius, nec quisquam alius bonus scriptor solet ita loqui, ut unum infinitivum ponat συνεκδοχικῶς pro indicativi imperfecto, deinde alterum proxime quod ab illo regatur.

Volebam plura: sed avocor. Hoc unum scribam præterea, deinceps mutiorem pisce me fore, ni facias mutuum proximis literis tuis. Nolo enim te in posterum obtundere meis nugis, ni tuarum Musarum particeps fiam deniq;. Vale & salve perpetuum mihi amicissime Semo. scripsi propere Lutetiæ Parisiorum A.D.XIV. Kal. Ian. cIɔ.Iɔ.LXXXIV.

EPIST. LXXXIIX. Genevam.

Hieron. Groslatius Lislaus amplissimo & amicissimo Iuveni Iac. Lectio I C.
S. P. D.

Duabus novissimis epistolis ad te meis obsecrabam te nomine Dn. Cuiacii Doctoris nostri, ut illi istinc quàm posses commodo tuo citissime curares librum, qvi prodiit nundinis Francofurtensibus, cuius hæc index: *Speculum Romanorum Pontificum, in quo Decreta cum verbo Dei pugnantia, vitæ cursus, prodigia horrenda, accurata brevitate depinguntur, per Stephanum Szegedinum Pannonium, 8.* Hisce literis tertio te rogo, quanti quanti emeris, id tibi bona fide restitutum iri, respondet idem noster. Gratum illi, multo

gratissimum feceris mihi, quo velut interprete visum est illi hoc in negotio uti apud te. Memineris omnem, saltim maximam gratiam fore ex celeritate. Esset enim illi iam nunc is liber maxime usui ad interpretationem Iuris Pontificii, quam suscepit nuper. Initium illi tanti operis & laboris est IV. Liber Decretalium in quo lib. tit. est *De sponsalibus & matrimoniis*, quem prope jam absoluit: apta & apposita materia illis superioribus proximis Bacchanalibus, quis litandum fuit nuptis verbis. Bis in hebdomade prælegit ex jure Pontificio, nimirum duabus ultimis Septimanæ diebus, quas sacras Veneri & Saturno voluit superstitiosa antiquitas. Aliis autem Ius Romanum sive Civile quod appellant, profitetur: ex quo adorsus est nudius tertius explicationem tit. *De act. emti & venditi.* Hæc de latere nolui. Porro Corn. Taciti editionem ultimam in Iusto Lipsio censeo vidisti: non ego hercle, qui torqueor diutina nimis expectatione videndi ejus. Mandavi enim literis ter quater Parisiensi Typographo, ut exemplar ad me mitteret: &, nisi adhuc fallor, tandem expecto per proximum rhedarium: eo avidius, quod narravit mihi amicus, fieri tui honestissimam mentionem, quam rem fore & mihi voluptati, & tibi honori, gratulor. Cum accepero, tum si quæ mihi in tantum auctorem post Censorem reliqua, selegam & scribam tibi omnia, cujus unius

nius iudicium æstimo mihi unice opus esse ad quæcunque meditor in his literis. In præsentiarum vero ne te velle videar inani spe lactare, duxi attexendas has pauculas notas, quasi prægustamenta ceterarum & veluti arram: de quibus in tempore non fallam fidem, modo tanti facias preces meas, ut reddas vicem, hoc est quæ habes in eundem hunc scriptorem, amice & benigne mecum communices.

In Iulii Agricolæ vita in oratione Galgaci ad Britannorum exercitum: *Nos integri & indomiti & libertatem non in præsentia laturi, primo statim congressu unde ostendamus, quos sibi Caledonia viros posuerit.* Insigniter depravatus locus: sæpius molesta mora legenti mihi, de eo tandem studiose & cum cura vagatus per singulos scripturæ apices sic statui leg. *Et libertatem non jam P.R. servitia laturi, primo statim cõgressu demũ ostendamus quos* &c. Maxima mendi indoles ex ignoratione notarum, *P. R. servitia*, id est populi Romani servitia; quæ imperiti librarii corruperunt in *præsentia.* At aperta & clara emendatio mea, in qua si erro, lubet testari mihi suavem errorem meum. *Unde*, mutavi in *demum*, inversis tantum literis aptissime. Nam alloquitur hic bellicus concionator Caledonios, qui populi remotissimi & penitissimi Britanniæ, ideoque, ut ait, adhuc integri & bello intacti, nunc primum vero tentati, cum reliqui citeriores Britanni omnes

Corn. Tacitus emendatur.

Caledonii.

iam domiti, subacti, & sub iugum agerent Romanorum.

Ibidem infra :

Obsequiumque ac modestiam, si industria ac vigor adfuit, eo laudis excedere, quo plerique per abrupta, sed in nullum rei post usum, ambitiosa morte inclaruerunt. Lipsius, *accedere*, rescribit. Ego libentius reddo Tacito antiquam & probissimam vocem, *escendere*, qua usus etiam alibi, & ut magis audacter adfirmem, ita legi debere, facit, quod sequitur, *per abrupta*. Restituo eamdem vocem, simulq; aculeum Satyricum Iuvenali Sat. 6.

Escendere. Iuvenalis emendatur.

—— Minus ergo nocens erit Agrippinæ
Boletus: siquidem unius præcordia pressit
Ille senis tremulumq; caput descendere iussit
In cœlum, & longam manantia labra salivam.

Omnes libri tam scripti quàm excusi non aliter habent quàm *descendere*. Contra quos tamē audeo omni adseveratione contendere legēd. esse—*Tremulumq; caput escendere iussit. In cœlum.* Nam illud *descendere* in cœlū, præter quā quod vix commodum, imo nullum sensum habet, non æque morsui Satyrico aptum, atq; hoc nostrum. Et hic vere nugantur omnes Interpretes, & quæ afferunt frigidiora nive Gallica, ut aiunt. Nam affectasse iocum ex impossibili, quod sit impossibile descendi in cœlū; si Diis placet, explicant pro sepulchro, quod κοιλὸν logi alogi, & delirantiū delirameta. Doceant

ant me, descendi in cœlum; non vero, escendi, tum, quod volent. Dicam, quod res est, respicit ad ἀποθέωσιν Claudii, quam irridet & insectatur nō absq; minore felle, quā Seneca noster. Ansa corrumpendi loci fuit, primum insolentia vocis, deinde cæsura ignorata librario, qui putabat eà corrumpi modulum versus. Huius verbi frequentissima corruptio apud optimos scriptores, sed fere semper ut hic, in *descendere* ut adverti apud Ciceronem pro Plancio (*Consuli P. Nasicæ præco Granius medio in foro, cum ille, edicto justitia, domum descendens rogasset Gr. &c.* Legendum *escendens*. Nam Nasicæ domus in supeirore urbis parte) in Offic. & alibi: item in C. Curtio Rufo, Macrobio, A Gellio, Plauto, Cæsare, Seneca', aliisque, quorum locos hic non enoto, quod mihi nec eorum libri, nec, ut ita dicam, memoria ad manum; nec si essent, otium. Quin & apud Sallustium in Catilinario, illo loco, qui, si non fallor memoriæ, sic habet; *Est in carcere locus, quod Tullianum appellatur, ubi paullulum ascenderis ad lævam circiter* XII. *pedes humi depressus.* (τὸ *humi*, mihi glossam subolet. Cicero de latomiis Syracusanis. VII. Verr. *Totum est ex saxo in mirandam altitudinem depresso.* Tamen nihil muto) memini me legere in optimo Codice manuscripto, quem studiose cum impresso comparavi, vice τοῦ *ascenderis* exaratum vitiose, *descenderis*, pro *escenderis*, quo ver-

Cicero emendatur.

Curtius, Macrobius, A. Gellius, Plautus, Cæsar, Seneca in verbo escēdere emendandi. Sallustius corrigitur.

verbo nec alio hic usum censeo Sallustium, ut & alibi sæpe, ut scis, Redeo ad Tacitum.

In Dialogo de Oratoribus: *Tam hercule quam divitiæ & opes, quas facilius invenies qui vituperet, quàm fastidiat.* Inserta vocula arbitror scribendum, *quam qui fastidiat.*

Ausim contendere Marcellum hunc Eprium, de quo modo locutus sum & Crispum Vibium(libentiq enim novis & rec. quàm rem. & obl. ex. utor) non minus esse in extremis terrarum quàm Capuæ aut Vercellis, ubi nati dicuntur. Verisimile est deesse vocem, *notos*, aut quid simile: *Vercellis notas, ubi nati dicuntur*, nisi si interpretatione integra videri possint si capias, *Marc. & Crispum non minus esse in extremis terrarum quàm Verc.* id est, nomen & famam utriusque non minus esse celebrem, non minus vagari, non minus esse in extr. terr. quàm Verc. Et hoc fortasse an rectius meliusque. Sed & subsequentia verba mutila sunt: *Nec hoc illis alterius ter millies sestertium præstat, quamquam* &c. Deest enim alterum membrum, quod respondeat τοῦ *alterius.*

Ibidem infra:

Omnes tamen eamdem sanitatem eloqentiæ ferunt: ut si omnium pariter libros in manum sumpseris, quamvis in diversis ingeniis, esse quandā iudicii ac voluminis similitudinem & cogitationem. Verissima emendatio & germanissima lectio hæc est; *Ac voluntatis* (sic editio Pithœi V.C.) *simi-*

similitudinem ac cognationem. Reposui tantum *cognationem*, pro *cogitationem.* Sed & videtur deesse vox, *videas*, vel *agnoscas*, vel *scias*, aut quid simile: *sumseris sciasq;.*

In libro de moribus Germanorum: *Manet honos & antiquæ societatis insigne. Nam nec tributis contemnuntur, nec publicanus atterit.* Legend. *contunduntur*, aut *continentur.* ego malim, *conteruntur.*

Lib. Histor. *Pleraq; vulnera feritate & sævitia, trunco iam corpori adiecta.* Quid si scribas, *adacta*? tamen vulgata defendi potest.

Centurio is prætoriæ cohortis ad Galbæ custodiã â Pisone additus, stricto pugione occurrens armatis &c. Clarum ex ipso Tacito & ex fide historiæ scribendum esse, *â Galba ad custodiam Pisonis additus.* Pisonem enim tutabatur non Galbam, &, ut ait infra, *Pisoni effugium dedit.*

Et stetit domus utraq; sub Othone, incertum an metu. Vitellius victor clementiæ gloriam tulit. Adiuvo locum distinctione; *Et stetit domus utraq;: sub Othone, &c.*

Lib. IV. Annal. *Quid illi cum militibus? quos neq; dicta Imperatoris neq; præmia nisi ab Imperatore accipere par esset.* Aut redundat τὸ *Imperatoris*, aut addita voce legent. *nisi Imperatoris.* Sed redundat potius.

Metum prorsus & noxam conscientiæ pro fœdere haberi. Peccatum properantis & non adver-

utraque manu regunt, scribendum, *gerunt*, hercle non scriptum vellem. Fateor enim errasse me: & recipio. Purissime enim dicitur, *Regere gladium*, pro eo quod vulgo effertur, *manier une espée*. Errati veniam precor, qvo me tibi & inscitiam meam prodidi nimis. Hoc solatium meum, & excusationis apud te meæ summa, *Homo sum*. Vale, mi lectissime, Lecti & si me redamas, testare amorem tuum frequentibus literis. Raptim, Avarici Biturigum, Eid. Mart. CIↃ.IↃ. LXXXV.

EPIST. LXXXIX.

Genevam.

Hieronym. Groslotius Lislaeus Iac. Lectio IC. S. R.D.

DUo menses sunt, & quod excurrit, mi Lecti, ex quo adveni in hanc urbem audiendi magni Papiniani nostri; qui, quod est mihi semper adversum fatum, me vix dum ingresso hanc urbem, decubuit à gravissimo morbo, ut per aliquot dies desperata iacuerit salus ejus. Sed illum servavit, opinor, Iurisperitus Apollo; ætatem vero precor, servet incolumen nobis, inprimis mihi, ac Reipub. illius viri obitu maximum ornamentum amissuræ. Mihi certe non vnus homo, sed literæ ipsæ omnesq; bonæ artes in uno homine summum periculum adire videbantur. Sed laus Deo, nũc con-

Iacobi Cuiacii scilicet.

tuis læti nuntiis vertat in gaudium. Nosti in amore mollitiam animi mei: nosti sollicitudinem. Quamobrem tuum erit, mi Lecti, si tibi bene est, quod spero & opto, me per literas quàm citissime expedire his curis, seu verius tormentis, quibus tamdiu torquebor, quàmdiu dubius fuero salutis tuæ, quæ mihi, medius fidius, chara æque ac ipsius mea. De ea, qualisqualis sit, me facias certiorem, te rogo etiam atque etiam: ut illi, si non datur alio, saltim litem anxiis votis & sollicitis precibus. Sed ut hæc desinam cum fausto omine, mihi præsagit præsaga veri mens, te salvere, valere, atque adeo nunc esse in libris, ex quibus, si me amas, amabo te, epistolæ tuæ attexas aliquàm multa, quæ me ab animo erudiant: simulque agas censorem nugarum mearum, quis interdum, ut scias, etsi me distineant severiores illæ Musæ, tamen consulto ut ulciscar obstinatum silentium tuum, non cessabo te pessime perdere. Extra jocum, valde velim ad me perscribas quoque de rebus tuis accurate & ni piget, obiter etiam de publicis. Hic vero nihil fere novi vagantur tantum inconstantes rumores de turbis, sive mavis de bello. Videbit ille à Machina. Porro affirmatur constanter ad Pontem Cæsaris, vulgo au pont de Sey, iuxta Douconam pagum in Andegavis, pluisse de cælo merum sangvinem tanta copia, ut etiam incolis licuerit legere & urnis condere.
Quod

quod portentum fere amat expiari insigni aliqua clade. Id peto convertat OPT. MAX. in numinis sui hostes. Nos vero, ut inquit Catullus, destinati obduremus, mi Lecti, & memores cogitem9 natos nos in ea tempora; quibus firmare animum expedit constantib. exēplis, ut loquar ore familiaris tui, de quo, ut illa tristiora omittam, si erit otium, propediem videbimus. Nunc libero fidem meam de illis Senecæ Patris locis, quos habeo ex Hispanicis schedis auctos vel emendatos: descriptos eos cum hisce literis pro strena mitto ad te. Non contemnendum munus, si æstimes tum præcipue ex animo meo, qui indulsit, ut donarem tibi uni, tum ex reipsa, quæ, ut recte venditem, vere est thesaurus literarius, asservanda tibi, si me audis, ut thesaurus. Non est n. talis, ut vulgari debeat. Tamen quod tu voles. Nam de hac & aliis omnibus rebus meis solidum esto penes te arbitrium. Volebam hic interjungere, ni me ulterius provehi incitasset, qui est iustissimus, & merito obstinatus dolor meus, quem contraxi ex obitu C. M. iuvenis amicissimi quondam mei, quem, ut ita dicam, mi Lecti, duliacidum mihi est in sinu tuo deflere. Is fuit, IANUS GULIELMIUS, quo iuvene, non me redarguet ipsa veritas, nihil tulit Germania doctius aut verius: nihil vidit Sol ipse amabilius aut melius. Jurasses factum illum à Gratiis, eductum edoctum à Musis. Nam

Iani Gulielmii laus & obit9

Nam illi quanta probitas in ore? quanta in sermone simplicitas? quanta urbanitas, quis candor, quis Salds? quam pari lance gravitas comitasque? quāta in omni vita pietas? & quod rarissimum in illa gente, quanta in omni victu abstinentia? denique quo ille studiorum amore flagrabat? quantum legit? quantum etiam scripsit? quæ nunc maximam partem cum ipso sine fructu posteritatis abierunt. Supersunt tamen in manibus hominum non obscura tanti ingenii monumenta, quæ etsi fuerint edita ab admodum adolescente, &, ut ipse sum occulatus testis, nimio impetu præcipitata, tamen æternum (si æterna, quod auguror, erunt) testificabuntur, quo fuerit in his literis acumine & judicio, simulque quantum virum daturus fuisset, si virtutes ejus maturuissent. Angor ipsius casu, qui acerbo & plane immaturo interitu primo ætatis flore extinctus est: dignus (ô fata) vivere ætatem trium Nestorum. Sed illud forte an ut cumque tolerabile, quia commune cum multis. Hoc vero mihi non triste solum, verum etiam luctuosum videtur, quod reliquit imperfectum præclarissimum opus, quod absolvi non minus fuisset è re publica, quàm ex ipsius sua, qui sibi inde comparasset nominis im̃ortale decus. Enim parabat emittere in vulgus optimum linguæ Romanæ parentem M. Tullium Ciceronem quàm castigatissimum

mum & nitidissimum: & iam prope adfectæ res erat, nisi tam alieno, & pœne dicam, tam non suo tempore fato fuisset oppressus. Verum si posteritatem spectemus, quicquid non absolutum, habetur pro non inchoato. Memini, & memini non absque lachrimis, audivisse ipsum sæpius prædicantem, non vana ostentatione, ut solet, à qua sane plurimum abhorrebat emendatissima indoles eius se in Cicerone qua ex libris, qua ex coniectura aut emendasse certo judicio, aut explicasse nunc primum ad ter mille locos maximi momenti. Levioris enim habebat ὅσα ψάμαθός τε κονίς τε. At ista omni immortalitate dignissima præmatura ejus morte nunc iacent, & verendum, ne mala opera eorum, in quorum manus devenere, idem quod ille, fatum sentiant, quod invidisse illi tantam gloriam, & nobis atque ipsis, quas colimus, literis, tantum bonum, quis vel imbutus humanitate aliqua non misereatur, non doleat? M. Tulli, si quis tibi etiam adhuc manet sensus, agnosce & defle serio maxime capitale fatum tuum, quo tibi præreptus est ille Æsculapius tuus, qui vitam dum tibi reparat (ah nimis invidiosum opus!) exitium paravit sibi ipse. Fatum tibi tanto calamitosius illo, quo præcisum divinæ eloquentiæ caput, amputatæ fortissimæ manus quanto tibi gratior esse vita debet, quàm mors; quæ, puto, iucunda tum fuit, eversa penitus

Repub.

Repub. quam conservaveras. Ita mihi, ô, semper pateant abditiores & jam vetustate fallentes sensus tui, mi Arpinas homo, angor acerbissime tuo nomine: angor tamen publico magis, cujus maximo malo denatus est tam ingēti tot literarum, tot virtutum, flumine inundatus juvenis: cui quemadmodum prope unico ævi hujus nostri, dixero invidia audiente indignante, facultas erat tantum scriptorē emaculatissimum publicandi, ea doctissimorum judicio felicissime, cum prosam scriberet, prorsus exprimendi, accersitis tamen ex Plauto, aliisque similis, id est, optimæ notæ scriptoribus lepidissimis, & iocis urbanioribus. Iam vero cum se demittebat ad carmen, edebat, Deus bone! quàm tersum, quàm amœnum, quàm acutum, & verbo dicam, omnino sanitatis antiquæ: ita proxime effingebat veteres illos, Horatium dico, Catullum, Propertium, & ceteros augustioris famæ. Testor illius Divos Manes, Lecti, ne quicquam do amicitiæ: quicquid hic scribo extorquet à me ipsissima veritas: si non eum destinasset hæc mortalis vita in tam secundo ad supremam humanæ laudis metam cursu, se probasset procul dubio Musarum alumnis scriptorem eloquentissimum summum Poetam, maximum Criticum. Denique angit me super ista multo gravissima iactura mea, si jactura dicenda est, tanti viri, tanti amici amissio; amici, cui prope uni-

co volebam patere intimas cogitationes meas. Accedit mœrori meo, quod absens & impendentis mali nescius, pariter ægrum, pariter excessisse cognovi, ut in tanto infortunio meo privatus fuerim tantilla felicitate adversus illum fungendi novissimis, quæ debemus, officiis. Paulo.n. ante, quàm venissem Avaricum, quæ urbs funestata ejus morte, honorata sepulchro, Deo reddiderat optime de literis, deq; amicis nobis meritum spiritum. Si plura de his fortasse, quã postulabat huiusce epistolæ modus. At scito non plura me hercule, quàm debui, nec quàm volui. Nam ut inquit divinus Poeta, —*Iuvat indulgere dolori*: præsertim apud te, ad quem pertinet & pertingit, scio, hic ipse luctus. Tu n. is es, quẽ novi vere ingemiscere amicorum adversis, secundis vere delectari. Tamen si tibi fuerit molesta prolixitas mea, hæc habeto excusationis meæ vicem & quasi summam. Amavi viventem, ut qui effusissime: amo defunctum, ut qui constantissime & amissi caritatem, quando aliter non datur, pro desiderio & sancta memoria extendam. Qua fini volui fundere in sinum tuum has lacrymas, hos gemitus testatos inæquali & incõposito hocscripto, quod mihi dictavit, ut vides, vere incompositus dolor, cui si forte mulcendo hoc querelæ quicquid est, quasi debitum munus amici memoriæ exsolvendum putavi: sed vereor, ut vix ipso quidem etiam tempore

pos-

possim acquiescere tantæ ægritudini, nisi tu consolationis optimus artifex ἀλεξικάκῳ manu tua adhibueris solatia mihi; non hæc trita & vulgaria, eam esse naturæ legem, nasci nos ut denascamur, & beatum illum nunc esse: quæ succurrunt, satis, sed tam profundo vulneri imparia: verū nova aliqua & magna, quæ mihi nondum fuerint audita, nondum percepta. Quod ut des precib. meis per arctissimum fœdus nostrum te obtestor, mi Lecti. Haue, haue, ô mi, dum fata sinebant, Gulielmi: Hauete æternum Diui manes. Tu vero vive tibi, mihique mi anime, mi Lecti vale. Scripsi per saturam. Perscripsi interpellatus ter quater, &, ne quid dissimulem, vix apud me, & quidni vero tamen apud me? cum apud te fuerit ipse animus meus. Iterum vale. Avarici Biturigum A.D.V.Eid. Ian. Anno salutis nostræ, CIↃ. IↃ,LXXXV. qui, oro supplex Deum Omnipotentem, mihi sit fortunatus magis magisq; ex voto, quàm fuit novissime clausus, minusq; inclarescat tam frequentibus tot clarissimorum virorum fatis. Sed vereor, ne tu fessus legendo; certe ego scribendo; quanquā suave mihi est tecum loqui. Desino itaque.

Mercetus te amat & salutat plurimum. Is est in Nonio, quem daturus est perbrevi recensitum à se. Quæ opera, nisi valde fallor, sed non fallor, pollicetur illi & præstabit prospera auspicia famæ.

EPIST. XC.

Lugdunum Bat.

Iacobus Lectius IC. Iusto Lipsio, virorum optimo & doctissimo S.

FEcere animum præiudicia tua, Iuste Lipsi, ut in Tacito Spicilegium quoddam ultra auderem. Ergo iterum sumpti in manus & obscuriora quæq; circumiens, quæ potissimum conjectavi, ad te mitto. Sed ea lege, ut, quæ minus probabuntur, habeat amor tuus pro non scriptis. Consulo enim te, neq; in autore, quamvis avide semper à me lectitato, ius ullum arrogo mihi: quod omne tibi uni cōpetere Veritas, immo invidia ipsa profitetur.

Tacitus emendatur. Annal. II. Corruptum censes locum illum, *Urgere modestiam Senatus, eandem vim in metrāsmittere, ac velut perfringere cerarium &c.* & emendas, *eadem invidiam in me trans.* Puto nihil mutandum. Clara mihi verba, clarus sensus. Petaces isti, ait Princeps, querelis intempestivis suis velut vim senatui inferunt: mox eandem vim in me transferunt & convertunt. Idque est, quod subiicit, *& velut perfringere,* &c. ut & supra; *Neq; enim sunt preces istuc, sed efflitgatio* &c. Porro nec memini vocem *eadem* legere me in his libris hoc quidem sensu.

Annal. III. *Defensis in ceteris trepidavit.* Scio lectionem ferri posse. Clarius tamen, *in certis.* Movetq; quod subiicit noster plura, quæ abs

reo

reo negari vere potuisse. At incertum fuisse illud de veneno neque ab accusatoribus ipsis valde firmatum.

Eod. *Atq; illo pleraq; sapienter quædam inconsultius respondente, recitat, &c.* Puto locum esse integrum. Rogas, quonam vox *illo*, referenda, Ad senatum, de quo linea superiore. Sensu apertissimo. Cum enim quæreret Princeps in senatu, qualem diem supremum Piso noctemq; exegisset, quidam senatorum responderunt, aut Consul nomine omnium, multa sapienter, quædam etiam inconsultius, fecisse illum scilicet aut dixisse. Hæc brevitate quidem non invenusta, meo iudicio, neq; obscura. Sed nec in autore alio nova, adeo non in isto. Quanquam &, *illum*, legere possis.

Annal. XI. *Cur hostem conciret? adversa in Remp. casura cum prospere egisset, formidolosum paci virum insignem & ignavo Principi prægravẽ.* Hunc locum velim eximas mendi suspicione. Puto integrum. Nempe sinistra inde fama Corbuloni, quia Chancis ad bellum irritatis, si rem ipse gessisset improspere, damnum inde Reipub. sin vicisset, suspicio & metus oriebatur, ne vir magni animi, totq; victoriis insignis majorem in spem accingeretur, pacem populi Roman. turbaret, & segnitie Principis in gloriam suam abuteretur. Formidolosum ergo paci Corbulonem, si vicisset; ita dixit.

Eodem; *Dum industria cubiculum Principis occulit adulteros dedecus quidem illatum, sed excidium* (recte emendas, *exitium*) *procul abfuisse*. Novissima vitiorum, inquit noster, exuitur ambitio, & cupido regni omni affectu flagrantior est. Quia spondes impulit illa, ut tentarem, *Dum indust. cubiculariorum &c.* Vel brevius, *cubicularium*. Quam vocem puto etiam apud Tranquillum legisse me. Principis industria & arte provisum est, ne adulteri Messalinæ ipsi Principi innotescerent, non quidem ea res sine probro, sed utique sine exitii publici metu. At nunc vulgato Silii, & Messalinæ matrimonio universum Reipub. in corpus in ancipiti. Facile mendum irrepsit; quia librarii compendio literarum usi in exscribenda voce prolixiore, possis & legere, *occubuit*.

Eodem. *Qua incerta Oceani vetarentur*, Lego, *vitarentur*.

Ann. XIII. *Tanquam ius hastæ inclementer augeret*. Correxisti *ageret*. malim *urgeret*.

Tecti partes. Ann. XIV. *Eminentibus tecti parietibus &c.* Nondum pœnitet emendasse, *partibus*. Quid enim hoc est, *tecti parietes eminere & protegere?* Imo cameræ partes quædam validiores Agrippinam & Aceroniam protexere, dum illæ in eas sese abripiunt. Sic enim Suetonius, *paratam cameræ ruinam*, dixit in Nerone. Et noster, *tectum plumbi grave*, dixit supra, non utique parietes. Quo quid absurdius?

Eod.

Eodem: *An iustitiam augurii, & decurias equitum egregium iudicandi munus expletos, si fractos sonos & dulcedinem vocum perite audissent.* Experior; *An i a e d. equitum & egregium* (vel, *& regiū*) *munus iudicandi minus expleturos proceres, nisi fractos &c. vel ni fr.* Sententia proclivi & aperta. Librarius vocem, *munus*, bis repetitum existimavit, & velut alterutro loco superantem, è priori sustulit. Nisi erro, inde error. Iam de decuriis equitum supplendis vel de civibus Romanis in decurias equitum elegendis apud Tranquillum & alios mentio frequens. Sane illud de iustitia augurii, augurari nescio an recte. Etsi enim Augurum ordo causis sacrorum iudicandis vacaret, is tamen loquendi modus non ad gustum. Decuriæ equitum.

Rursus Annal. III. *Sic imbui rectorem generis humani.* Malim, *indui*, id est, ita Principis munus usurpari. Idq; est quod subiicit, *id primum è paternis consiliis discere.* Adi nostrum Annal. libro primo illo loco; *sed defuncto Augusto &c.*

Ann. lib. IV. *Idq; facile intellectu, si proderentur alii,* Legendum haud dubie, *nisi.*

Eod. *Easdem exitu causas coniungimus.* Lego, *exiti:*

Eod. *Ingruebat nox nimbo atrox hostisq; clamore turbido. Modo per vastum silentium &c.* Sic distinguo, *i n n atrox hostisq; clamore turbido, modo &c.*

Eod. *Iiq; sermones tanquam vetita miscuissent speciem artæ amicitiæ facere.* Malim *fecere.*

Eod. *Quo intendisset oculos, &c.* Locus dubiæ διανοίας & obscuræ, quem ut clariorem Sole reddam, hæc verba librariorum errore transposita superioribus illis subiungo, *etiam muta atq; inanima tectum & parietes circumspectabantur.* & emendo, *intendisses*: sicq; post verba illa, *has Seiano victimas cadere*, legendum continenter, *quem enim diem vacuum pœna &c.*

Eod. *Non illi tamen in urbem aut propinqua urbi digressi sunt.* Lectio expers legitimi omnis sensus. Manifesta, si leges, *non ille tamen in urbem aut propinqua urbi digressus.*

Ann. V. *Mariq; alio Nicopolim Romanam coloniam ingressus, ibi demum cognoscit, sollertius interrogato, quisnam foret? dixit &c.* Absurdus sermo & perplexus. Lege obsecro, *mariq; alio N. R. C. ingressum ibi demū cognoscit. Solertiq; interrogatus, quisnā foret, dixit &c.* Lego &, *mariq; alto.*

Lib. XI. *Theatralem populi lasciviam severis dictis increpuit.* Malim, *edictis.*

Ann. XII. *Vim vitæ suæ attulit ante sententiam senatus.* Hæc posteriora tria merum glossema, meo iudicio.

Lib. XIII. *Sibi concessam dictans nobilitatem, pulchritudinem, vota omnium, & gaudia feliciū.* Locum accusas corruptelæ. Non ego, verba ipsa sunt Othonis solemnem & amantium & amentium levitatem præferentia.

Ann.

Ann. XIV. *Nam in mortem Centurioni ferrum destringenti* &c. Illud *in mortem*, puto item esse glossema.

Histor. I. *Famæ nec incuriosus nec venditator.* Legerim, *vendicator*. Pari mente noster alibi; *prospera omnes sibi vendicant, adversa uni imputantur.* Vendator. Vendicare.

Histor. IV. *Civilem immensum universa Germania extollebat.* Vulgati, ut mones, *immensis actibus.* Quid si, *auctibus*? Sanè illud, *immensum*, hoc loco displicet nimis. *Auctum Tiberis* alibi dixit noster.

De moribus German: *Gerunt & ferarum pelles, proximi ripæ negligēter, ulteriores exquisitius, ut quibus nullus per commercia cultus.* In sententia mea usque persto traiecta verba illa, *negligenter, exquisitius*: & hoc priori, illud posteriore loco reponendum. Videbam & rationem & autoris mentem ita velle. Alioqui enim pugnat ratio illa, quæ sequitur, *ut quibus nullus* &c. firmabam & ex altero loco illo pag. 641. ubi Germanos ripæ proximos vinum mercari scribit, cum ulteriores scilicet ordeaceo potu utantur. Suberat tantum scrupulus ex eo, quod cum instituitur comparatio, vox simplex primo loco, comparationis index posteriore poni solet. At ecce hunc ordinem quoque vertit noster Hist. I. pag. 420. *Dirumpunt imagines Galbæ, quarta legio promptius, duodena cunctanter.* Auctus, us.

Eod. lib. *Id pro armis omniumque tutela securum Deæ cultorem etiam inter hostes præstat.* Legis, *omnique*, forte *communique*. Notulæ quidem prorſus totidem atque eædem, ſi præfixeris literamC.

Quod initio præfatus ſum, hic inculco, Iuſte Lipſi, notionis tuæ eſſe hæc cuncta, neq; aliter ex his quidnam probum mihi, quam ſi & tibi. Tandem de me. Ordines craſtina demum die conventuri. Quid ſuper re noſtra cogitent, intentus operior. Quicquid erit, etiam irritus abire conſtitui. Neq; enim anni tẽpus ulteriorem moram patitur, quin trimeſtri iam continuo mora mera. Periimus, periimꝰ, Ieſu bone, ſi ad deſideria noſtra & querelas tam ſurdeſcunt aures tuæ, quàm mortaliũ. Quando ad te venturus ſim, addubito. Puto non ante quàm poſtremum. Sed nonne audio quandoque te etiam Hagam viſendis amicis & relaxando animo venditare? valde id velim. Skæneus & munus tuum & te amat. Noæus in Angliam traiecerat miſſu Regis. Nunc Caleti eſt. Nihil porro novi novimus. Nam quod deParmenſis regreſſu quidam garriunt, planiſſime garritus. Vale, Lipſi optime, meq; uti facis, dilige immo ama. Mœſtus ab eo cauſa tua, ſed longiſſime diſſitus licet & colam te ſancte & amabo conſtanter.

Hagæ VI. Calend. Novembr.

ↀ. Iↄ. XC.

EPIST.

EPIST. XCI. Hagam.

Iustus Lipsius Iac. Lectio S. D.

PRofecto ita est: vero proboq; iudicio quædam notas, & recte aliquot loca ignominia eximis, qua affeci. Erit locus testandi. Utinam in re tua publica sic promoveas: quam extratum iri, nec cum certa spe fructus, mihi molestum. Sed nonne prædixi? Omnes qui veniunt, adhærent ad Batava hæc vada. Spero tamen aliquid fiet hoc conventu vel honoris publici caussa, qui per hæc talia haud valde auget. De Gallia ambigua aut mœsta. Britannia Parum expergiscitur tam propinqua flamma. Quid censes de Germanis, qui nondum intelligunt rem suam illic agi? Sed supremus ille Rex videbit & reget. Ego te prorsus expecto, & amplecti postulo ante discessum: quod animo nunc facio, ô amande mihi semper, *non solum diligende* Vale Lugduni Bat. V. Kal. Nov. ∞.Iↄ. XC.

EPIST. XCII. Genevam.

Iacobus lectius Isa. Casaubono suo S.

QUæ super obscurioribus Plinii locis ante coniectaveram, ex iis pauca, tibi ut obsequar, regustavi. Fallor, aut expectationem tuam fallent. Sed qualiacumq; erunt, iuris tui arbitriique sunto.

Lib.

Lib. 1. epist. 6. *Scholasticis porro studiosis, ut hic est, sufficit abunde tantum soli, ut relevare caput, reptare per limitem* &c. Verba perplexa, incomta. Et illud *studiosis* πλεονάζει. Habent alii libri, *dominis*. Lego & distinguo, *Sch. p. domus, ut hic est, s. abunde: tantum soli &c.*

Lib. 2. epist. 17. *Vel modica cœnatio quæ plurimo sole, plurimo mari lucet.* Malim leuissima mutatione, *inani lucet*.

Lib. 3. epist. 19. *Sum quidem prope totus in prædiis: aliquid tamen fœnere nec molestum erit mutuari. Accipiam à socru mea &c.* Traiectis literulis duabus emendo, *Aliquid tamen fœnero Nec molestum &c.*

Lib. 8. epist. 10. *Nulla in hoc navis (sacer enim est) sed innatant insulæ herbidæ, omnes arundine & junco tectæ, quæq; alia fœcundior palus ipsaque illa extremitas lacus effert.* Lego, *junco textæ*. Primum illud *tectæ*, sine sensu.

Insula mobilis Porro mobiles istiusmodi insulas constat ex arundinea hacce textura & coalitione, natura velut ludente, componi. Explico deniq; clare ex Paulo, harum insularum indolem prope iisdem verbis describente in l. pen. ∫. 2. π̃. de acquir. rer. dom. *Videamus* (inquit) *de ea insula, quæ non ipsi alveo fluminis cohæret, sed virgultis aut alia qualibet levi materia ita sustinetur in flumine, ut solum ejus non tangat, atque ipsa movetur.*

Eod. loco: *Sua cuique figura, ut modus.* Malim

lim, *motus*, ſenſu perſpicuo, qui alioqui perobſcurus.

Lib. 9. epiſt. 5. *Egregie facis (inquiro enim & perſevera*, vel, ut alii, *perſevero) quod* &c. Legend. *per ſevera.*

Lib. 9. epiſt. 8. *Nam & tu, quæ de amicis optime ſcribis, & ego quæ de me ut optime lego.* Imperitum librarium turbavit duarum vocum repetitio, *ſcribis*, *lego*. Semel itaque expũxit. Quas repono, ſimulque elegantiam & lucem loco iſti: *Nam & tu, quæ de amicis ſcribis, optime ſcribis, & ego quæ de me lego, ut optima lego.*

Eod. epiſt. 13. *In quo ego comite non egeo. Comitis* vox hic abſurda. Compendium literarum ſic reſolvo, *communitate. ſocietatem* deinde dicit.

Eod. epiſt. 19. *Cuiusque poteſt apud te, &c.* Non dubito, quin legendum, *cuius neq; &c.*

Eod. epiſt. 26. *aut imp. quæ ego audentia: aut nimia* &c. Lego, utroque loco, *ut imp. &c. ut nimia.*

Eod. epiſt, eadem: *Ut prætercam quæ ab Æſchine θαύματα non ῥήματα vocantur incidi in contrarium dicens, hunc quoq; ob iſta &c.* Ulcus in ſpeciem in ſanabile. Expungo literulam & diſtinguo; *ut p. q. a, Ae. θ non ῥ. vocantur. Incidi in contrarium. Dices hunc quoq; ob iſta culpari &c.* clariſſima ſententia.

Eod. epiſt. 21. *Habes æſtate, habes hyeme conſuetudinem: addas huc licet autumnum quæ inter*

hye-

hyemẽ æstatemq́, media ut nihil de die perdunt ita de nocte parvulum acquirant. Evidens est, deesse quiddam. Suppleo audenter; *addas huc licet ver & aut.*

Lib. 10. epist. 20. *Tam moderate voluntati.* Legend. *moderatæ.*

Eod. epist. 38. *Ut iam dixerant.* Lego, *dixeram, Tyrones* enim supra dixit.

Super his velim Stephani etiam nostri, V. C. mi iudicium abs te consuli. Vale.

EPIST. XCIII. Genevam.

Iacobus Lectius Theodoro Beza Vezelio.

Corpora, quæ uno spiritu cōtinétur. Pandectarum leges emendantur.

QVando ita iubes, libere, super quæstione proposita, quid sentiam, respondebo. Corporum, quæ uno spiritu continentur, duobus tantum locis ius nostrum meminisse comperio. Unus est, quem notasti, l. rerũ mixtura, in princ. De usurpat. & usucap. Alter in l. in rem, §. item quæcumque. De rei vindicat. Ubi dicitur statua uno spiritu contineri. De ipsa re hoc est, sententia divisionis, satis constat. Nam quæ ἡνωμένα quæ συνημμένα quæ διεστῶτα corpora sint, et utroque loco IC. clare docent, & Seneca epist. 103. & Natur. quæst. libr. 2. cap. 2. & Cuiacius noster ex Cononis Mathematici verbis docet libr. 15. observat. cap. 33. Locum ipsum ad te mitto. Sed de appellatione *Spiritus* video non sine caussa abs te dubitari. Qua in parte muti omnes. Nam quid

Spiritu uno cōtineri.

quid hoc monstri est, tignum, lapidem, statuam uno spiritu contineri? Tum si in his unus spiritus, an in navi, ædificio, & similib. συνημμένοις spiritus plures? Quid quod ne molliendæ quidem novitatis causa voculæ illæ, *quasi, tamquam*, insertæ? Hoc ulcus, uti dixit, attigit vere nemo. Nam etsi Alciatus in l. qui usum fructum, De verb. oblig. de hoc discrimine corporum agens, ἡνωμένον corpus interpretetur ex Plutarcho φυσικὸν, naturale, sive, ut loquitur, spiritale; συνημμένον autem, artificiale seu τεχνικὸν ex eodem; τὸ διεστὸς denique ex Grammaticis Collectivum, non tamen explicat, quid hoc rei sit, spiritum tigno lapidive tribuere. Quod si ideo ἡνωμένα corpora illa spiritu uno contineri dicuntur, quia naturalia sunt; tignum, inquam, lapis &c. sane statua inter τὰ ἡνωμένα recenseri non poterit, quæ corpus τεχνικὸν est, non φυσικὸν. Attamen statuam uno etiam spiritu contineri, IC. scripsit in d. l. in rem, d. §. item quæcumque. Suspicor utroque loco legendum, *uno situ*. Ac facilime mendum irrepsisse ex compendio scripturæ, cum imperiti aliqui librariorum pro *situ* putarint scriptum *spū*, id est *spiritu*, Sic enim in MSS. vox *spiritus* in pauciores literas contrahi solet. Hanc lectionem ex ipsa τῶν συνημμένων καὶ διεστώτων descriptione confirmo. Nam quod ait Pompon. in d. l. rerum, illa quidem *ex contingentibus pluribus & inter se cohaeren-*

Hanc emendationem probat Beza.

rentibus, hæc autem *ex distantibus constare*, utique ad situm & collocationem partium seu corporum pertinet evidenter, & in istiusmodi corporum descriptione nulla spiritus mentio, sed, si rem attendimus, solius situs. Quasi diceret, non ut tigni lapidisue, ita navis aut ædificii corpus uno situ contineri: quia plura in navi vel ædificio sunt corpora, in navi, tigna plura: in ædificio, lapides plures; quamuis invicem, ut ait, cohæreant seseque contingant, Gregis, Legionis, Chori, non unum etiam situm proprie dici posse, quia ex distantibus corporibus disiunctisque constant: & cum in his sint plura disiunctaq; corpora, plures etiam situs esse consequitur.

Quod si vulgatem lectionem immutare religio est, iam vero ex intima Philosophia sententiam huius loci eruamus necesse est: ut spiritus appellatione formam ὑσιώδη cuiuscumque corporis intelligamus. Sana enim τῶν ἡνωμένων; ut tigni, hominis, statuæ, una forma est, ipsius naturæ provisu, quia item unicum corpus. At τῶν συνημμένων, ut navis, armarii, lecticæ, ædificii, non una item forma est; imo quot sunt corpora arte connexa, totidem formæ: similiter in legione, grege, collegio, ceterisque corporibus διεστῶσι non unus spiritus seu forma est. Plura enim in his corpora uni nomini, ut Pompon. loquitur, subjecta, plures species, plura, ut Dialectici loquuntur, indi-

individua, ideoque totidem formæ. Et huc pertinet vulgatum illud Philosophorum, *Non esse inconveniens, ut eidem composito simul insint plures formæ substantiales.* Denique huic lectioni atque interpretationi pariter Conon astipulatur haud obscure. Qui cum πάγνωμένα esse dixisset ὅσα ὑπὸ μίας ἕξεως, mox ipsam ἕξιν, πνεῦμα σώματος συνεκτικὸν interpretatur: & singula corporum genera iisdem exemplis declarat, queis Pompon. in d. l. rerum. Sed hæc cuncta iuris tui arbitriique sunto, observande Domine & omnis doctrinæ consulte.

EPIST. XCIV. Lausannam

Iacobus Lectius Petro Brederodo IC. S.

VEnisse te ad nos propius, Brederode doctissime, gratum mihi, cui amicitia vetus tecum. Et affuturum brevi nobis, lubens audio. Neque est, quod te nostræ terreant tubæ aut turbæ. Quippe urbs ipsa, nisi si nimium divinæ benignitati diffidimus, sat in tuto est. Et hostem necessitas alio trahit. Quod de Callistrati loco quæris in l. 2. §. quoties, ff. de iure fisc. fateor non sine causa quæri. Perplexa enim verba illa; *Ita ut sententia comprehendatur delatores edicto id comprehendisse.* Et ad ea vulgus Interpretum aut silent aut nugantur. Ex emendatione Cuiaciana aliquid lucis Obser. libr. 19. capit. 2. reponente, *delatoris*: ut sit hic sen-

Pandectarum lex emendatur.

sensus; Si delator tribus edictis evocatus iudicio adesse cessabit, aderit vero possessor, qui delatus est, hoc casu secundum possessorem pronunciabitur: quia delator non fraude possessoris, sed contumacia propria abest, rite excitus. Sed tamen ita demum secundum possessorem pronuntiabitur si *edicto delatoris* (id est, quo delator evocatus est) comminatus fuerit iudex fore, ut possessorem absolveret, nisi delator edicto peremtorio obtemperavit. Quod si delator abesse porro pergat, absolvens iudex possessorem, comminationis illius à se præmissæ mentionem sententiâ suâ comprehendit: ut appareat rite & ordine rem peractam: nec delatori sic admonito superesse caussam ullam excusationis. Eius vero comminationis fit mentio in l. in peremtorio 71. de iudic. Plane hanc Callistrati esse sententiam probabile est, quam evidentissimam fore arbitror, si legamus, *edictum*. Alioqui enim deest vox *Iudex*, aut qua alia. Subtile est, quod coniectas, *Prætores*, pro delatores. Sed ut à te dissentiam, movent hæ caussæ. Primum quia sine auctoritate vel vestigiis MS. hæc mutatio: dein quod nimis aliena à vulgari lectione. Denique quod fiscales hasce causas iurave Principum non memini edictis suis disseruisse Prætores. Et sub Principibus maxime inoleverunt isthæc talia. Nec certe profers partem ullam edicti Prætorii, quæ ad sententiam

ejus

ejus paragraphi pertineat. Sed de his omnibus liberrimus tibi arbitratus esto. De Lipsio si quid forte habes, rescire aveo: sed in primis te complecti, & dulcissimos consuetudinis nostræ fructus :regustare. Vale. Dat. Genevæ, VI. Cal. Mar. cIↄ.Iↄ. XCIII.

EPIST. XCV.

Genevam.

Iosias mercerus Iacobo Lectio V. C.

S.

LOngum silentium tuum eò admiror insolentius, Vir clarissime, quo diligentiam impensiorem novi antea & sensi non semel. Quam hodie mutant in diversum mearum literarum interitus,&casus inopini,an vis negotiorum novo in honore incumbentium humeris non novis; Utut sit, fatigabo ego te potius scriptis meis, quàm non eliciam aliquod tuum, unde & discere possim & lætiscere. Gravis fructus uterque, & dignus qui quæratur, expectetur. Priorem quis ille est, qui non percipiat vel unica ex lineola tua? Posteriorem præ ceteris ego debeo: cui salus tua sine cura, secundæ res sine gaudio, adversæ sine mœrore esse non debent, si is sum, qui debeo. Utrumque fortasse percepi nuper inspectis ad amicos tuis literis. Sed parce: percepi non integrum, non uberem. Et tetigisset magis, si una cum bona va-

letudine cognovissem vigere adhuc animo tuo memoriam, amorem Merceri tui. Plures quidem ad Groslotium nostrum legi, didici, quum in L'slæano essem: unam etiam ad Lucretiani patroni cognominem, quum Lutetiam misissem prolatis hisce non rebus; quæ in foro & luce ipsa iudiciorum: sed verbis & lectionibus. Eam, inquam, quam scripsisti per Dñ. Durantium, cuiq; ego non nomine meo respondeo hoc tempore. Gavisum esse Amplissimum virum, literis tuis; desiderare similes multas: flagitare, quod spondes, illustrationes locorum quorundam insignium: quibus se oblectat ille Semo, libens, quum à gravioribus Philosophiæ ac Theologiæ studiis cessat. Interim ut eliciat tua, velle se ut scias tibi & D. Bezæ, emendationem principii ipsius libelli Tertulliani de Cultu feminarum, quem à se versum in gratiam uxoris vernaculo sermone, dum legit sæpius: non intellectum diu principium, tandem bono Genio emendatum. Et vere sane ait, bono & propitio Genio. Adscriberem integrum locum, si esset ad manum Tertullianus. Nunc hoc tibi habe. Comprehensionem primam eius libri, sine ea est περίοδος, à nemine intellectum adhuc; confusam sine sententia ulla bona, quæ restituitur facillime, si divisæ male voculæ coniungantur: *Qui de meo iure*, scribe, *quidem, eo iure* &c. Vide locum & iudicia.

Tertullianus emendatur.

Salu-

Salutat te postremo ille amicissimus tibi, & nunc non minus, quàm olim fuit. Salve, Clarissime Lecti, & D. Bezam, Bertramum, Gothofredum, Chevalerium, saluta, amabo, ex me. Data Avarici Biturigum A. D. XV. Kalen. Octobres cIↃ.IↃ. LXXXIV.

EPIST. XCVI. Genevam.

Iosias Mercerus doctissimo & optimo Iacobo Lectio IC. S.

PErmolestum est mihi, Lecti doctissime, quod scribendi ad te literas copiæ mihi tam paucæ: simul & accipiendi tuas. Magis tamen utrum molestum sit, per eam si sentio. Ita graviter fero carere me tamdiu eloquentiæ tuæ flumine & illa dulcedine, quæ maxima in moribus tuis, maior aliquanto tamen in literis. Sed ita me ames, Lecti, ut multo gravius dolet, immo pudet, tam diu accepisse te à me nullas literas; quum præsertim, ut nihil aliud esset, quod scriberem, gratias tibi habere verbis ac meminisse deberem tanti illius beneficii, quo me beasti non merentem, ac devinxisti æternum tibi. Dico, tibi tamen, Lecti, non periit omnino opera tua, quando amicum habes firmum, fidelem, fatentem tibi debere plurimum, conaturum etiam, quando illi placuerit, qui supra nos curat, ut ingratus non videatur: imo non sit. Experiri te id mavelim reipsa, quàm verbis, & facies me vo-

lente, quum opera mea, opes, amici usui tibi esse potuerunt. Certe ut operam non habeas, animum semper habebis tuum. Unum rogo te, ut qui typographum conciliasti mihi, bonum, fidelem, non triconem, non nugatorem hominem, urgeas interdum, si cessare videbitur: adiuves etiam in quibusdam consilio, iudicio tuo. Pergas obligare tibi non me solum, sed bonos omnes & doctos, quorum res agitur. De Taciti loco, quæso, ne invideas nobis sententiam tuam. Lib. Hist. v, in descriptione Hierosolymæ: *Hierosolyma gente caput. Illic immensæ opulentiæ templum, & primis munimentis, urbs deingis, templum intimis clausum.* Desperat eruditissimus Lipsius; quidni in loco tam corrupto? Scriptura Farnesiani, *urbs deingia*; Vaticani, *urbs ob deingia.* Certe uterq;, *gia* non *gis*. Credo scriptum fuisse *urbs deinde gia*, quod mutatum sit compendii vitio *deingia*. Id litera una immutata fiet, *primis munimentis urbs, dein regia, templum intimis clausum.* Clara sententia, certe vera. Infra non longe ab hoc loco: *Extrema rupis abrupta, & turres, ubi mons iuuisset, in sexaginta pedes, inter devexa in centenos vicenosq; attollebantur mira specie, ac procul intuentibus pares. Alia intus mœnia regiæ circumvecta, cōspicuoq; fastigio turris, Antonio in honorem M. Antonii ab Herode appellata. Templum in modum arcis, propriiq; muri, &c.* Verum esse hoc puto, cum hac exceptione tamen, si placuerit tibi, cuius summum

Tacitus emendatur.

mum in omnibus scriptoribus, Tacito verò præcipue, iudicium admiror, amo: Humanitatem amabo, dum ero vivus. Vale, vir doctissime. Data Lut. Par. A. D. II. Kalen. Mart. cIↃ. Ic. LXXXIV.

EPIST. XCVII.

Geneuam.

Iosias Mercerus Lectio Doctissimo S.

CArrionis emendationes editæ sunt. In iis multa putida: quædam laudes, sed è libris: plures culpæ; nec felix congressus cum Scalano. Multa emendata in Symmacho ex MSS. ut tu in tuo libro, & nos ex te habuimus. Editæ etiam quinque ex iis Epistolis, quas habuimus: in iis una, cuius initium, *Evecio meo gratulor*, ridicule nimis: quæ eadem à Iureto edita sit pag. 50. duabus voculis secus. Vale, & me ama. Eid. Novembr. cIↃ.IↃ.LXXXIII.

Lud. Carrionis Emendationum libri. Symmachi epistolæ.

EPIST. XCIIX.

P. Guirandus Alosianus IC. Andreæ Arnaudo Præfecto Provinciæ in sede Forcalqueriana S.

VEnit *Petronius* novæ editionis in manus. Tu petis, ut mittam; & quasi querendo quæris, quid de Arbitro arbitrer. Placet,

De Petronio iudicium.

& tædet dicere. Placet, quia multa placent, Nam sive defæcati sermonis puritiam spectes, merus lepos: sive priscas negotiorum formulas, multæ, & elegantes. Tædet, quia ple:aq; quorum me tædet: seu quæ abominor prorsus. Vis enim illas venerandæ antiquitatis gēmas legere? Has necesse est quæras in putore, seu stercore rabidi, & nefandi illius Cupidinis: cujus fœtidissimæ faces, imo fæces in eiusmodi quæstu tibi elucebunt, Proh Christiani pudoris candorem? Et hoc vidit Lipsianus Dousa, hoc Richardus; illius Præcidanea, huius Notæ librum exornant. At improbanda non approbant. Esto, sed quid vetabat, turpia expungere? Hæc si demas, dicent, quid reliqui fiet? Verum, inquam, quid impediebat, pro *Gitone* Gitonam reponere? Hei mihi: quàm pessimo exemplo talia luce donantur: & quā carissimo pretio hæ vetustatis reliquiæ, & cineres nobis emuntur. Quotus enim quisque est, qui ejusmodi ne quidem antea cogitata, semel tamen lecta stupefactus non admiretur: & inter admirationem, & incredulitatem fluctuans ad aliquid turpe cæca quadam cogitatione ebrius non pelliciatur? Erubescant igitur, qui talia legenda exhibent. In exercentes insurgant leges, armentur iura gladio ultore. Vel potius, ô

Flamine qui terras terres, & fulmine torres,
Fulmine fac subito talia monstra peti.

Mo-

Modestius ibi Linocerius post phaleucos longe minus turpes, addit: *Cætera nisi eloquenti Timantis silentio, dicere pudor non sustinuit.* Quid tandem? ais. Amica sermonis elegantia, amici sales, amica veterum monumenta: sed amicior naturæ honos, quem Christianus pudor æmulatur. Prisci nostræ fidei lumine quasi hoc sibi suo quasi iure arrogant. Nos alio iure utimur: & cum naturam, cum rationem optimas sequimur duces.

Hoc etiam te moveat, Arnaude, quod in eodem codice extat *Lusus in puellæ lacrymas:* isque adhuc incerto auctore. Extant oculi, non flammeoli, & sereni: sed nubili, lippi, & parum pristini honoris retinentes. Extant: sed ita pro derelicto, ut eos nullus commendatione vel tantilla dignetur. In re natura sua fœdissima non tam detergenda, quàm detegenda toti lincei: rem casu deturpatam, alioqui mundissimam, nescio quo fastidio delicatuli contemnunt. Quales quales attamen mitto, ut eos conferas cum illis à te multis in locis restitutis. Num autem distinctione nostra cum principium, tum cætera aliquantillum eluciden- tur, tu videbis.

Petronii carmen, quod incipit, Candida sidereis, &c

Vale.



EPIST. XCIX.

Altorphium.

M. Michael Riccartus Francus Melchiori Goldasto ab Häiminsfeld, Nobili Helvetio, Adolescenti doctissimo, Amico meo.

FAmiliaris tuus Plautus, Amicissime Goldaste, Mercat. SC. Profecto: *Non sum unquam*, ait *occupatus amico operam dare*. Tu, quin idem sentias, ut qui non verba saltim, ad multorum hoc seculo morem, ex eo captas, sed optima seligendo, æmulari studiose consuevisti, minime ambigo. Quare, ut, quid hodie, studiis gravioribus turbatis, mihi turbas eas decoxerit, videas quæso mecum & in sententia mentem fluctuantem edoceas. Cistellaria scilicet principe commendat Lena Selenio Gymnasium, quod prompta sit ipsius mandatis. Hæc sive apud Selenium, quæ nedum omnem Deo oraverat pudorem, verecundia dedecori Matris putaticiæ voluntatem prætexit, sive huic ablanditur, ab illa audit:

Plautus emendatur.

Ecastor haut me pœnitet, si, ut dicis, ita futura es
Nam si quidem ita eris, ut volo, numquam ætate Hecale fies.
Semperq; istã quã nũc habes ætatulam obtinebis.

Sensus omnino hic est: illud quidem quod dixisti modo, & iucundum est mihi auditu & tibi maxime probum commodumq; futurum:

ita

Ita enim, dum ad meum vivere te adcommodas ſenſum, facis ut eductionis me tuæ nunquam pœnitere poſſit; tu etiam quamdiu vitam hanc ſuperis faventibus, exiges, paupere nulla (nam *Hecale* Callimachina quæ fuerit, quid attinet te monere) premeris. Hic ſi eſt ſenſus, ut eſt veriſſimus, mirum quantum mihi pro illo: *Ætate*, adiecta litera placeat: *Ætatem*. *Ætatem*, id eſt quam diu vivam. Aſin. SC. ubi ego: inquit ſervus: *Ætatem velim ſervire, Libanum ut conveniam modo.* Menæch. SC. Nimis ſtulte inquit mulier: *Me meam ætatem eſſe viduam mavelim.* Memini & Ennium ita loqui. Et A gell. *Ætatem alicubi agere*, id eſt diutiſſime, quem vide lib. 15. cap. 2. princip. *Ex inſula Creta quiſpiam Athenis ætatem agens &c.* *Ætate*, etſi Plautinum adnoſco, ſic tamen & hac notione poſitum nullus vidi, ſed plerumque idem valere, quod propter ætatem, commemini. Moſt. SC. Iam pridem, Lena dehortatur Philematium, ne ſolum inſerviat Philolachetem amantem, in aliis rationibus ſic etiam inquit:

Ætatem.

Ætate.

Te deſerat ille ætate & ſatietate,

id eſt, propter ætatem, cum (ut ſequitur) meæ quondam erit ſimilis. Fab. eadem, ſc. Melius, ubi ſervus diu perſuadere ſe ſenibus poſtulat, ut videant picturam, quæ in ſervi mente non in mundo erat, tamdem diu ſatis ludifactos, alteri dicit:

Ignoſco,

Ignosco, ætate non quis obtuerier.
quasi dicat: Senectus ut alia multa secum trahit mala, ita visum etiam hebetat: adeoque veniam tibi lubentiorem facit, quò minus indigner, quòd picturam, quum oculis tuis oppono, non queas pervidere. Et hac quidem notione sexcenta tanta alibi reperias. At de hoc ita dictum esto. In Apuleio (editione Vulcani) lib. de Mund. non ita longe à principino, displicet mihi duriuscula illa repetitio, insolens præsertim in aliis scriptis huic auctori, quando inquit: *Quare & eius, qui nobis unius loci ingenia aut qualitates describunt, aut amœnia urbis, aut alicuius amnis fluenta & amœnitates ac magnitudines montium, alia multa descripta ab aliis plerique studiose legunt, &c.* Erat cum leg. suspicarer pro priore: *Amœnia*, resecta litera *mœnia*, & postea Editio vetus Florentina mecum consentiebat, sed contra tantos ego non hisco Editores Colvium & vulcanium. Coronidis vicem habe illud ex eodem Auctore lib. 5. de Asin. novem lineis ab initio aut præter propter Vulcanius nobis legit: *Iam scies ab introitu primo Dei cuiuspiam luculentum & amœnum videre te diversorium.* Stomachus meus non potest concoquere illud; *scies*. Quid si, *scires*, leg. φερέσει Plauto, Petronio, aliis solentissima, ut docuit nos præceptor noster Schoppius ad illud Most. SC. tam pridem: *Insperata sæpius adcidunt, quam quæ speres.* Quem Lectissime Goldaste.

Apuleius emendatur.

daste, vide, & has nugas nostras ride, aut si mavis iudicium de iis perscribendo tuum, me edoce. Vale.

EPIST. C. Altorphium.

M. Michael Piccartus Francus Melchiori Goldasto ab Haimensfeld, Nobili Heluetio, S.

SUnt profecto ista, Eruditissime Goldaste, quæ de Vigilio tu here ad me perscripsisti. Gravis & doctus ille est Theologus, quiq; facile nobis fidem faciat, se Athenis studuisse & veræ pietatis fundamenta probe tenuisse. Quod vero opem illi mire contaminato à me tibi promittis, in eo multum sane frustra es. Scis Manuscriptos nullos in mundo nobis, ingeniique tarditatem nosti, quidque requirat persanare Auctores seu scriptores Latinos velle, iuxta mecum agnoscis. Taceo, quantopere Præceptor noster Schoppius reprehendat audaculos illos, qui integros conjecturarum libros nullo omnino libro veteri adjuti, solo ingenio suo & divinandi scientia freti producunt. Periculosæ plenum opus aleæ fuerit proin tale quid tentare. Interim tamen hisce feriis non potui mihi temperare, quin me risui quibusdam amicis nostris exponerem. Quarum partem aliquam (de correctionibus loquor) ad te mittere placuit. Vide ergo quæso ad Apuleium Vulcani pagina 94. libro

D. Vigilius Martyr

Apuleius emendatur.

libro 6. Metamorph. *Et audaciter in capillos ejus immissa manu trahebat eam nequaquam renitentem.* Pro *nequaquam* lego *nequiquam*, id est sine effectu renitentem. Trahere enim dicimus nolentem. Eod. libro 6. pagina 105. legis verba puellæ asino vehentis (ut alibi loquitur :) *visetur & in fabulis audietur, doctorumq; stilis rudis perpetuabitur, historia &c.* non possum intelligere illud *rudis perpetuabitur.* Legend. censéo, *doctorumq; stilis totis perpetuabitur. Totis* pro omnibus Apuleianum esse nosti, ut qui optime. Ita alibi: *Accumbebat cum sua Iunone Iuppiter, & deinde per ordinem toti Dei.* Rursum: *Tunc quidem totarum mulierum secta moresq; de asini pendebant iudicio.* Iterum: *Canes venationis indageni generosæ &c totos præcingunt aditus.* nisi forte melius placeat, *rudis perpolietur.* Lib 8. pag. 133. in fuga servorum Lepolemi hæc leguntur : *Gerebamus infantulos & mulieres: gerebamus pullos, anseres, hædos, catellos.* Quid, malum *Catellos*? Num & rustici eos in deliciis habent, Apage sis, & lege *capellas.* ita pag. 135. *Quem circum capellæ pascentes.* Unum addam ex Plaut, Mercat. Sc. Homo me &c. Ubi adolescens Charinus miseriam suam deplorans animosque decem in pectore suo incertos errantes habens inter alia ait :

Toti.

Capellæ rusticorũ deliciæ.

Plautus emendatur.

Nunc si dico, ut res est, atq; illam mihi me
Emisse indico, quemadmodum existimet me?
Atq; illam abstrahat, trans mare hinc venũ adportet.

Quæ-

Quæso vide, quam intricatus, immo nullus sensus. Ego sic censebam legi commode posse. Primum versum non muto, secundum sic lego:

Emisse indico: quem ad modum is æstimet me?
Atque illam abstrahet, trans mare hinc venum asportans.

Sensus hic erit: Quod si verum fratri dicam, fraterq; me animi causa eam mihi emisse, quid ille de me iudicabit, immutatum me, nulliusque frugi dicet factum, & quam primum illam à me abstrahere conabitur trans mare venalē asportans. *Atq;* pro statim, Plauto nihil familiarius. Alibi: *Atq; ego lembum conspicor.* Eadem Fabula Sc. Amice, leg: Atque.

Ly: *Bonam hercle te & frugi arbitror matura iam indeæ.*
Quoniam scis facere officium tuum mulier. Pa. pol docta didici.

In secundo versu malim legere, *Pa. Domo docta didici.* Vide quæso Scopp. lib. 3. susp. Ep. XI. ubi similiter hac ipsa scena locum emendat. Domi doctus.

Hæc, Amicissime Goldaste, ad te mittere volui, ut quid sub initium huius anni (quem tibi felicissimum voveo) egerim, videas: Quæ si punctum Clarissimi Hospitis tui iuxta tecum auferunt, facient, ut plura talia te duce à me habeas. Interim valeas & amantem redames. Conradi Rittershusii IC.

FINIS.

RI-

RICHARDI DE BURI EPISCOPI DUNELMENSIS, Eduardi III, Anglorum Regis Cancellarii, & Thesaurarii Regni


PHILOBIBLION.

item

BESSARIONIS PATRIARCHÆ Constantinopolitani & Cardinalis Thusculani

EPISTOLA

Ad Principem Senatumque Venetorum missa anno 1469. qua Bibliothecam suam omnis generis libris instructissimam eidem Senatui defert ac donat.



Ex Bibliotheca & recensione

MELCHIORIS HAIMINSFELDII GOLDASTI.

IOH.

Iohannes Trithemius Abbas Spanhemensis de scriptoribus Ecclesiasticis:

RIchardus de Bury Episcopus Dunelmensis, Eduardi Anglorum Regis III Cancellarius, ad quam Francisci Petrarchæ de Tule insula interrogantis exstat epistola, vir in divinis scripturis studiosissimus & valde eruditus, atq; in secularibus literis sufficienter instructus, librorum amator singularis & celeberrimus, multis expensis & laboribus in Universitate Oxoniensi insignem Bibliothecam fundavit, quam ad publicam utilitatem inibi Studentium incredibili studio instituit. Scripsit de amore librorum & institutione dictæ Bibliothecæ pulcherrimum tractatum, quem Græco sermone prænotavit *Philobiblion*, & sic incipit post prologum, *Thesaurus desiderabilis*. Claruit autem sub Carolo Imperatore IV. anno Domini M. CCC. L.

Iodocus Badius Ascensius Domino Confessori Regio Cistarciensium Episcopo, Magistro nostro, Laurētio Burello Carmelitæ candidissimo, doctissimo & disertissimo, cum omni reverentia S.

ACcepimus his diebus, Laurenti Pater optime, lepidum quoddam opusculū, *Philobiblion* ab authore scriptum, & à tua paterni-

nitate ut imprimendum curemus ad nos trãsmissum. Quam quidem provinciam, cum nullã recusare nec velim nec audeam, lubentissimus obivi, quod & tuis laudatissimis institutis dignã, & frigentib. omnino languentibusq; in re literaria animis perquã salubrẽ norim. Siquidẽ à teneris unguiculis, si vera de te prædicant, omnes bonos codices, ubi ubi fuerint, è situ ac tenebris in lucẽ edidisti, præsagio nimirũ felicissimo, quo te per literarũ ornamentum morumq; specimen ad tantũ culmẽ emersurũ bonus inspiravit animus. Salubrem autẽ desidibꝰ fore provinciam hanc auguro, quod (sit modo ulla in eis honesti animi vena) erubuerint tã preciosam suppellectilem (de libris loquor) hactenus neglexisse. Unum tamen vereor, quod & ægerrimo cuiq; evenire solet, quia hæc desidiæ præsentissima antidota sumere aut (ut Medici dicunt) recipere contemnent. Sicut n. in concionib. frustra quodammodo admoneas, quia non cõparent pessimos, ita in claris codicibus, quia lecturi non sint, pigerrimos. Utrobique tamen tuo, Pater in primis observande, rectissime fungendum censes munere. Vale & Ioannem Parvum Bibliopolam optimum, qui hoc munus nobiscum suscepit, nobiscum amore tuo prosequere. Ex Lutetia Parhisiorum, ad Calendas Martias, anno iuxta eorundem calculos, M. D.

Richardi de Buri Episcopi Dunelmensis Philobiblion. Prologus.

UNiuersis Christi fidelibus, ad quos præsentis scripturæ tenor pervenerit, Richardus de Buri miseratione divina Dunelminensis Episcopus salutē in domino sempiternā, piāq; ipsius præsentare memoriā iugiter coram Deo in vita pariter & post fata. *Quid retribuam domino pro omnib. quæ retribuit mihi?* devotissimꝰ investigat Psalmista rex invictꝰ & eximiꝰ prophetarū. In qua quæstione gratissima semetipsum redditorē voluntariū, debitorem multiphariū, & sanctiorē optantē consiliarium recognoscit concordans cum Aristotele Philosophorū principe, qui omnē de agibilib. quæstionem *cōsiliū* probat esse tertio & sexto ethicorū. Sane si propheta, tā mirabilis secretorū præscius divinorū præcōsulere volebat tā sollicite, quomodo grate posset gratis data refundere, quid nos rudes regratiatores, & avidissimi receptores, onusti divinis beneficiis infinitis poterimꝰ digniꝰ velle? Proculdubio deliberatione sollerti & circūspectiōe multiplici, invitato primitus spū septiformi quatenus in nostra meditatione ignis illuminans exardescat, viā impedibilē prævidere debemꝰ attentius, quo largitor omniū de collatis munerib. suis sponte veneretur reciproce, proximus reveletur ab onere, reatus contractꝰ per peccātes quotidie eleemosynaru remediis redimant. Huiꝰ ergo devotionis monitione

præventus ab eo, qui solus bonam hominis & prævenit voluntatem & perficit; sine quo nec sufficientia suppetit cogitandi; cuius quidquid boni fecerimus non ambigimus esse munꝰ, diligenter tam penes nos, quàm cum aliis inquirendo discussimus, quod inter diversorum generum pietatis officia primo gradu placeret altissimo, prodessetque potius ecclesiæ militanti. Et ecce mox nostræ considerationis aspectibus grex occurrit scholarium elegorum, quin potius electorum, in quibus Deus artifex & ancilla natura morum optimorum & scientiarum celebriũ plantaverunt radices; scilicet ita eos rei familiaris oppressit penuria, quod obstãte fortuna contraria, semina tã fœcunda virtutum, in inculto iuventutis agro roris debiti non rigata favore, arescere compelluntur. Quo fit *ut lateat in obscuris condita virtus clara*, ut verbis alludamus Boetii, & ardentes lucernæ non ponuntur sub modio, scilicet præ defectu olei penitus extinguuntur: sic ager in vere floriger ante messem exaruit; sic frumenta in lolium, & vites degenerant in labruscas. Ac sic in oleastros olivæ silvescunt, marcescunt omnino tenellæ trabeculæ, & qui in fortes columnas ecclesiæ poterant excrevisse subtilis ingenii capacitate dotati studiorum gymnasia derelinquunt. Sola invidia novercante repelluntur à philosophiæ nectareo poculo violenter, quam primo gustaverunt

pro-

proprio guſtu ferventius ſitibundi, liberalibus artibus habiles, & ſcripturis tantum diſpoſiti contemplandis orbati neceſſariorum ſubſidiis quaſi quadam apoſtaſiæ ſpecie ad artes mechanicas propter victus ſolius ſuffragia ad eccleſiæ diſpendium & totius cleri vilipendium revertuntur. Sic mater eccleſia pariendo filios abortire compellitur, quin immo ab utero fœtus informis menſtruoſe diſrumpitur, & pro paucis minimiſque quibus contentatur natura alumnos amittit egregios poſtea promovendos in pugiles fidei & athletas. Heu quàm repente tela ſuccidițur, dum texentis manus orditur! Heu quod ſol eclipſatur iu aurora clariſſima & planeta progrediens regiratur retrogade, ac naturam & ſpeciem veræ ſtellæ prætendens ſubito decidit, & fit Aſſub. Quid poterit pius homo intueri miſerius? quid miſericordiæ viſcera penetrabit acutius? quid cor congelatum intus in calentes guttas reſolvit facilius? Amplius ergo arguentes à ſenſu contrario quantum profuit toti reipublicæ Chriſtianæ non quidem Sardanapali deliciis neque Crœſi divitiis enutrire ſtudentes, ſed melius mediocritate ſcholaſtica ſuffragari pauperibus ex eventu præterito recordemur. Quot oculis vidimus, quot ex ſcripturis collegimus, nulla ſuorum natalium claritate fulgentes, nullius hereditatis ſucceſſione gaudentes, ſed tantum pro-

borum virorum pietate suffultos, Apostolicas cathedras meruisse? subiectis fidelibus præfuisse probissime? & superborum & humilium colla iugo ecclesiastico subiecisse, & procurasse propensius ecclesiæ libertatem? Quamobrem perlustratis humanis egestatibus usquequaque caritativæ considerationis intuitu, huic tam caliginoso generi hominum, in quibus tamen tanta re dolet spes profectus ecclesiæ, prælegit peculiariter nostræ compassionis affectio pium ferre præsidium, & eisdem non solum de necessariis victui, verum multo magis de libris utilissimis studio providere. Ad hunc effectum acceptissimum coram domino nostra iam ab olim vigilavit intentio indefessa. Hic quidem amor extaticus tam potenter nos rapuit, ut terrenis aliis abdicatis ab animo acquirendorum librorum solummodo flagremus affectu. Ut ergo nostri finis intentio tam posteris pateat quam modernis, & ora loquentium perversa quantum ad nos pertinet obstruamus perpetuo, tractatum parvulum edidimus: stilo quidem levissimo modernorum. Est enim ridiculum rethoricis, quando levis materia scribitur grandi stilo. Qui tractatus amorem, quem ad libros habuimus, ab excessu purgabit, devotionis intentæ propositum propalabit, & circumstantias facti nostri pervi-

gin;

ginti divisi capitula luce clarius enarrabit. Quia vero de amore librorum principaliter differit, placuit nobis more veterum latinorum ipsum græco vocabulo Philobiblion amicabiliter nuncupare.

Explicit prologus.

De commendatione sapientiæ & librorum in quibus sapientia habitat. Capitulum primum.

THesaurus desiderabilis sapientiæ & scientiæ, quem omnes homines per instrictum naturæ desiderant, cunctas mundi transcendit divitias infinite: cuius respectu lapides preciosi vilescunt: in cuius comparatione argentum lutescit & aurum obriscum exigua fit arena: cuius splendore tenebrescunt visui sol & luna: cuius dulcore, mirabili amarescunt gustui mel & manna. O valor sapientiæ non marcescens ex tempore virtus virens assidue, omne virus evacuans ab habente! O munus cœleste liberalitatis divinæ descendens à patre luminum, ut mentem rationalem provehas usque ad cœlum! Tu es intellectus cœlestis alimonia, quem qui edunt adhuc esurient, quem qui bibunt adhuc sitient: & languentium animas armonia lætificans, quam qui audit nullatenus confundetur.

Tu es morum moderatrix & regula, secundum quam operans non peccabit. *Per te reges regnant & legum conditores iusta decernunt.* Per te deposita rusticitate naturæ elimatis ingeniis atque linguis vitiorum sentibus coëffossis radicitus, apices consequuntur honorum, fiuntque patres patriæ & comites principum. Qui sine te conflassent lanceas in ligones & vomeres, vel cum filio prodigo pascerent fortasse sues.

Quo namque sic lates potissime multum prælecte thesaure? & ubi te invenient animæ sitibundæ; In libris quidem procul dubio posuisti tabernaculum desiderabile tuum, ubi te fundavit altissimus, lumen luminum, liber vitæ. Ibi namque te omnis qui petit, accipit: qui quærit, invenit: & pulsantibus citius aperietur. In his Cherubin alas suas extendunt, & intellectus studentium ascendunt, & à polo usque ad polum prospiciunt, à solis ortu usque ad occasum, ab aquilone & mari. In his incomprehensibilis ipse Deus altissimus apprehensibiliter continetur & colitur. In his patet natura cœlestium, terrestrium & infernorum. In his cernuntur iura, quibus omnis regitur politia, hierarchiæ cælestis distinguuntur officia, & dæmonum tyrannides describuntur, qvos nec ideæ Platonis exsuperant, nec Crathonis cathedra continebat. In libris mor-

mortuos quasi vivos invenio: in libris futura prævideo: in libris res bellicæ disponuntur: de libris prodeunt iura pacis. Omnia corrumpuntur & tabescunt in tempore: Saturnus quos generat, devorare non cessat: quoniam mundi gloriam operiret oblivio, nisi Deus mortalibus librorum remedia providisset. Alexander orbis dominator, Iulius orbis & urbis invasor, qui & in arce & arte primus, in unitate personæ assumpsit imperiũ. Fidelis Fabricius & Cathorigidus hodie caruissent memoria, si librorum suffragia defuissent. Turres ad terram sunt dirutæ; civitates eversæ putredine perierunt triumphales? nec quicquam reperiet Rex vel Papa, quo perenniter priuilegium conferatur commodius, quàm per libros. Reddit vicissitudinem liber factus, ut quamdiu liber superetit actor manens athanatos nequeat interire, teste Ptolomæo in prologo Almagesti: *Non fuit*, inquit, *mortuus, qui scientiam vivificavit*. Quis igitur infinito thesauro librorum doctus scriba profert nova & vetera per quodcunque alterius speciei precium limitabit? veritas vincens super omnia, quæ regem vivum & mulieres supergreditur, quàm amicis præhonorare beneficium obtinet sanctitatis: quæ est & via sine devio & vita sine termino. Cui sacer Boetius attribuit triplex esse, in mente, voce & scripto. In libris videtur manere utilius & fructificare

fœcundius ad profectum. Nam veritas vocis perit cum sonitu: veritas mente latent est sapientia abscons a & thesaurus invisus: veritas vero quæ lucet in libris omni se disciplinali sensui manifestare desiderat. Visui dum legitur: auditui dum auditur, amplius vero & tactui se commendat quodammodo, dum transcribi se sustinet, colligari, corrigi, & servari. Veritas enim mentis clausa licet sit possessio nobilis animi, tamen cum caret socio non constat esse iocundam, de qua nec visus iudicat nec auditus. Veritas vero vocis soli patet auditui, visum latens qui plures nobis differentias rerum ostendit, affixaque subtilissimo motui incipit & desinit quasi simul. Sed veritas scripta libri non successiva sed permanens palam se præbet aspectui, & per spirituales vias oculorum veluti vestibula ac sensus communis & imaginationis atria transiens thalamum intellectus ingreditur in cubile memoriæ se recondens, ubi æternam mentis congenerat veritatem. Postremò pensandum quanta doctrinæ commoditas sit in libris, quam facilis, quam archana, quam toto libris humanæ ignorantiæ paupertatem sine verecundia denudamus. Hi sunt magistri qui nos instruunt sine virgis & ferula, sine verbis & cholera, sine pannis & pecunia. Si accedis non dormiunt, si inquirens interrogas, non se abscondunt, non remurmurant si oberres cachin-

chinnos, nesciunt si ignores. O libri soli liberales & liberi? qui omni petenti tributis, & omnes manumittitis vobis sedulo servientes. Quot rerum milibus typice viris doctis recommendamini in scriptura modo divinitus inspirata. Vos enim estis profundissimæ sophiæ fodinæ: ad quas sapiens filium suum mittit ut inde thesauros effodiat, proverbiorum quinto. Vos putei aquarum viventium, quos pater Abraham primo fodit, Isaac eruderavit, quosque nituntur obstruere Philistini, genesis vicesimo sexto. Vos estis revera spicæ gratissimæ, plenæ granis, solis Apostolicis manibus confricandæ, ut egrediatur cibus gratissimus famelicis animabus, Mathæi XII. Vos estis urnæ aureæ, quibus manna reconditur atque petræ mellifluæ, imo potius favi mellis, ubera uberrima lactis vitæ, promptuaria semper plena. Vos lignum vitæ, atque quadripartitus fluvius Paradisi, quo mens humana pascitur, & aridus intellectus imbuitur & rigatur. Vos archa Noæ & scala Iacob, canalesque quibus fœtus intuentium coloratur. Vos lapides testimonii, & lagenæ servantes lampades Gedeonis, pera David de qua limpidissimi lapides extrahuntur ut Goliath prosternatur. Vos estis aurea vasa templi, arma clericorum militiæ quibus tela nequissimi destruuntur, olivæ fœcundæ, vineæ Engadi, ficus sterilescere nescientes, lucernæ ardentes, Et opti-

optima quæq; scripturæ libris adaptare poterimus, si loqui libeat figurate.

Capitulum autem istud secundum canit, quod libri divitiis & deliciis corporalibus sunt præponendi.

SI quodlibet iuxta gradum valoris gradum mereatur amoris, valorem verò librorum ineffabilem persuadet præsens capitulum, non tamen liquet lectori, quid sit concludendum probabiliter. Non enim demonstrationibus in morali materia utimur, recordantes quoniam disciplinati hominis est certitudinem quærere, sicut rei naturam perspexerit tolerare, Aristotele Philosopho attestante ethicorum primo & metaphysicæ secundo; quoniam nec Tullius requirit Euclidem, nec Euclidi Tullius facit fidem. Hoc revera sive logice sive rethorice suadere conamur, quod quæcunque divitiæ vel deliciæ cedere debent libris in anima spirituali, ubi spiritus qui est charitas, ordinat charitatem. Primo quidem, quia in libris sapientia continetur plusquam omnes mortales comprehendunt. Sapientia verò divitias vilipendit sicut capitulum antecedens allegat. Præterea Aristoteles de problematibus tertio problemate decimo, istam determinat quæstionem, *propter quid antiqui in gymnasticis & corporalibꝰ agoniis præmia statuerunt potiorib. nullũ uno præmiũ sapientiæ decreverunt? hanc quæstionem ita solvit: in gymnasticis*

ex-

exercitiũ præmium eſt melius & eligibilius illo, pro quo datur. Sapientia autem nihil meliꝰ eſſe conſtat. Quamobrem ſapientiæ nullum potuit præmium aſſignari. Igitur nec divitiæ nec deliciæ ſapientiã antecellunt. Rurſus amicitiã divitiis præponẽdam eſſe ſolus negabit inſipiens, cum ſapientiſſimus hoc teſtatur, amicitiæ vero veritatem Archiphiloſophꝰ præhonorat, & verus Zorobabel omnibꝰ anteponit. Subſunt igitur deliciæ veritati. Veritatem verò potiſſime & tuentur & continent ſatis libri, immo ſunt veritas ipſa ſcripta, quia pro nunc librorum aſſeres librorum non aſſerimus eſſe partes. Quamobrem divitiæ ſubſunt libris, præſertim cum precioſiſſimum genus divitiarum omnium ſint amici, ſicut ſecundo de conſolatione teſtatur Boetius: quibus tamen librorum veritas eſt per Ariſtotelem præferenda. Amplius vero cum divitiæ ad ſolius corporis ſubſidia primo & principaliter pertinere noſcantur: veritas verò librorum ſit perfectio rationis, quæ *bonum humanum* proprie nominatur. Ergo apparet, quod libri homini ratione utenti ſunt divitiis cariores. Præterea enim illud, quo fides defenditur commodius, dilatatur diffuſius, prædicatur lucidius, diligibilius debet eſſe fideli. Hoc autem eſt librorum veritas libris inſcripta. Quod evidentius figuravit ſalvator, quando contra tentationem præliaturus viriliter ſe ſcuto circumdedit veritatis, non cuiuſlibet

libet sed scriptæ, scriptum est præmittens, quod vivæ vocis articulo erat prolaturus, Mathæi 4. Rursus igitur felicitatem nemo dubitat esse divitiis præponendam. Consistit enim felicitas in operatione nobilissimæ & divinioris potentiæ quã habemus, dum videlicet intellectus vacat totaliter veritati sapientiæ contemplandæ: quæ est delectabilissima omniũ operationũ secundũ virtutẽ, sicut princeps Philosophorũ Arist. determinat qvarto ethicorum, propter quod & philosophia videtur habere admirabiles delectationes puritate & firmitate, ut ibidem scribitur consequenter. Contemplatio autẽ veritatis nũquã est perfectior quã per libros, dum actualis imaginatio continuata per actũ intellectus super visas veritates non sustinet interrumpi. Quamobrem libri videntur esse felicitatis speculativæ immediatissima instrumenta. Unde Arist. sol physicæ veritatis ubi de eligendis distribuit methodos, docet quod philosophari est simpliciter eligibilius quã ditari, quãvis casu ex circustantiis puta necessariis indigenti ditari quam philosophari sit potius eligendi, tertio topicorũ. Adhæc cum nobis libri sint commodissimi magistri, ut præcedens assumit capitulũ, eisdẽ non imerito tam amorem quam honorem tribuere convenit magistralem. Tandẽ cum omnes natura scire desiderant, ac per libros sciam veritatis præoptandam diviciis omnibus adipisci possimus, quis ho-

homo secundum naturam vivens librorum nō habeat appetitum? quamvis vero porcos margaritas spernere videamus, nihil in hoc prudētis læditur opinio, quo minus oblatas comparet margaritas. Preciosior igitur est cunctis opib. sapientiæ libraria, & omnia quæ desiderantur hinc non valent comparari, proverbiorum tertio. Quisquis igitur se fatetur veritatis, felicitatis, sapientiæ scientiæ, vel etiam fidei zelatorem, librorum necesse est se fateatur amatorē.

Capitulum quidem tertium quod libri semper debent emi, nisi in duobus casibus.

COrrelarium nobis gratum de prædictis elicimus, paucis tñ (ut credimus) acceptādum. Nulla videlicet debere caristiam hominē impedire ab emptione librorum cum sibi suppetat quod petitur pro eisdem, nisi ut obsistatur maliciæ venditoris, vel tempus emendi opportunius expectetur. Quoniam si sola sapientia præcipuum facit libri, quæ est infinitus thesaurus hominib9 & si valor librorū est ineffabilis, ut prædicta supponūt, qualiter probabitur carum esse commertium, ubi bonum emitur infinitum? Quapropter libros libenter emendos & invite vendendos sol hoim Salomon nos hortatur, Prov. XXIII. *veritatem*, inquit, *eme & noli vendere sapientiam*, sed quod rethorice vel logice suademus astruam9 historiis rei gestæ, Archiphilosophus Aristoteles, quem Averroes datum putat quasi regulam in natura, paucos li-

libros Speusippi post ipsius decessum pro septuaginta duobus millibus sestertiis statim emit. Plato prior tempore sed doctrinis posterior Philaloi Pythagorici librum emit pro millibus denariorum, de quo dicitur Thimæi dialogum excerpsisse. Sic refert A. Gellius noctium acticarum libro secundo, capitulo decimo sexto. Hæc autem narrat Aulus Gellius, ut perpendat insipiens quantum vilipendant sapientes pecuniam comparatione librorum. Et econtrario, ut omni superbiæ stultitiam cognoscamus annexam, libet hic Tarquinii Superbi stultitiam recensere in parvipensione librorum, quam refert idem Aulus Gellius libro primo noctium acticarum capitulo nonodecimo, Vetula quædam omnino incognita ad Tarquinium Superbum Regem Romanorum septimum dicitur accessisse, venales offerens novem libros, in quibus (ut asseruit) divina continebantur oracula, scilicet immensam pro iisdem poposcit pecuniam, intantum ut Rex diceret, eandem delirare. Illa commota tres libros in ignem proiecit, & pro residuis summam, quam prius, exegit, Rege negante, rursus tres libros in ignem proiecit, & adhæc pro tribus residuis eandem summam poposcit. Tandem stupefactus supra modum Tarquinius summam pro tribus gaudet exsolvere, pro qua novem poterat redemisse. Vetula statim disparuit, quæ nec prius

prius nec postea visa fuerat. Hi sunt libri Sibyllini, quos quasi quoddam divinum oraculum per aliquem de quindecim viris consulebant Romani & quindecim viratus creditur officium habuisse. Quid aliter hæc Sibylla Prophetissa tam vario facto superbum Regem edocuit, nisi quod vasa sapientia sacri libri omnem humanam æstimationem excedunt? Et sicut de regno cœlorum dicitur, tantum valet, quantum habes.

Capitulum quartum quanta bona proveniunt per libros, & quod mali clerici sunt libris plurimum ingrati.

PRogenies viperarum parentes proprios perimens, atq; semen nequam ingratissimi cuculi, quæ cum vires acceperit viriū largitricem suam nutriculam necat: Sic clerici degeneres erga libros. Redite prævaricatores ad cor & quod per libros recipitis fideliter computetis, & invenietis libros totius nobilis status vestri creatores, sine quibus procul dubio defecissent promotores. Ex persona librorum. Ad nos nempe rudes penitus & inertes reptastis, ut parvuli sapiebatis, ut parvuli evigilantes implorastis participes fieri lactis nostri. Nos ergo protinus lachrimis vestris tacti, mamillā grammaticæ porreximꝰ exsugendam, quā dētibus atque lingua contractastis assidue, donec direpta nota barbarie nostris linguis inciperetis magnalia Dei fari. Post hæc philosophiæ

vestib9 valde bonis, dialectica&rethorica, quas apud nos habuimus & habemus, vos induim9 cũ essetis nudi atq; tabula depingenda. Omnes enim philosophiæ domestici sunt vestiti duplicib. ut tegatur tam nuditas quã ruditas intellectus. Post hæc ut alati more Seraphico super Cherubin scandentes, quadruvii pennas vobis quattuor adiungentes transmisimus ad amicũ, ad cuius ostium dum tam improbe pulsaretis, tres panes commodarentur intelligentiæ trinitatis, in qua consistit finalis felicitas cuiuslibet viatoris, quod si vos hæc munera non habere dixeritis, confidẽter asserim9, quod vel ea per incuriã perdidistis collata, vel in principio desides respuistis oblata. Si hõdi videãtur ingratis pusilla, adiicim9 his maiora. Vos estis gen9 electum, regale sacerdotium, gens scã & populus acquisitionis: vos peculiarẽ in sortẽ dñi cõputati: vos sacerdotes & magistri Dei, imo vos antonomatice ipsa ecclesia dicimini, quasi laici nõ sint ecclesiastici nũcupãdi. Vos laicis postpositis psalmos & hymnos cõcinitis in cancellis, & altari Dei servitis altario participantes, verũ conficitis corpus Christi, in quo Deus ipse vos non solum laicis, imo paulo magis Angelis honoravit. Cui enim angelorum aliqñ dixit: *Tu es sacerdos in æternum secundum ordinẽ Melchisedech*? Vos xpi crucifixi testimonium dispensatis pauperib. ubi iam quæritur inter dispensatores ut fidelis quis inveniatur. Vos estis pastores

gre-

gregis diversi tã exẽplo quàm verbo doctrinæ, qui vobis tenetur repẽdere lac & lanã. Qui sũt istorũ omniũ largitores, ô clerici? nonne libri? reminisci libeat supplicamꝰ quod per nos clericis sũt concessa egregia privilegia libertatũ. Per nos siquidẽ vasa sapientiæ & intellectus imbuti cathedras scãditis magistrales vocati ab hoĩb. Rabbi. Per nos in oculis laicorũ mirabiles velut magna mundi luminaria dignitates ecclesiæ secundũ sortes varias possidetis. Per nos, cũ adhuc carebatis genarũ lanugine in ætate tenera constituti, tonsuram portatis in vertice, prohibentẽ statũ ecclesiæ sententia formidandum: *Nolite tangere Christos meos: & in prophetis meis nolite malignari.* Et qui eos tetigerit temere violenter anathematis vulnere ictu proprio protinus feriatur. Tandẽ ætate succũbente malitiæ figuræ Pythagoricæ biviũ attingentes, ramum lævum eligitis, & retrorsũ abeuntes sortẽ domini præassumptã dimittis, socii facti furum. Sicq; proficientes in peius, latrociniis, homicidiis & multigenis impudicitiis maculati, tã fama quàm conscientia tabefacta sceleribus, compellente iustitia, in manicis & compedibus coartati servamini, morte turpissima puniendi. Tunc elogatur amicus & proximus, nec est, qui doleat vicem vestram. Petrus iurat se hominem non novisse: vulgus clamat iustitiario, *crucifige eũ crucifige, quoniam si hunc dimiseris, non es amicus Cæsaris.* Iam periit omnis fuga: Iam ante tribunal oportet assisti, nec locus

ſuppetit appellandi,ſed ſolum ſuſpendium expectatur. Dum ſic triſtitia compleverit cor miſeri & ſolæ Camenæ laceræ fletib. ora rigant, fit balatus anguſtiis undique memor noſtri, & ut evitet mortis propinquæ periculum antiquatæ tonſuræ quam dedimus, parvũ præfert ſignaculum, ſupplicãs ut vocemur in medium & collati muneris teſtes ſimꝰ. Tunc miſericordia ſtatim moti occurrimus filio prodigo, & à portis mortis ſervum eripimus fugitivum. Legendus liber porrigitur non ignotus, & ad modicam balbutientis præ timore lecturam iudicis poteſtas diſſolvitur, accuſator ſubtrahitur, mors fugatur. O carminis empirici mira virtus? O diræ cladis antidotum ſalutare? O lectio precioſa pſalterii, quæ meretur hoc ipſo liber vitæ deinceps appellari. Suſtineant laici ſeculare iudicium, ut vel inſuti culleis enatent ad Neptunũ, vel in terra plantati Plutoni fructificent, aut Vulcano per incendia holocauſta ſe offerant medullata, vel certe ſuſpenſi victima ſint Iunoni; dum noſter alumnus ad lectionem unicam libri vitæ Pontificis commendatur cuſtodiæ, & rigor in favorem convertitur. Ac dum forum transfertur à laico à librorum alumno clerico mors differtur. Ceterum iam de clericis, qui ſunt vaſa virtutum, nos loquamur? Quis de vobis pulpitum vel ſcabellum prædicaturus aſcendit nobis penitus inconſultis? Quis ſcholas lecturus vel diſputaturus vel prædicaturus ingreditur, qui noſtris comatibus non fulcitur Primum optas volumen cum Ezechiele co-

medere,quo venter memoriæ dulcescat extrinsecus. Et modo sint pantheræ refertæ, redoleat extrinsecꝰ conceptorum aromatum odor suavis ad cuius anhelitum coanhelent accedere homines, bestiæ & iumenta, Sic natura nostra in vobis familiarius operante latenter auditores accurrunt benivoli,sicut adamas trahit ferrum nequaquam inuite. Quinimo infinita librorum multitudo iacet Parisiis vel Athenis: similiter resonant in Britannia vel in Roma. Quiescentes quippe moventur, dum ipsis loca sua tenentibus auditorum intellectib.circumquaq; feruntur. Nos deniq; sacerdotes, Pontifices, Cardinales, & Papam ut cuncta in hierarchia ecclesiastica collocentur in ordine literarum scientia stabilimus. A libris namq; sumit originem, quidquid boni provenit statui clericali. Sed hæc hactenꝰ.Piget reminisci quæ dedimꝰ populo clericorũ degeneri,quæ magis videntur perdita, quàm collata quæcunq; minima tribuuntur ingratis.Deinceps insistemus parum pro recitandis iniuriis,quas rependunt vilipẽsionib.&iacturis.De quib.nec singula genera recitare sufficimꝰ,imo vix proxima genera singularũ. In primis de domiciliis clericorũ nobis iure hereditario debitis vi& armis expellimur.In quodã interiori cubiculo cellulas habebamꝰ quietas,sed proh dolor his nephandis tẽporib.penitꝰ exulantes im properiũ patimur extra portas.Occupãt ei loca nostra nũc canes & aves, nunc bestia bipedalis, sc,mulier cuius

habitatio vitabatur à clericis, à qua ſemper ſuper aſpidem & baſiliſcum alumnos noſtros docuimus fugiendum, quamobrẽ iſta beſtia noſtris ſtudiis ſẽper æmula, nullo die placanda, finaliter nos conſpectos in angulo iam defunctæ araneæ ſola tela protectos in rugã fronte collecta virulentis ſermonib. detrahit & ſubſañat: ac nos in tota domus ſuppellectili ſemper vacuos hoſpitari demonſtrat, & ad unumquodq; œconomiæ ſervitiũ quæritur ocioſos, & mox in capitegia precioſa, ſyndonẽ, & ſericum, & coccũ bis tinctum, veſtes, & varias farraturas, lanã & linum conſulit commutandos. Equidẽ merito ſi videret intrinſeca cordis noſtri: ſi noſtris privatis interfuiſſet conſulis: ſi Theophraſti vel Valerii perlegiſſet volumen, vel ſaltẽ Eccleſiaſtici viceſimum quintum capit. aurib. intellectꝰ audiſſet. Quapropter cõquerimur de hoſpitis nobis iniuſte ablatis: de veſtib. nõ quidẽ datis. ſed de datis antiquitus violenter manib. laceratis, in tantum quod adhæſit pavimento anima noſtra, conglutinatus eſt in terra venter noſter & gloria noſtra in pulverem redacta eſt.

Morbis variis laboramus dorſa lateraq; dolentes: iacemus membratim paralyſi diſſoluti, nec eſt, qui cogitet, nec eſt, qui benigne malagma procuret. Candor nativus & luce perſpicuus iam in fuſcum & croceum eſt converſus, ut nemo medicus, qui nos reperiat, dubitet ictericia nos infectos. Arteriam patiuntur nonnulli de nobis, ſicut extremitates retortæ inſinuant

cui-

evidenter. Fluvius aut fumus ac puluis, quib. infestamur assidue, radiorũ visualium aciẽ hebetarunt, & iã lippientib. oculis ophthalmiam superducunt. Ventres nostri duris torsionib. viscerũ, quæ vermes edaces non cessant corrodere, consumuntur & utriusq; lateris sustinemus putredinem, nec invenitur quisquam, qui cedri resina nos lineat, vel quatriduano iã putrido clamãs dicat, *Lazare veni foras*. Nullo circũligantur ligamine vulnera nostra sæva, quæ nobis innoxiis inferuntur atrociter, nec est ullus, qui super vulnera nostra cataplasmet, sed pannosi & algidi in angulos tenebrosos abiicimur in lachrymis, vel cum sancto Iob in sterquilinio collocamur, vel quod nefas videtur mihi effari, in abyssis abscondimur cloacarum. Pulvinar subtrahitur Evangelicis supponendum lateribus, quibus primo deberent de sortibus clericorũ subsidia, & sic ad suo famulatui deputandos prospere communis victus necessariis derivari. Rursus de alio genere calamitatis conquerimur, quæ personis nostris crebrius irrodatur iniuste. Nam in servos venundamur & ancillas, & obsides in tabernis absq; redemptione iacemus. In cellariis crudelib. subdimur, ubi mactari tam pecora, quã iumenta sine piis lachrimis nõ videmur. Et ubi millesies morimur, ipso metu morimur, qui virum posset cadere inconstãter. Judæis cõmittimur, Sarracenis, Hæreticis, & Paganis, quorũ

ſemper toxicum formidamus, per quos nonnullos de noſtris parentib. per venenum peſtiferum conſtat eſſe corruptos. Sane nos, qui architectonici reputari debemus in ſcientiis, & ſubiectis nobis mechanicis imperamus, ſubalternorum regimini viceverſa cōmittimur, tanquam ſi Monarcha ſumme nobilis ruſticanis calcaneis ſubſternatur. Sartor & ſutor & ſciſſor quicunque aut cuiuslibet operis artifex incluſos nos cuſtodit in carcere, pro ſuperfluis & laſcivis deliciis clericorū. Iam volumus proſequi novum genus iniuriæ, quo tam in noſtris perſonis lædimur quam in fama, qua nihil carius poſſidemus. Generoſitati noſtræ omni die detrahitur, dum per pravos compilatores, translatores, transformatores nova nobis auctorū nomina imponūtur, & antiqua nobilitate mutata, regeneratione multiplici renaſcentes degeneramus omnino. Sic quod vilium vitricorum nobis nolentib. affiguntur nomina, & verorum patrū vocabula filiis ſubducuntur. Verſus Virgilii adhuc ipſo vivente quidam pſeudoverſificus uſurpavit, & Martialis Coci libellos Fidentinꝰ quidā ſibi mēdaciter arrogavit, quē idem Martialis merito redarguit ſub his verbis:

Quem recitas meus eſt, ò Fidentine, libellus:
Sed male dum recitas incipit eſſe tuus.

Quid ergo mirum ſi defunctis noſtris auctoribus ſuas per nos fimbrias ſimiæ clericorum magnificant, cum eiſdem ſuperſtitibus nos recen-

center editos rapere moliantur. Ah quotiens nos antiquos fingitis nuper natos, & qui patres ſumus, filios nominare conamini. Quique vos ad eſſe clericale creavimus,ſtudiorum veſtrorum fabricas appellatis. Revera de Athenis extitimus oriundi, qui fingimur nunc Romani. Semper namque Carmentis latruncula fuit Cadmi. Et qui nuper naſcebamur in Anglia, cras Pariſiis renaſcemur: & inde delati Bononiam, Italicam ſortiemur originem nulla conſanguinitate ſuffultam. Heu quam falſis ſcriptoribus nos exarandos committitis, quam corrupte nos legitis & medicando necatis, quos pio cœlo corrigere debebatis! Interpretes barbaros ſuſtinemus multotiens, & qui linguarum idiomata neſciunt, nos de lingua ad linguam transferre præſumunt: ſicque proprietate ſermonis ablata, fit ſententia contra ſenſus auctoris turpiter maculata. Bene generoſa fuiſſet librorum conditio, ſi turris Babelonis nullatenus obfuiſſet præſumptio, ſi totius humani generis unica deſcendiſſet ſermonis ſpecies propagata. Ultimam prolixæ noſtræ querelæ, ſed pro materia quam habemus breviſſimæ clauſulam ſubiungimus. In nobis & ei commutatur naturalis uſus in eum uſum, qui eſt contra naturam, dum paſſim pictoribus ſubdimur literarum ignaris, & aurifabris proh dolor commendamur nos,qui ſumus lumen fidelium animarum,ut fiamus acſi

non essemus sapientiæ sacra vasa repositoria bractearum: deuoluimur indebite in laicorum dominium, quod est nobis amarius omni morte quoniam hi vendiderunt populum nostrum sine precio, & inimici nostri iudices nostri sunt. Liquet omnib. ex præmissis, quod infinita possemus in clericos invectiva convitiari, si non honestati proprie parceremus. Nam miles emeritus clypeum veneratur & arma, gratusq; Coridon aratro tepescenti bigæ, trahæ, tribulæ ac ligoni: & omnis artifex manualis hypoduliam propriam suis exhibet instrumentis: solus ingratus clericus parvipendit, & negligit ea, per quæ sui honoris auspicia semper sumit.

Capitulum quintum, quod boni religiosi libros scribunt, mali aliis occupantur.

Religionum veneranda devotio in librorum cultu solet esse sollicita, & in eorum colloquiis sicut in omnib. divitiis delectari. Scribunt namq; nonnulli propriis manib. inter horas canōicas inte rvallis captatis & tēpora pro quiete corporis accōmodata fabricandis codicib. concesserunt. De quorum laboribus hodie in plerisq; splendent monasteriis illa sacra gazophylacii Cherubicis literis plena, ad dandam scientiam salutis studentibus atque lumen delectabile semitis laicorum. O labor manualis felicior omni cura georgica! O devota sollicitudo, qua nec meretur Martha corrūpi nec Maria! O domus iucunda, in qua Racheli formosæ

mosæ Lya non invidet fœcunda, sed contemplatio cum activa gaudia sua miscet. Felix providentia pro futuro infinitis posteris valitura, cui nulla virgultorum plantatio, nulla seminū satio comparatur, nulla castrorum constructio munitorum. Quamobrem immortalis debet esse patrum illorum memoria, quos solius sapientiæ delectabat thesaurus. Qui contra futuras caligines, luminosas lucernas artificiosissime providerūt, & contra famem audiendi verbi Dei panes nō subcinericeos, neq; ordeaceos, nec muscidos sed panes azimos de purissima simila sacræ sophiæ cōfectos accuratissime parant, qvib. esurientes fœliciter cibantur. Hi fuerunt autē probissimi pugiles Christianæ militiæ qui nostrā infirmitatem armis fortissimis munierūt. Hi fuerunt suis tēporib. vulpiū veneratores cautissimi, qui nobis iā sua retia reliquerunt, ut parvulas caperem9 vulpeculas, quæ nō cessāt florentes vineas demoliri. Vere patres egregii benedictione perpetua recolendi, felices merito fuissetis, si vobis simile sobolē genuisse, si prolem degenerē nec æquivocam reliquisse in sequentis temporis subsidium licuisset. Sed quod dolentes referimus. iam Thersites ignav9 arma contrectat Achillis & dextrariorū phaleræ electæ pigritantibus asinis substernuntur. Aquilarum nidis cæcutiētes noctuæ dominātur, & in accipitris pertica reside t vecors milvus. Liber Bacchus respicitur & in ventrē traiicitur

citur nocte dieq;liber codex despicitur & à manu reiicitur longe lateque, atque si cuiusdam æquivocationis multiplicitate fallatur simplex plebs moderna, dum liber potationum præponitur libro patrum, calicibus epotandis non codicibus emendandis indulget hodie: quibus lascivam Timothei musicam pudicis moribus æmulam non verentur adiungere, sicque cantus ludentis non planctus lugentis officium efficitur monachale. Greges & vellera, fruges & horrea, porri & holera, potus & pathera, lectiones sunt hodie & studia monachorum, exceptis quibusdam paucis electis, in quibus parum præcedentium non imago, sed vestigium remanet aliquale. Rursus nulla nobis materia ministratur omnino, qua de nostro cultu vel studio commendentur hodie canonici regulares. Qui licet à geminata regula nomen portant eximium Augustini, tamen regulæ notabilem neglexere versiculum, quo sub his verbis clericis suis commendamur: *Codices certa hora singulis diebus petantur: extra horam qui petierit, non accipiet.* Hunc devotum studii canonem vix observat aliquis post ecclesiastica cantica repetita, sed sapere quæ sunt seculi & relictum aratrum intueri summa prudentia reputatur. Tollunt pharetram & arcum apprehendunt arma & scutum, eleemosynarum tributum canibus tribuunt, non egenis, inserviunt aleis & taxil-

taxillis, & his, quæ nos ſecularibus inhibere ſolebamus. Ut non quidem miremur, ſi nos non dignentur reſpicere, quos ſic ſuis cernunt moribus contrarie. Patres igitur reverendi patrum veſtrorum dignemini vos reminiſci & librorum ſacrorum propenſius indulgere ſtudio, ſine quibus quælibet vacillabit religio, & ſine quibus (ut teſta) virtus devotionis areſcat, ſine quibus nullum præberi poterit lumen mundo.

Capitulum ſextum, de laude religioſorum mendicantium priorum, cum reprehenſione modernorum.

PAuperes ſpiritu, ſed fide ditiſſimi, mundi peripſima & ſal terræ, ſeculi contemptores & hominum piſcatores, quàm beati eſtis, ſi penuriam patientes pro Chriſto animas veſtras ſcitis in patientia poſſidere. Non enim vos ultrix iniquitatis inopia, nec parentũ adverſa fortuna, nec ulla violenta neceſſitas ſic oppreſſit inedia, ſed devota voluntas & electio Chriſti formis, qua vitam illam optimam prædicavit. Sane vos eſtis ſemper poſt parentes novi fœtus, pro patrib. & prophetis noviter ſubſtituti divinitus, ut in omnem terram exeat ſonus veſter, ut noſtris ſalutaribus inſtituti doctrinis cunctis regibus & gentibus, promulgetis inexpugnabilem fidem Chriſti. Porro fidem patrum potiſſime libris eſſe incluſam

ſecun-

ſecundum capitulum ſupra ſatis aſſeruit, quo conſtat luce clarius,quod librorum debetis eſſe zelotypi,qui præ cæteris Chriſtianis ſeminare iubemini ſuper omnes aquas, quia non eſt perſonarum acceptor altiſſimus,nec vult mortem peccatorũ piiſſimus, qui occidi voluit pro eiſdem: ſed contritos corde mederi deſiderat atq; lapſos erigi & perverſos corrigi ſpiritu lenitatis. Ad quem effectum ſaluberrimum alma mater Eccleſia vos plantavit gratuitos, plantoſque rigavit favoribus, & rigatos privilegiis ſuffulcivit, ut cum paſtoribus & curatis coadiutores eſſetis ad procurandum ſalutem fidelium animarum. Unde & Prædicatorum ordinem propter ſacræ ſcripturæ ſtudium & proximorum ſalutem principaliter inſtitutum conſtitutiones pronunciant eorundem, ut non ſolum ex regula Præſulis Auguſtini, qui codices ſingulis diebus iubet eſſe petendos; verùm mox cum earundem conſtitutionum prologum legerint, ex ipſius libri capite ad amorem librorum ſe noverint obligatos. Sed proh dolor quod tam hos quàm alios iſtorum ſectantes effigiem à paterna cura librorum & ſtudio ſubtraxit triplex cura ſuperflua, ventris videlicet, veſtium & domorum. Sunt enim (neglecta ſalvatoris providentia, quem Pſalmiſta circa pauperem & mendicum promittit eſſe ſollicitum) circa labentis corporis indigentias occupati, ut ſint epulæ ſplendidæ
veſteſ-

vestesq; contra regulam delicatæ: necnon & ædificiorum fabricæ ut castrorum propugnacula tali proceritate quæ paupertati non convenit exaltatæ. Propter hæc tria nos libri, qui semper eos proveximus ad perfectum, & inter potentes & nobiles sedes honoris concessimꝰ, elongati à cordis affectib. quasi inter supervacua reputamur: excepto quod quibusdã quaternis parvi valoris insistunt, de quib. nenias & apocrypha deliramenta producunt, non ad refocillativum animorum edulium, sed potiꝰ ad pruritum aurium auditorum. Sacra scriptura non exponitur, quasi trita per vicos & omnib. divulgata supponitur, cuius tamen fimbrias paucissimi tetigerunt, cuius etiam tanta est profunditas, ut ab humano intellectu quãtumcunq; vigilet summo ocio & maximo studio neqveat comprehendi, sicut sanctus asserit Augustinus. De hac mille moralis disciplinæ sententias enucleare poterit, qui indulget assiduæ: si tamen ostium aperire dignetur ille, qui condidit spũ pietatis, quæ& recentissima novitate pollebunt & sapientissima suavitate auditorum intelligentias removebunt. Quamobrẽ paupertatis evangelicæ Professores primarii post utrumq; salutatas scientias seculares toto mentis ingenio recollecto huius se sacræ scripturæ laboribus devenerunt nocte dieq; in lege domini meditantes. Quicquid vero poterãt à famescente ventri furari vel corpori semitecto

cto surripere illud lucrum præcipuum arbitrantes codicibus ascripserunt. Quorum contemporanei seculares tam officium intuentes quam studiū libros eos; quos in diversis hincinde mundi partib.sumptuose collegerant, ad totius ecclesiæ ædificationem contulerunt. Sane dieb9 istis cū sint tota diligentia circa quæstus intenti,præsumptione probabili credi potest, si per Antropospathos sermo fiat, Deum circa eos minorem sollicitudinem gerere,quos de sua promissione perpendit diffidere in humanis providentiis spem habentes, corvum nó considerantes nec lilia, quos pascit & vestit altissimus. Danielem & Abacuc cocti pulmenti discophorum non pensatis, nec Heliam recolitis nunc in deserto per Angelos, nunc in torrente per corvos, nunc in Sarepta per viduam, largitate divina, quæ dat escam omni carni tempore opportuno, à famis inedia liberatum. Climate miserabili(ut timetur) descenditis, dum divinæ pietatis diffidentia prudentiæ solicitudinem generat terrenorum. Solicitudo quoque nimia terrenorum amorem adimit tam librorum quam studiorum: & sic cedit paupertas hodie per abusum in verbi Dei dispendium, quam solum propter ipsius adminiculum elegistis: uncinis pomorum,ut populus fabulatur, puerulos ad religionem attrahitis, quos professos doctrinis non instruitis: vi& metu, sicut exigit ætas illa, mendicati-

vis

vis difcurfibus fuftinetis intendere,atq; tempus, in quo poffent addifcere, in captandis favoribus amicorum confumere finitis in offenfam parentum,puerorum periculum & ordinis detrimentum. Sicq; nimirum contingit, quod qui parvuli minime cogebantur inviti, grandiores effecti docere præfumant indigni penitus & indocti, & parvus error in principio maximus fit in fine. Eft fic namq; in grege veftro promifcuo laicorum quædam multitudo plurimis onerofa: qui tamen fe ad prædicationis officiũ tanto improbius ingerunt,quanto minus ea quæ loqvuntur,intelligunt in contemptum fermonis domini & in perniciem animarum.Sane contra legem in bove & afino aratis, cum doctis & indoctis culturam agri dominici committitis pari paffu. Scriptum eft; *Boves arabãt & afinæ pafcebantur iuxta eos.* Qm̃ difcretorum eft prædicare, fimpliciũ vero per auditum facri eloquii fub filentio fe cibare. Quot lapides mittitis in acervum Mercurii his diebus? quot eunuchis fapientiæ nuptias procuratis? quot cæcos fpeculatores fuper ecclefiæ muros circuire præcipitis? O pifcatores inertes folis retibus alienis utentes,qui rupta vix emperice reficitis: nova vero nullatenus commodatis, aliorum labores intratis, aliorum ftudia recitatis, aliorum fapientiam fuperficialiter repetitis, theatrali ftrepitu labiatis. Quemadmodum pfitacus idiota auditas vo-

 ces

ces effigiat, sic tales recitatores fiunt omnium, sed nullius auditores, asinam Balaam imitantes, quæ licet intrinsecus insensata, lingua tamen diserta facta est tam Domini quàm prophetæ magistra. Resipiscite pauperes Christi, & nos libros inspicite studiose, sine quibus in præparatione evangelii pacis nunquam poteritis debite calciari. Paulus Apostolus prædicator veritatis & doctor eximius gentium ista sibi per Timotheum pro omni supellectili tria iussit afferri, penulam, libros & membranas, secunda Timothei ultimo: viris evangelicis formam præbens, ut habitum deferant ordinatum, libros habeant ad studendi subsidium, & membranas, quas Apostolus maxime ponderat ad scribendum. *Maxime*, inquit, *&* *membranas*. Revera mancus est clericus & ad multarum rerum iacturam turpiter quidem mutilatus, qui artis scribendi totaliter est ignarus. Aerem vocibus verberat, & præsentes tantum ædificat, absentibus & posteris nihil parat. Atramentarium scriptoris gestabat vir in renibus, qui frontes gementium tau signabat. Ezechielis nono: insinuans figurate, quia si quis scribendi peritia careat prædicandi pœnitentiam officium non præsumat. Tandem in præsentis calce capituli supplicant vobis libri, iuvenes nescios ingenio aptos studiis applicare necessaria ministrantes, quos non solummodo veritatem, verum
&

& disciplinam & tsententiam doceatis, verberibus terreatis, atrahatis blanditiis, molliatis munusculis & pœnosis rigoribus, ut & Socratici moribus & doctrinis Peripatetici simul fiant. Heri quasi undecima vos discretus paterfamilias introduxit in vineam, ante sero penitus pigeat ociari. Utinam cum prudenti villico mendicandi tam improbe verecundiam haberetis. Tunc enim procul dubio nobis libris & studio propensius vacaretis.

Capitulum VII. deploratio destructionis librorum per bella & incendia.

PAcis auctor & amator altissime dissipa gentes bella volentes, quæ super omnes pestilentias libris nocent. Bella namque carentia rationis iudicio furiosos efficiunt impetus in adversa: & dum rationis moderamine non utuntur sine differentia discretionis progressa, vasa destruunt rationis. Tunc prudens Apollo Plutoni subiicitur: & tunc Phronesis pariens mater fit Phrenesis, & in Phrenesis redigitur potestatem. Tunc pennatus Pesagus stabulo Coridonis includitur, & facundus Mercurius suffocatur. Tunc Pallas prudens erroris mucrone tunditur, & iocunde Pierides truculenta furoris tyrannide supprimuntur. O crudele spectaculum ubi

Phœbum Philoſophorum Ariſtotelem, cui omnibus dominii dominus ipſe commiſit dominium ſcelerofis manibus vinculatum, ferramentis infamib. compeditum laniſtrarum humeris à Socratis ædibus cernitur aſportari, & qui in mundi magiſtratu magiſterium atq; ſuper Imperatorem imperium meruit obtinere, iniuſtiſſimo iure belli videres ſubiici vili ſcurræ. O poteſtas iniquiſſima tenebratũ,quæ Platonis non veretur peſſundare divinitatem probatam, qui ſolus aſpectui creatoris priusquam bellantis chaos placaret litigium, & antequam entelechiam induiſſet ſpecies ideales obiicere dignus fuit, ut mundum archetypum demonſtraret auctori & de ſuperno exemplo mũdus ſenſibilis duceretur.O lacrimoſꝰ intuitus quo moralis Socrates, cuius actus virtus & ſermo doctrina, qui de naturæ principiis politiæ produxit iuſtitiam vitioſi viſpilionis addictus videtur ſervituti. Pythagoram plangimus Armoniæ parentem eum cantricibus furiis flagellatum atrociter vice cantus gemitus edere columbinos. Miſeremur Zenonis principis ſtoicorum, qui ne conſilium proderet, linguam morſu ſecuit & expuit in tyrannum intrepide. Heu iam rurſus Adiomeritatritus in mortario piſtillatur. Certe non ſufficimus ſingulos libros luctu lamentiri condigno, qui in diverſis mundi partibus bellorum diſcrimine perierunt, Horribilem tamen ſtragem,

gem, quæ per auxiliares milites secundo bello Alexandrino contigit in Ægypto stilo flebili memoramus, ubi decem milia voluminum ignibus conflagrarunt, quæ sub Regibus Ptolomeis per multa curricula temporum sunt collecta, sicut recitat Aulus Gellius noctium Atticarum libro sexto capitulo XVI. quanta proles Athlantica tunc occubuisse putabitur orbium motus, omnes coniunctiones planetarum, galaxiæ naturam, & generationes prognosticas cometarum, & quæcunque in cælo fiunt vel æthere comprehendentes? Quis tam infaustum holocaustum, ubi loco cruoris incaustum offertur, non exhorreat? Pruinæ candentes pergameni crepitantis sanguine vernabantur, ubi tot innocentium milia, in quorum ore non est inventum mendacium, flamma vorax comsumpsit: ubi tot scrinia veritatis æternæ ignis parcere nesciens in fœtentem cinerem commutavit. Minoris facinoris æstimatur tam Ieptæ quam Agememnonis victima, ubi pia filia virgo, patris gloria, iugulatur. Quot labores celebris Herculis tunc perisse putamus, qui ob astronomiæ peritiam collo flexo cœlum describitur sustulisse, cum iam secundo Hercules flammis sit iniectus. Arcana cœlorum, quæ Ionanchus non ab homine neque per hominem didicit, sed divinitus inspiratus accepit; quæque Zoroastes germanus eiusdem immundorum servitor

ſpirituum deſeruit; quæ etiam ſacratus Enneck Prothi præfectus, priuſquam transferretur deſeculo, prophetavit; immo quæque primus Adam filios docuit, ut raptus in extaſi in libro æternitatis præviderat, flammis illis nephandis probabiliter æſtimantur eſſe deſtructa. Ægyptiorum religio, quam liber Logoſtaliofiæ commendat egregie polios veterum Athenarum: quæ cum milibus annorum Athenis Græciæ præceſſerunt carmina, Caldeorum conſiderationes, Arabum & Indorum cerimoniæ Iudæorum architecta, Babyloniorum noe georgica, Moyſi præſagia, Ioſuæ planimetria, Samſonis ænigmata, Salomonis problemata à cedro Libani uſque ad hyſopum planiſſime diſputata, Æſculapii antidota, Cadmi grammatica, Parnaſi poemata, Apollinis oracula, argonautica Iaſonis, ſtrategemata Palamedis, & alia infinita ſcientiarum ſecreta huiuſmodi incendiis ereduntur ſublata. Nunquid Ariſtotelem de circuli quadratura ſyllogiſmus apodicticus latuiſſet, ſi libros veterum methodos naturæ totius habentium permiſiſſent nephanda prælia ſupereſſe.

Nec de mundi æternitate problema neutrum feciſſet: nec de intellectuum humanorum pluralitate eorumque perpetuitate, ut veriſimiliter creditur, dubitaſſet ullatenus, ſi perfecte ſcientiæ veterum inviſorum bello-

rum

rum pressuris obnoxiæ non fuissent per bella. Namque ad patrias peregrinas dissipamur, obtruncamur, vulneramur, & enormiter mutilamur, sub terra fodimur, in mari submergimur, flammis exurimur, & omni necis genere trucidamur. Quantum sanguinis nostri effudit Scipio bellicosus cum eversioni Carthaginis Romani imperii impugnatricis & æmulæ anxius incumbebat? Quot milia milium prælium decennale Troianum ab hac luce transmisit? Quot per Antonium, Tullio iam occiso, externarum provinciarum latebras adierunt? Quot de nobis per Theodoricum, exulante Boetio in diversa mundi climata, sicut oves percusso pastore, sunt dispersi? Quot Seneca succumbente Neronis malitiæ, cum & nolens & volens portas mortis adiret, ab eo divisi retrocessimus lachrymantes, & in quibus partibus hospitari deberemus ignorantes. Felix fuit illa librorum translatio, quam in Persas de Athenis Xerxes fecisse describitur, quos rursus de Persis in Athenas Seleuchus reduxit. O gaudium gratiosum, ò mira lætitia, quam tunc cerneres in Athenis cum proli suæ genetrix obviaret tripudians, matrisque thalamum senescenti iam soboli denuo demonstraret, reassignatis hospitiis veteribus inquilinis. Mox tabulata cedrina cum lignis & trabibus levigatis aptissime complanantur, auro & ebore

epigrammata designantur camerulis, quibus ipsa volumina reverenter illata suavissime collocantur, sicut nullum alterius ingressum impediat, vel propinquitate nimia fratrem suum lædat. Cæterum quidem infinita sunt dispendia, quæ per seditiones bellorum, librorum generi sunt illata. Et quoniam quidem infinita nullatenus transgredi atq; pertransire contingit, hic familiariter statuemus querimoniæ nostræ Gades & ad preces, quibus incepimus, regyramus habenas, rogantes suppliciter, ut rector Olimpi ac mundi totius dispensator altissimus firmet pacem & bella removeat, ac tempora faciat sua protectione tranquilla.

Capitulum octavum de multiplici oportunitate auctoris in colligendis libris circumquaque.

CUm omni negotio tempus sit & oportunitas, ut testatur Ecclesiastes VIII, cap. iam progredimur enarrare multiplices oportunitates, quibus in acquisitione librorum proposita divinitate propitia iuvabamur. quamvis enim ab adolescentia nostra semper specialem socialemq; communionem cum viris literatis & librorum dilectoribus delectaremur habere, succedentibus prosperis Regiæ Maiestatis consecuti notitiam, & in ipsius acceptati familia facultatem suscepimus ampliorē ubili-

bet

bet visitandi pro libitu, & venandi quasi saltus quosdam delicatissimos, tum privatas, tum communes, tum regularium, tum secularium librarias. Sane dum invictissimi Principis ac semper magnifice triumphantis Regis Angliæ Eduardi tertii post conquæstum, cuius tempora conservare dignetur altissimus diutine & tranquille; primo quidem suam concernentibus curam; deinde rempublicam regni sui, cancellarii scilicet ac thesaurarii, fungeremur officiis, præstabatur nobis aditus facilis Regalis favoris intuitu ad librorum latebras libere perscrutandas. Amoris quippe nostri fama volatilis iam ubique percrebuit, tantumq; librorum & maxime veterum ferebamur cupiditate languescere: posse vero quemlibet nostrum per quaternos facilius quam per pecuniam adipisci favorem: quamobrem cum supra dicti Principis recolendæ memoriæ bonitatis suffulti possemus obesse & prodesse, proficere & officere vehementer tam maioribus quàm pusillis, affluxerunt loco encœniorum & munerum, locoque donorum & iocalium cœnulenti quaterni ac decrepiti codices nostris tam aspectibus quàm affectibus preciosi. Tunc nobilissimorum monasteriorum aperiebantur armaria, referabantur scrinia & cistulæ solvebantur, & per longa secula in sepulchris soporata volumina expergiscuntur attomata, quæque in locis tenebrosis latue-

tuerunt novæ lucis radiis perfunduntur. Delicatiſſimi quondam libri corrupti & abominabiles iam effecti murium quidem fœtibus cooperti, & vermium morſibus terebrati iacebant exanimes. Et qui olim purpura veſtiebantur & byſſo, nunc in cinere & cilicio recubantes oblivioni traditi videbantur domicilia tinearum. Inter hæc nihilominus captatis temporibus magis voluptuoſe concedimus quam feciſſet medicus delicatus inter aromatum apothecas, ubi amoris obiectum reperimus & fomentum. Sic ſacra vaſa ſcientiæ ad noſtræ diſpenſationis pervenerunt arbitrium, quædam data, quædam vendita, ac nonnulla pro tempore accommodata, nimirū cum nos pleriq; de huiuſmodi donariis cernerent contentatos ea ſponte noſtris uſibus ſtuduerunt tribuere, quibus ipſi libentius caruerunt, quā ea, quæ noſtris aſſiſtentes ſervitiis abſtulerunt. Quorum tamen negocia ſic expedire curavimus gratioſe, ut eiſdem emolumentum accreſceret, nullum tamen iuſticia detrimentum ſentiret. Porro ſi ciphos aureos & argenteos, ſi equos egregios, ſi nummorum ſummas non modicas amaſſemus, tunc temporis dives nobis ærarium inſtauraſſe potuiſſemus. Sed revera libros non libras maluimus, codiceſque plus dileximus, quàm florenos, ac panfletos exiguos phaleratis prætulimus paleſcedis. Adhuc eius Principis ſempiternæ memo-

moriæ legationibus crebris functi,& ob multiplicia regni negocia, nunc ad sedem Romam, nunc ad curiam Franciæ nunc ad mundi diversa dominia tædiosis ambassiatibus & periculosis temporibus mittebamur, circumferentes tamen illam, quam aquæ plurimæ nequierunt extingvere, charitatem librorum. Hæc enim peregrinationum absynthia quasi quædam pigmenta dulcoravit. Hæc post perplexas intricationes, & scrupulosos causarum anfractus, & vix egressibiles reipublicæ labyrinthos ad respirandum parumper temperiem auræ lenis aperiunt. O beate Deus Deorum in Syon quantus fluminis impetus voluptatis lætificavit cor; nostrum quotiens paradisum mundi Parisius visitare vacavimus moraturi : ubi nobis semper dies pauci præ amoris magnitudine videbantur. Ibi bibliothecæ iocundæ super cellas aromatum redolentes : ibi virens viridarium universorum voluminum : ibi prata Achademica terræ motu trementia Athenarum, Peripateticorum diverticula Parnasi promunctoria, & porticus Stoicorum : ibi cernitur tam artis quàm scientiæ mensurator Aristoteles, cuius est totum quod est optimum in doctrinis, in regione dumtaxat transmutabili sublunari : ibi Ptholomæus epicyclos & ecentricos aoges, atque genzachar planetarum figuris & numeris emo-

emetitur: ibi Paulus arcana revelat: ibi Dionysius hierarchias coordinat & distinguit: ibi quicquid Cadmus grammatice recollegit & Phœnices, totum virgo Carmentis charactere repræsentat Latino: ibi revera thesauris apertis & sacculorum corrigiis resolutis pecuniam læto corde dispersimus, atq; libros, impreciabiles luto redemimus & arena. Nequaquam malum est, insonuit omnis emptor. Sed ecce quam bonum & quam iocundum, arma clericalis militiæ congregare in unum, ut suppetat nobis, unde hæreticorum bella conterere, si insurgant. Amplius opportunitatem maximam nos captasse cognoscimus per hoc, quod ab ætate tenera magistrorum & scholarium ac diversarum artium professores, quos ingenii perspicacitas ac doctrinæ celebritas clariores effecerant, relegato quolibet partiali favore, exquisitissima sollicitudine nostræ comitivæ coniunximus: quorum consolativis colloquiis confortati, nunc argumentorum ostensivis investigationibus, nunc physicorum processuum ac catholicorum doctorum tractatuum recitationibus velut multiplicatis & alternatis ingenii ferculis, dulcius fovebamur. Tales in nostro tyrocynio commilitones elegimus; tales in thalamo collaterales habuimus; tales in itinere comites; tales in hospitio commensales; & tales penitus in omni fortuna sodales. Verum quia nulla

feli-

felicitas diu durare permittitur, privabamur nonnunquam luminum aliquorum præsentia corporali, cum eisdem promotiones ecclesiasticæ ac dignitates debitæ prospiciente iustitia de cœlo provenerunt. Quo fiebat, ut incumbentes sicut oportuit curæ propriæ se à nostris cogerentur obsequiis absentare. Rursus compendiosissimam semitam subiungemus, per quam ad manus nostras pervenit librorum tam veterum quàm novorum plurima multitudo. Religiosorum siquidem paupertatem susceptam pro Christo numquam indignantes horruimus: verum ipsos ubique terrarum in nostræ compassionis ulnas admisimus mansuetas, affabilitate familiarissima in personæ nostræ devotionem alleximus, allectosq; beneficiorum liberalitate munifica fovimus propter Deum.

Qvorum sic eramus omnium benefactores communes, ut nihilominus videremur quadam paternitatis proprietate singulos adoptasse.

Istis in statu quolibet facti sumus refugium, istis nunquam clausimus gratiæ nostræ sinum. Quamobrem istos votorum nostrorum peculiarissimos zelatores meruimus habere, & tam opere quàm opera permotores. Qui circumeuntes mare & aridam, orbis ambitum perlustrantes, universitatum quoque diversarum provinciarum generalia studia perscru-

ſcrutantes, noſtris deſideriis militare ſtudebant, certiſſima ſpe mercedis. Quis inter tot argutiſſimos venatores lepuſculus deliteſceret? quis piſciculus iſtorum nunc hamos, nunc retia, nunc ſagenas evaderet? A corpore legis divinæ uſq; ad quaternum ſophiſmatum externorum nihil iſtos præterire potuit ſcrutatores. Si in fonte fidei chriſtianæ curia ſacroſancta Romana ſermo devotus inſonuit, vel ſi pro novis cauſis quæſtio ventilabatur extranea; ſi Pariſienſis ſoliditas, quæ plus antiquitati diſcendæ, quàm veritati ſubtiliter producendæ iam ſtudet; ſi Anglicana perſpicacitas, quæ antiquis perfuſa luminaribus novos ſemper radios veritatis emittit, quicquam ad augmentum ſcientiæ vel declarationem fidei promulgavit, hoc ſtatim noſtris recens infundebatur auribus, nullo denigratum ſemiverbio, nulla nugacitate corruptum, ſed de prælo puriſſimi torcularis in noſtræ memoriæ dolia deferendum tranſibat. Cum vero nos ad civitates & loca contingeret declinare, ubi præfati pauperes conventus habebant, eorum armaria ac quæcunque librorum repoſitoria viſitare non piguit: imo ibi in altiſſima paupertate, altiſſimas divitias theſaurizatas invenimus: non ſolum in eorum ſarcinulis & ſportellis micas de menſa dominorum cadentes reperimus pro catellis, verum etiam panes propoſitionis abſq; fermento, panemq; ange-

lo-

lorum omne in se delectamentum habentem: imo horrea Ioseph plena frumentis, totamq; Ægypti suppellectilem atq; dona ditissima, quæ regina Saba detulit Salomoni. Hi sunt formicæ continue congregantes in messe, & apes argumentosæ fabricantes iugiter cellas mellis. Hi successores Bezeleel ad excogitandum quicquid fabre fieri poterit in argento & auro & gemmis, quibus templum ecclesiæ decoretur.

Hi prudentis polymitarii, qui super humerale ac rationale Pontificis, sed & vestes varias efficiunt sacerdotum. Hi cortinas, saga, pellesque arietum rubricatas resarciunt, quibus ecclesiæ militantis tabernaculum contegatur. Hi sunt agricolæ seminantes, boves triturantes, tubæ buccinantes, pleiades emicantes, & stellæ manentes in ordine suo, quæ Sysaram expugnare non cessant. Et ut veritas honoretur salvo iudicio cuiuscunque licet, hi super hora undecima vineam sint ingressi dominicam, sicut amantissimi nobis libri sexto capitulo supra anxius allegabant, plus tamen in hac hora brevissima sacratorum librorum adiecerunt propagini, quam omnes residui vinitores, Pauli sectantes vestigia, qui vocatione novissimus prædicatione primus multo latius evangelium Christi sparsit. De istis ad statum Pontifica-

lem

Item assumpti nonnullos habuimus de duobus ordinibus, Prædicatorum videlicet & Minorum nostris assistentes lateribus, nostræ quod familiæ commensales, viros utique tam moribus quàm litteris insignitos: qui diversorum voluminum correctionibus, expositionibus, tabulationibus, ac compilationibus, indefessis studiis incumbebant. Sane quamvis omnium religiosorum communicatione multiplici, plurimorum operum copiam tam novorum quàm veterum assecuti fuerimus, Prædicatores tamen extollimus merito speciali præconio in hac parte, quod eos præ cunctis religiosis suorum sine invidia gratissimæ communicationis invenimus, ac divina quadam liberalitate perfusos, sapientiæ luminosæ probavimus non avaros sed idoneos professores. Præter has oportunitates omnes prætactas, stationariorum ac librariorum notitiā non solum intra natalis soli provinciam, sed per regnum Franciæ, Teutoniæ & Italiæ, comparavimus dispersorum faciliter pecunia prævolante: nec eos ullatenus impedivit distantia, neque furor maris absterruit, nec eis æs pro expensa defecit, quin ad nos optatos libros transmitterent vel afferrent. Sciebant enim pro certo, quod spes eorum in sinu nostro reposita defraudari non poterat, sed restabat apud nos copiosa redemptio cum usuris. Deniq; nec rectores scolarium, ruralium, puero,

puerorumq; rudium pædagogos, noſtra neglexit communis ſingulorum captatrix amoris: ſed potius cum vacaret eorum hortulos & agellos ingreſſi, flores ſuperficietenus redolentes collegimus, ac radices effodimus, obſoletas, ſtudioſis tamen accommodas. & quæ poſſent, digeſta barbarie raucida, pectorales arterias eloquentiæ munere medicare, inter huiuſmodi pleraq; comperimus renovari digniſſima, quæ ſollerter elimata, turpi larva vetuſtatis depoſita, merebantur venuſtis vultibus denuo reformari. Quæ nos adhibita neceſſariorum ſufficientia, in futuræ reſurrectionis exemplum reſuſcitata, quodammodo redivivæ reddidimus ſoſpitati. Cæterum apud nos in noſtris atriis multitudo non modica ſemper erat antiquariorum, ſcriptorum, colligatorum, correctorum, illuminatorum, & generaliter omnium qui poterant librorum ſervitiis utiliter inſudare. Poſtremo omnis utriuſque ſexus, omniſque ſtatus vel dignitatis conditio, cuius erat cum libris aliquale commercium, cordis noſtri ianuas, pulſu poterat aperire facillimo, & in noſtro gremio commodoſum reperire cubile. Sic omnes admiſimus codices afferentes, ut nec præcedentum multitudo faſtidium poſteriorum efficeret, vel heſternum beneficium præcollatum, præiudicium pareret hodierno. Quapropter cum omnibus memoratis perſonis quaſi quibuſ-

dam adamantibus attractivis librorum iugiter uteremur, fiebat ad nos desideratus accessus vasorum scientiæ, & multifarius volatus voluminum optimorum. Et hoc est, quod præsenti capitulo sumpsimus enarrare.

Capitulum nonum, quod antiqui studentes præcedunt modernos feruore discendi.

LIcet nostris desideriis novitas modernorum numquam fuerit onerosa, qui vacantes studiis, ac primorum patrum sententiis quicquam vel subtiliter vel utiliter adiicientes grata semper affectione colimus, antiquorum tamen examinatos labores, securiori cupiditate cupivimus perscrutari. Sive enim naturaliter viguerunt perspicaciori mentis ingenio, sive instantiori studio forsitan indulserunt, sive utriusque suffulti subsidio profecerunt, hoc unum comperimus evidenter, quod vix sufficiunt successores priorum comperta discutere, atque ea per doctrinæ captare compendium, quæ antiqui anfractuosis adinventionibus effoderunt. Sicut enim corporis probitate præstantiores legimus præcessisse, qvam moderna tempora exhibere noscantur, ita luculentioribus sensibus præfulsisse plerosque opinari nullatenus est absurdum, cum utrosq; opera, quæ fecerunt, inattingibiles posteris æque præbent. Unde Focas in prolo-

logo grammaticæ suæ scribit:

Omnia cum veterum sint explorata libellis,
Multa loqui breviter sit novitatis opus.

Nempe si de feruore discendi ac diligentia studii fiat sermo. Illi philosophiæ vitam totam integre devoverunt: nostri vero seculi contemporanei paucos annos fervidæ iuventutis æstuantes vicissim incendiis viciorum segniter applicant, & cum sedatis passionibus discernendæ ambiguæ veritatis acumen attigerint, externis implicati negociis retrocedunt, & philosophiæ gymnasiis valedicunt. Mustum fumosum iuvenilis ingenii philosophiæ difficultati delibant, vinumque maturius defecatum œconomicæ sollicitudini largiuntur. Amplius sicut Ovidius primo de vetula merito lamentatur:

Omnes declinant ad ea quæ lucra ministrant:
Utq; sciant discunt pauci, plures ut abundēt.

Sic te prostituunt, ô virgo scientia, sic te venalem faciunt castis amplexibus aptam, non te propter te quærentes, sed lucra per te, ditariq; volunt potius quã philosophari. Et intra sic;

—— Philosophia
Exilium patitur, & philopecunia regnat:

quam constat esse violentissimum toxicum disciplinæ. Qualiter vero non alium terminum studio posuerunt antiqui quàm vitæ, declarat Valerius ad Tyberium libro VIII. cap. VII. per exempla multorũ. *Carneades*, inquit, *laboriosus*

ac diutinus scientiæ miles fuit. Siquidem expletis sc. annis idem illi vivendi ac philosophandi finis fuit. Et Socrates nonagesimo quarto agens nobilissimum librum, Sophocles prope centesimum annū agens Oedipodem, i e. librum de gestis Oedipodis scripsit: *Simonides octogesimo anno carmina scripsit.* Aulus Gellius non affectavit diutius vivere, quàm esset idoneus ad scribendum, teste se ipso in prologo noctium Acticarum. Fervorem vero studii, quem habebat Euclides Socraticus recitare solebat Taurus philosophus, ut iuvenes ad studium animaret, sicut refert Aulus Gellius sexto libro capitulo x. voluminis memorati. Athenienses namq; cum Megarenses adirent, decreverunt quod si quis de Megarensibus Athenas intraret, capite plecteretur. Tunc Euclides, qui megarensis erat, & ante illud decretum Socratem audierat, muliebri ornamento contectus de nocte ad Socratem, ut eum audiret, ibat de Megaris ad Athenas viginti milia passuum & redibat. Impudens & nimius fuit fervor Archimedis, qui geometricæ facultatis amator nomen edicere noluit, nec à figura protracta caput erigere, quo vitæ mortalis fatum prolongasset: sed indulgens studio plus quam vitæ, studiosam figuram vitali sanguine cruentavit? qua plurima huiusmodi nostri propositi sunt exempla, nec ea quidem transcurrere brevitas affectata permittit. Sed quod dolentes referimus, iter

por-

prorſus diverſum incedunt clerici celebres his diebus. Ambitione ſiquidem in ætate tenera laborantes, ac præſumptionis pennas Icareas ineptis & in expertis lacertis fragiliter coaptantes pilleum magiſtralem immaturi præripiunt, fiuntq; pueruli facultatum plurium profeſſores immeriti, quas nequaquam pedetentim pertranſeunt, ſed ad inſtar caprearum ſaltarim aſcendunt. Cumque parum de grandi torrente guſtaverint, arbitrantur ſe totum funditus ſorbuiſſe, vix faucibus humectatis. Et quia in primis rudimentis tempore congruo non fundantur ſuper inſtabile fundamentum opus ædificant ruinoſum. Iamq; provectos pudet addiſcere, quæ tenellos decuerat didiciſſe,& ſic profecto cogũtur perpetuo luere,quod ad faſces indebitos præpropere ſalierunt,propter hæc & his ſimilia tyrones ſcolaſtici ſoliditatem,quam veteres habuerunt, eam paucis lucubratiunculis non attingunt, quantumcunq; fungantur honorib. cenſeãtur nominib. auctorizentur habitibus, locenturq; ſolenniter in cathedris ſeniorum. Priſciani regulas& Donati ſtatim de cunis erepti,& ſic celeriter ablactati pertingunt categorias perihermenias, in cuius ſcriptura ſummus Ariſt. calamum in corde tinxit, infantuli balbutie reſonant impubes & imberbes. Quarum facultatum itinera diſpendioſo compendio damnoſoq; diplomate tranſmeantes in ſacrum Moy-

ſeu manus iniiciunt violentas, ac ſe tenebroſis aquis in nubibus aeris faciliter aſpergentes, ad Pontificatus infulam caput parant nulla decoratum canicie ſenectutis. Promovent plurimum iſtam peſtem iuvantque ad iſtum phantaſticum clericatum tam pernicibus paſſibus attingendum Papalis proviſio ſeductivis precibus impetrata, nec non & preces, quæ repelli non poſſunt Cardinalium, & potentium amicorum cupiditas & parentum; qui ædificantes Syon in ſanguinibus prius ſuis nepotibus & alumnis eccleſiaſticas dignitates, aucupant, quam naturæ ſucceſſu, vel doctrinæ, tempore matureſcant. Ideo proh dolor paroxiſmo, quem plangimus Pariſienſe Palladium noſtris mœſtis temporibus cernimus iam ſublatum, ubi tepuit imo ubi fere friguit zelus ſcholæ tam nobilis, cuius olim radii lucem dabant univerſis angulis orbis terræ. Quieſcit ibidem iam calamus omnis ſcribæ, nec librorum generatio propagatur ulterius, nec eſt, qui

——— incipiat novus auctor haberi.

Involvunt ſententias ſermonibus imperitis, & omnis logicæ proprietate privantur niſi quod Anglicanas ſubtilitates, quibus palam detrahunt, vigiliis furtivis addiſcunt. Minerva mirabiles nationes hominum circuire videtur, & à fine uſque ad finem attingit fortiter, ut ſeipſam communicet univerſis. Iudæos, Babylonios, Ægyptos atque Græcos, Arabes & La-

Latinos eam iam pertranſiſſe cernimus, iam Athenas deſeruit, iam à Roma receſſit, iam Pariſius præterivit, iam ad Britanniam inſularum inſigniſſimam, quin potiùs microcoſmum, acceſſit feliciter, ut ſe Græcis & Barbaris debitricem oſtendat, quo miraculo coniicitur à pleriſq; quod ſicut Galliæ iam ſophia tepeſcit, ſic eiuſdem militia penitus evirata langueſcit.

Capitulum decimum quod ſucceſſive ſcientia ad perfectionem crevit, & quod auctor grammaticam Græcam & Hebræam procuravit.

SApientiam veterum exquirentes aſſidue, iuxta ſapientis conſilium Eccleſiaſt. xxxix *Sapientiam*, inquit, *omnium antiqvorum exquirit ſapiens.* Non in illam opinionem dignum duximus declinandum, ut primos artium fundatores omnem ruditatem elimaſſe dicamus, ſcientes ad inventionem cuiusque fideli conamine ponderatam, puſillam efficere ſcientiæ portionem, ſed plurimorum inveſtigationes ſollicitas, quaſi datis ſymbolis ſingulatim ſcientiarum vigentia corpora ad immenſas, quas cernimus, copias ſucceſſivis augmentationibus ſuccreverunt. Semper namq; diſcipuli magiſtrorum ſententias iterata fornace liquantes, præ neglectam ſcoriam excoxerunt, donec fieret aurum electum probatum terræ purgatum ſeptuplum, & nul-

lius erronei vel dubii admixtione fucatum. Neque enim Ariſtoteles quamvis ingenio giganter floreret, in quo naturæ complacuit experiri, quantum mortalitati rationis poſſet admittere, qvemq; paulo minus ab Angelis minoravit altiſſimus: illa mira volumina, quæ totus vix capit orbis ex digitis ſuis ſuxit. Quinimmo Babyloniorum, Ægyptiorum, Caldæorum, Perſarum, & Medorum, quos omnes diſerta Græcia in theſauros ſuos tranſtulerat, ſacros libros oculis linceis penetrando peruiderat. Quorum recta dicta recipiens, aſpera complanavit, ſuperflua reſecuit, diminuta ſupplevit, & erronea delevit. Ac non ſolum ſincere docentibus, ſed etiam oberrantibus regratiandum cenſuit, quaſi viam præbentibus veritatem facilius inquirendi, ſicut ipſemet in ſecundo metaphyſicæ clare docet. Sic multi Iuriſperiti condidere pandectas, ſic Medici multi tegni, ſic & Avicenna canonem, ſic Plinius molem illam hiſtoriæ naturalis, ſic Ptholomæus edidit almageſti. Quemadmodum namque in ſcriptoribus annalium conſiderare non eſt difficile, quod ſemper poſterior præſupponit priorem, ſine quo prælapſa tempora nullatenus enarrare valeret, ſic eſt in ſcientiarum auctoribus æſtimandum. Nemo namque ſolus quamcunq; ſcientiam generavit, cum inter veterrimos & novellos, intermedios reperimus; antiquos quidem, ſi no-

ſi noſtris ætatibus comparentur : novos vero, ſi ad fundamina referantur. Et iſtos doctiſſimos arbitramur. Quid feciſſet Virgilius Latinorum poeta præcipuus, ſi Theocritum, Lucretium, & Homerum minime ſpoliaſſet, & in eorum vitula non araſſet ? Quid niſi Parthenium Pindarumque, cuius eloquentiam non modo potuit imitari, aliquatenus lectitaſſet. Quid Salluſtius, Tullius, Boetius, Macrobius, Lactantius, Martianus, immo tota cohors generaliter Latinorum, ſi Athenarum ſtudia vel Græcorum volumina non vidiſſet ? Parum certe Hieronymus trium linguarum peritus in ſcripturæ gazophylacium, Ambroſius, Auguſtinus, qui tamen literas Græcas ſe fatetur, odiſſe, immo Gregorius, qui prorſus eas neſciſſe deſcribitur, ad doctrinam eccleſiæ contuliſſent, ſi nihil eiſdem doctior Græcia commodaſſet. Cuius rivulis Roma rigata, ſicut prius generavit philoſophos ad Græcorum effigiem, pari forma poſtea protulit orthodoxæ fidei tractatores. Sudores ſunt Græcorum ſymbola, quæ cantamus, eorundem declarata conciliis, & multorum martyrio confirmata. Cedit tamen ad gloriam Latinorum per accidens hebetudo nativa, quoniam ſicut fuerunt in ſtudiis minus docti, ſic & in erroribus minus mali. Arriana nempe malitia fere totam eclipſavit eccleſiam. Neſtoriana nequitia, blaſphema rabie debachari præſum-

psit in virginem. Nam tam nomen quàm diffinitionem Θεοτόκος abstulisset & reginæ, nisi miles invictus Cyrillus monomachiæ congressum paratus exsufflasset. Innumerabiles nobis sunt Græcarum hæresum tam species quã autores. Nam sicut fuerunt sacro sanctæ fidei primitivi cultores, ita primi zizaniorum satores, prout dicitur & producuntur historiis fide dignis. Sicque posterius profecerunt in peius, quod dum inconsutilem domini tunicam scindere niterentur, claritatem doctrinæ philosophicæ perdiderunt totaliter, ac novis tenebris excæcati decidunt in abyssum, nisi ille sua occulta dispenset potentia, cuius sapientiam numerus non metitur. Hæc hactenus. Nam hic nobis subducitur iudicandi facultas. Unum tamen elicimus ex prædictis, quod damnosa nimis est hodie studio Latinorum Græci sermonis inscitia, sine quo scriptorum veterum dogmata sive Christianorum sive Gentilium nequeunt comprehendi. Idemque de Arabico in plerisque tractatibus astronomicis, ac de Hebraico textu sacræ Bibliæ verisimiliter est censendum, quibus defectibus provide Clemens Quintus occurrit, si tamen Prælati, quæ faciliter statuunt, fideliter observarent. Quamobrem grammaticam tam Græcam quàm Hebræam nostris scolaribus providere curavimus cum quibusdam adiunctis: quorum adminiculo studiosi

lecto-

lectores in dictarum linguarum scriptura, lectura, nec non intellectu poterunt informari, licet proprietatem idiomatis solus auditus auris animo repræsentet.

Capitulum undecimum quod leges proprie non sunt scientiæ: nec libri.

IN libris iuris positivi lucrativa peritia dispensandis terrenis accommoda, quanto huius seculi filiis famulatur utilius tanto minus ad capessenda sacræ scripturæ mysteria & archana fidei sacramenta filiis lucis confert: utpote quæ disponit peculiariter ad amicitiam huius mundi, per quam homo, Iacobo testante, Dei constituitur inimicus. Hæc nimirum lites humanas, quas infinitas producit cupiditas, intricatis legibus, quæ ad utrumque duci possunt, extendit crebrius quàm extinguit: ad quas tamen sedandas à Iurisconsultis & piis Principib. dignoscitur emanasse. Sane cum contrariorum sit eadem disciplina, potentiaque rationalis ad opposita valeat, simulque sensus humanus proclivior sit ad malum, huius facultatis exercitatoribus accidit ut plerumque litibus extendendis indulgeant plusquam paci, & iura non secundum legis latoris intentum referant, sed ad suæ machinationis effectum verba retorqueant violenter. Quamobrem licet mentem nostram libro-

brorum amor possideret à puero, quorum zelo languore vitæ voluptatis accepimus, minus tamen librorum civilium appetitus nostris adhæsit affectibus, minusque huiusmodi voluminibus acquirendis concessimus tam operæ quàm expensæ. Sunt enim utilia, sicut scorpio in tyriaca, quemadmodum' libro de pomo & morte Aristoteles, sol doctrinæ, de logica diffinivit. Cernebamus inter leges & scientias quandam naturæ differentiam manifestam, dum omnis scientia iocundatur & appetit quod suorum principiorum præcordia introspectis visceribus pateant, & radices suæ pullulationis emineant, suæque scaturiginis emanatio suceat evidenter. Sic enim ex cognato & consono lumine veritatis conclusionis ad principia, ipsum corpus scientiæ lucidum fiet totum, non habens partem aliquã tenebrarum. At vero leges cum sint quædam pacta humana, statuta ad civiliter convivendum vel iuga Principum superiecta cornibus subditorum, recusant reduci ad ipsam synderesim veritatis ac æquitatis originem, eo quod plus habere se timeant de voluntatis imperio, quam de rationis arbitrio. Quapropter causas legum discutiendas non esse suadet in pluribus sententia sapientum. Nempe consuetudine sola leges multæ vigorem acquirunt, non necessitate syllogystica, sicut artes, prout secundo politicæ astruit Aristoteles Phœbus sco-

ſcholæ, ubi politiam redarguit Hypodami, quæ novarum legum inventoribus premia largiri pollicetur, quia leges veteres abrogare & novas ſtatuere eſt ipſarum, quæ ſunt, valitudinem infirmare. Quæ enim ſola conſuetudine ſtabilitatem accipiunt, hæc neceſſe eſt diſſuetudine dirimantur. Ex quibus liquide ſatis conſtat, quod ſicut leges nec artes ſunt nec ſcientiæ, ſic nec libri legum, libri ſcientiarum vel artium proprie dici poſſunt. Nec eſt hæc facultas inter ſcientias recenſenda, quam licet geologiam appropriato vocabulo nominare. Libri vero liberalium literarum tam utiles ſunt ſcripturæ divinæ, quod ſine ipſorum ſubſidio fruſtra ad ipſius noticiam intellectus aſpiret.

Capitulum duodecimum de utilitate & neceſſitate grammaticæ.

Cum librorum lectionibus foveremur aſſidue, quos moris erat quotidie legere, vel audire, perpendimus evidenter, quantum impediat intellectus officium, vel unius vocabuli ſemiplena notitia, dum nullius enunciationis ſententia capitur, cuius pars quantalibet ignoratur. Quapropter exarticorum verborum interpretationes mira ſedulitate iuſſimus annotari, antiquorumq; grammaticorum orthographiam, proſodiã, etymologiã & dyaſinthesim inconcuſſa curioſitate conſidera-

deravimus, terminosq; vetustate nimia caligantes discriptionibus congruis delucidari curavimus, quatenus iter planum nostris studentibus pararemus. Hæc est sane sententia totalis, quare tot grammaticorum antiqua volumina emendatis codicibus renovare studuimus, ut stratas regias sterneremus, quibus ad artes quascunque nostri futuri scolares incederent inoffense.

Capitulum XIII. de excusatione poesis & utilitate eiusdem.

OMnia genera machinarum, quibus contra poetas solius nudæ veritatis amatores obiiciunt, duplici refellentur umbone: quia vel in obscæna materia gratus cultus sermonis addiscitur, vel ubi ficta sed honesta sententia tractatur, naturalis vel historialis veritas indagatur sub eloquio typicæ fictionis. Quamvis nimirum omnes homines natura scire desiderent, non tamen omnes delectantur æqualiter addiscere: quinimmo studii labore gustato, & sensuum fatigatione percepta, plerique nucem abiiciunt inconsulte, priusquam testa soluta nucleus attingatur. Innatus est homini duplex amor, videlicet propriæ libertatis in regimine & aliquantæ voluptatis in opere. Unde nullus sine causa alieno se subdit imperio, vel opus quodcunque exercet cum tædio sua sponte. Delectatio namq; perficit operationem,

nem, ſicut pulchritudo iuventutem, ſicut Ariſtoteles veriſſime dogmatizat. x. ethicorum. Idcirco prudentia veterum adinvenit remedium, quo laſcivum genus humanũ caperetur quodammodo pio dolo, dum ſub voluptatis yconio delicata Minerva deliteſceret in occulto. Muneribus parvulos ſolemus allicere, ut illa gratis velint addiſcere, quibus eos vel invitos intendimus applicare. Non enim natura corrupta eo impetitur, quo prona ſe pellit ad vitia; tranſmigrat ad virtutes. Hoc enim brevi verſiculo nobis declarat Horatius, ubi artem poeticam tradit dicens:

Aut prodeſſe volunt, aut delectare poetæ.

Hoc idem alio verſu eiuſdem libri potenter inſinuavit ita dicens:

Omne tulit punctum, qui miſcuit utile dulci.

Quot Euclidis diſcipulos reiecit Ellefuga quaſi ſcopulus eminens & abruptus, qui nullo ſcolarium ſuffragio ſcandi poſſet. Durus eſt, inquiunt, hic ſermo & quis poteſt eum audire? Filius inconſtantiæ, qui tandem in aſinum transformari volebat Philoſophiæ, nullatenus forſitan ſtudium dimiſiſſet, ſi eidem contecta voluptatis velamine familiariter occurriſſet: ſed mox Crathonis cathedra ſtupefactus, & quæſtionibus infinitis quaſi quodam fulmine ſubitore percuſſus nullum prorſus videbat refugium niſi fugam. Hæc in excuſationem adduximus poetarum, iamq; ſtuden-

dentes intentione debita in eisdem ostendimus inculpandos. Ignorantia quidem solius unius vocabuli prægrandis sententiæ impedit intellectum, sicut proximo capitulo est assumptum. Cum ergo dicta sanctorum poetarum figmentis frequenter alludant evenit necesse est, ut nescio poemate introducto tota ipsius auctoris intentio penitus obstruatur. Et certe, sicut dicit Cassiodorus libro suo de institutione divinarum literarum, *non sunt parva censenda, sine quibus magna constare non possent.* Restat ergo ut ignoratis poesibus ignoretur Hieronymus, Augustinus, Boetius, Lactantius, Sydonius, & plerique alii, quorum letaniam prolixum capitulum non teneret. Venerabilis autem Beda vero huiusmodi dubitationis articulum discussione declaravit dilucida, sicut recitat compilator egregius Gratianus pluriū repetitor auctorum, qui sicut fuit avarus in compilationis materia, sic confusus reperitur in forma, scribens distinctione tricesima septima. *Turbat acumen: Seculares nostras quidem legunt ad voluptatem poetarū figmentis & verborum ornatu delectati: Quidam vero ad eruditionē eas addiscunt, ut errores gentilium legendo detestētur, & utilia, quæ in eis invenerint, ad usū sacræ eruditionis devoti inflectant tales laudabiliter seculares literas addiscunt.* Hæc Beda. Hac institutione salutifera moniti sileant detrahentes studentib. in poetis ad tempus, nec ignorantes

tes huiusmodi connescientes desiderent, quia hoc simile est solatio miserorum. Statuat sibi quisq; piæ intentionis affectum, & de quacunque materia observatis virtutis circumstantiis faciat studium Deo gratum. Etsi in poeta profecerit, quemadmodum magnus Maro se fatetur in Ennio, studium non amisit.

Capitulum XIV. de illis qui præcipue deberent libros diligere.

RECOLLIGENTI prædicta palam est perspicuum, qui deberent esse librorum præcipui dilectores. Qui namq; sapientia magis egent ad sui status officium utiliter exequendum, hi potissime sacris vasis sapientiæ propēsiorem proculdubio exhibere tenentur sollicitum grati cordis affectum. Est autē sapientis officium bene ordinare & alios & seipsum secundum Phœbum philosophorum Aristotelem prohemio metaphysicæ, qui nec fallit nec fallitur in humanis. Quapropter Principes & Prælati, iudices & doctores, & quicunq; reipublicæ directores, sicut præ aliis sapientia opus habent, ita præ aliis vasorum sapientiæ zelū debent habere. Philosophiam nimirum cōfixit Boetius in sinistra quidem sceptrum, & in dextra libros gestantem, per quod universis evidenter ostenditur, nullum posse rempublicam debite regere sine libris. *Tu*, inquit Boetius loquens Philosophiæ, *hanc sententiam Platonis*

ore sanxisti, beatas fore respublicas si eas vel studiosi sapientiæ regerent vel eorum rectores studere sapientiæ contigisset. Rursus hoc nobis insinuat ipse gestus imaginis, quod quanto dextra sinistram præcellit, tanto contemplativa vita dignior est activa, simulque sapientis interesse monstratur nunc studio veritatis, nunc dispensationi temporalium indulgere vicissim. Philippum legimus diis regratiatum devote, quod alexandrum concesserant temporibus Aristotelis esse natum, cuius instructione educatus regni paterni moderamine dignus esset, dum Phaeton ignarus regiminis fit currus auriga paterni: nunc vicinitate nimia, nunc remota distantia mortalibus æstum Phœbus infeliciter administrat, ac ne omnes periclitarentur subiecti pro iniquo regimine iuste metuit fulminari. Referunt tam Græcorum quam Latinorum historiæ, quòd nobiles inter eos Principes non fuerunt, qui literarum peritia caruerunt. Sacra lex Mosaica præscribens regi regulam, per quam regat, librum legis divinæ sibi præcipit habere descriptum, Deutronomii XVII. Secundum exemplar à sacerdotibus exhibendum, in quo sibi legendum esset omnibus diebus vitæ suæ. Sane labilitatem humanæ memoriæ & instabilitatem virtuosæ voluntatis in homine satis noverat Deus ipse, qui condidit, qui & fingit quotidie corda hominum singillatim. Quamobrem quasi omnium malo-

malorum antidotum voluit esse librum, cuius lectionem & usum tanquã saluberrimum spiritus alimentum qvotidianũ iugiter esse iussit? quo refocillatus intellectus nec enervis, nec dubius trepidaret ullatenus in agendis. Istud eleganter Joannes Saresburiensis pertractat in suo Polycratico libro IV. Cæterum omne genus hominum, qui tonsura vel nomine clericali præfulgent, contra quos libri quarto, quinto, & sexto capitulis querebantur, libris tenentur veneratione Papæ famulari.

Capitulum XV. de multiplici effectu scientiæ, quæ in libris continetur.

HUmanum excedit ingenium quantumcunq; de fonte Pegasi potatum, instantis capituli titulum explicare perfecte, linguis hominum & angelorum quis loquatur: si in Mercurium transformaretur aut Tullium: si dulcescat Titi Livii eloquentia lactea: si Demosthenis suavitate peroret, aut Moysi balbuciem allegabit, vel cum Hieremia se puerum nescientẽ confitebitur adhuc loqui, vel imitabitur resonantem in montibus altis Echo. Amorem namque librorum, amorem sapientiæ constat esse sicut secundo capitulo est probatum. Hic autem amor Philosophia Græco vocabulo nuncupatur, cuius virtutem nulla comprehendit creata intelligentia, quoniam creditur omniũ bonorum mater esse, Sapientiæ septimo. Æstus quippe carnalium vitiorum quasi cœlitus ros

extinguit, dum motus infensus virtutum animalium vires naturalium virtutum remittit, ocio Penitus effugato, quo sublato,

——periere Cupidinis arcus omnis.

Hinc plato in Phœdrone; *in hoc,* inquit, *manifestus est philosophus, si absolvit animam à corporis differentiis alius hominib. Anima*(inquitHieronymus *scientiam scripturarum & carnis vicia non amabis.* Demonstravit hoc Xenocrates dei formis in constantia rationis, quem nobile scortum, Phyrne nomine, statuam diffinivit non hominem, cum nullis valeret eum illecebris evirare, quemadmodum Valerius libro IV. ca. II. plene refert. Hoc ipsum noster Origenes ostendit, qui ne eum ab omnipotenti fæmina effœminari contingeret, utriusq; sexus medium per abnegationem exteriorum elegit. Animosum quippe remedium, nec naturæ modo cõsentaneum nec virtuti, cuius est hominem non insensibilem facere passionum, sed subortas à fomite rationis enecare mucrone: Rursus mundana & pecunias parvipendunt, quotquot amor affecit librorum dicente Hieronymo ad Vigilantium epistola LIV. *Non est eiusdem hominis aureos nummos & scripturas probare.* Unde à quodam metrice sic dictum est:

Nulla libris erit apta manus ferrugine tincta,
Nec nummata queunt corda vacare libris.
Nummipete cum libricolis nequeunt simul esse:
Ambos crede mihi non tenet una domus.

Nul-

Nullus ergo poteſt Mammoni & libris ſervire. Vitiorum deformitas in libris maxime reprobatur, ut inde dicuntur omnimode vitia deteſtari, qui libros dilexerunt perſcrutari. *Dæmon*, qui à ſcientia nomen habet, per librorum ſcientiam potiſſime triumphatur, cuius fraudes multipliciter flexuoſæ, milleq; perniciosi meandri per libros panduntur legentibus, ne transfigurans in Angelum lucis dolis circumveniat innocentes. Divina nobis per libros reverentia revelatur, virtutes quibus colitur propalantur expreſſius, atq; merces deſcribitur, quã, quæ nec fallit nec fallitur, veritas pollicetur. Imago ſimilllima futuræ beatitudinis eſt ſacrarum contemplatio litterarum, in quibus nunc creator, nunc creatura conſpicitur ac de torrente perpetuæ iocunditatis hauritur fides, fundatur potentia literarum, ſpes librorũ ſolatio confirmatur, ut per patientiam & conſolationem ſcripturarũ ſpem habeam9. Charitas non inflatur, ſed ædificatur per verarum literarum notitiam, immo ſuper libros ſacros conſtat luce clari9 eccleſiam ſtabilitam. Delectant libri proſperitate feliciter arridente: conſolantur individue nubila fortuna terrente: pactis humanis robur attribuunt; nec feruntur ſententiæ graves ſine libris. Artes & ſcientiæ conſiſtunt in libris, quorum emolumenta nulla mens ſufficeret enarrare, quanti pendenda eſt mira librorum potentia, dum per

eos fines tam orbis quã temporis cernimꝰ, & ea quæ non sunt tanquam ea quæ sunt, quasi in quodam æternitatis speculo contemplamur: montes scandimus, & abyssorum voragines in libris perscrutamur. Species pisciũ, quos communis aer nequaquam salubriter continet, intuemur. Codicibus fluviorum, & fontium, & diversarum terrarum proprietates distinguimus. Metallorum atq; gemmarum genera, & mineræ cuiusq; materias de libris effodimus: herbarumq; vires, arborum, & plantarum prolemq; totam pro libitu cernimus Neptuni, Cereris & Plutõis quod si nos cœlicolas visitare delectat, suppeditantes Taurum, Caucasum & Olympũ, Iovis regna transcendimus, & septem territoria planetarum funiculis & circulis emetimur. Ipsum tandem firmamentum supremum, signis gradib. & imaginibus varietate maxima decoratum lustramus. Ibi polum antarcticum, quẽ nec oculus vidit nec auris audivit, inspicimus. Luminosum iter galaxiæ, & animalib. cœlestib. picturatum zodiacum, delectabili iocunditate miramur. Hinc per libros ad separatas transimus substantias, & ut cognatas intelligentias intellectus salutet, primamq; causam omnium, aut motorem immobilẽ infinitæ virtutis oculo mentis cernat, & amore inhæreat sine fine. Ecce per libros adducti beatitudinis nostræ mercedem attingimus, dum adhuc existimus viatores. Quid plura? Procul dubio sicut Se-

neca

neca docente octogesima quarta epistola, quæ incipit, *Desii iam de te esse solicitus: Ocium sine literis mors est, & vivi hominis sepultura*, ita revera à sensu contrario, literarum seu librorū negocium concludimus esse vitam. Rursus per libros tam amicis quàm hostib. intimamus, quæ nequaquam secure nunciis commendamus: quoniam libro plerumque *ad Principum thalamos ingressus conceditur, quo repelleretur penitus, vox autoris*, sicut Tertullianus in principio apologetici sui dicit. Carceribus & vinculis custoditi, ademptaq; penitus corporis libertate librorum legationibus, utimur ad amicos, eisq; causas nostras expediendas committimus, quo nobis fieret causa mortis accessus. Per libros præteritorum reminiscimur, de futuris quodammodo prophetamus, præsentia, quæ labuntur & fluunt, scripturæ memoria stabilimus. Felix studiositas & studiosa felicitas præpotentis eunuchi, de quo actuum octavo narratur, quem amor propheticæ lectionis accenderat tam ardenter, quod nec ratione itineris à lectione cessaret, Reginæ Candacis palatium oblivioni tradiderat, gazas quibus præerat à cura cordis semoverat, & tam iter quàm currum, quo ferebatur, neglexerat: solus amor libri totum sibi vendicaverat domicilium castitatis. Quo disponente mox fidei ianuam meruit introire. O gratiosus amor librorum, qui gehennæ filium & alumnum Tartari per baptismalem gratiam

filium fecit regni ? Cesset iam stilus impotens infiniti negocii consummare tenorem, ne videatur aggredi temere, quod in principio fatebatur impossibile cuiquam esse.

Capitulum XVI. de libris novis scribendis, & antiquis reparandis.

SIcut necessarium est reipublicæ pugnaturis militibus arma providere militaria, & congestas victualium copias præparare, sic ecclesiæ militanti contra Paganorum & Hæreticorum insultus, operæ præcium constat esse librorum sanorum multitudine communire. Verum quia omne, quod seruit mortalib9, per lapsum temporis mortalitatis dispendia patitur, necesse est vetustate tabefacta volumina innovatis successoribus instaurari, ut perpetuitas, quæ repugnat naturæ individui, concedatur speciei. Hinc est quod signanter dicit Ecclesiastes, Faciendi plures libros null9 est finis. Sicut enim librorum corpora, ex contrariorũ commixtione compacta suæ compositionis continuum sentiunt detrimentũ, si per prudentiam clericorũ est reperire remediũ, per quod liber sacer solvens naturæ debitũ hereditarium obtineat substitutum, & simile semẽ sacri sacro mortuo sustinetur: verificeturque statim illud Ecclesiastici xxx. *mortuus est pater illius, & quasi non est mortuus, similem enim reliquit post se filium.* Sunt ergo transcriptores veterum quasi qui-

quidam propagatores recentium filiorum, ad quos paternum devolvatur officium, ne municipium minuatur. Sane huiusmodi transscriptores *antiquarii* nominantur, quorum studia inter ea, quæ complentur labore corporeo Cassiodorus sibi placere confitetur, de institutione divinarum literarum tertio capitulo, ita subdens: *Felix*, inquit, *scientia laudanda sedulitas, manu hominibus prædicare, linguas digitis aperire, salutem mortalibus tacitum dare, & contra diaboli tentationes illicitas calamo & atramento pugnare*. Hæc ille. Porro scriptoris officium salvator exercuit, dum inclinans se deorsum digito scribebat in terra Ioannis VIII. ut nullus quantumcunque nobilis dedignetur hoc facere quod sapientiam Dei patris intuetur fecisse. O scripturæ serenitas singularis, ad cuius fabricam inclinatur artifex orbis terræ, in cuius tremendo nomine flectitur omne genu. O venerandum artificium singulariter præ cunctis praxibus, quæ hominis manu fiunt, cui pectus dominicum incurvatur humiliter, cui digitus Dei applicatur vice calami functus? Cæterum Dei filium vel arasse, texuisse, vel fodisse non legimus: nec quicquam aliud de mechanicis decebat divinam sapientiam humanatam nisi scribendo literas exarare: ut discat quilibet generosus aut sciolus, quod hominibus digiti tribuuntur ad scribendi negocium, potius quàm ad bellum.

Unde librorum sententiam approbamus, quæ clericum inertem scripturæ censuerunt quodammodo mancum fore, capitulo sexto supra. Scribit iustos in libro viventium Deus ipse. Lapideas quidem tabulas digito Dei scriptas Moyses accepit. *Scribat librum, qui iudicat*, Iob proclamat. *Digitos scribentis in parite, mane techel phares*, Balthasar tremens vidit Danielis qvinto. *Ego*, inquit Hieremias, *scribebam in volumine atramento*, Hieremiæ XXXVI. *Quod vides, scribe in libro*, Christus Ioanni charo suo præcepit Apocal. primo. Sic Esaiæ, sic Iosuæ, officium scriptoris iniungitur, ut tantæ artis peritia futuris in posterum commendetur. In vestimento & in femore scriptum habet rex regum & dominus dominantium Christus ipse, ut sine scriptura nequeat apparere perfectum omnipotentis regium ornamentum. Defuncti docere non desinunt, qui sacræ scientiæ libros scribunt. Plus Paulus scribendo sacras epistolas ecclesiæ profuit fabricandæ, quàm Gentibus & Judæis evangelizando sermone. Nempe per libros cotidie continuat comprehensor, qvod olim in terra positus inchoavit viator. Sicque verificatur de doctoribus libros scribentibus sermo Propheticus Danielis XII.

Qui ad justitiam erudiunt multos, erunt quasi stellæ in perpetuas æternitates. Porro sollicitudinem antiquorum priusquam Deus origi-

na-

nalem mundum cataclyſmo dilueret, aſcribendam miraculo non naturæ Catholici decrevere Doctores, ut Deus tantum eis vitæ concederet, quantum reperiendis & in libris ſcribendis ſcientiis conveniret: inter quas aſtronomiæ miranda diverſitas, ut experimentaliter viſui ſubderetur, ſexcentorum annorum periodum (ſecundum Ioſephum) requirebat: verum tamen non abnuunt, quin terra naſcentia illius temporis primitivi utilius alimentum præſtarent mortalibus quam moderni: quo dabatur non ſolum hilarior corporis entelechia, ſed etiam diuturnior florens ætas.

Ad quam non modicum contulit, quod virtuti vivebant omnimode, reſecato ſuperfluo voluptatis. Igitur quiſquis Dei munere es ditatus iuxta conſilium ſpiritus ſancti Eccleſiaſtici XXXVIII. *ſapientiam ſcribe in tempore vacuitatis, ut premium tibi cum beatis, & ſpacium augeatur ætatis.* Cæterum ſi ad mundi Principes divertamus ſermonem. Imperatores egregios invenimus non ſolum artis ſcribendi peritia floruiſſe, ſed & ipſius operi plurimum indulſiſſe. Iulius Cæſar primus omnium & tempore & virtute commentarios reliquit tam belli Gallici quàm Civilis à ſemetipſo conſcriptos. Item de analogia duos libros, & Anticatones totidem, & poema quod inſcri-

bi-

bitur Iter, & opuscula alia multa fecit, ut tam Iulius quàm Augustus cautelas scribendi literam occultarent. Nam Iulius quartam literam posuit loco primæ, & sic deinceps alphabetum expendit: Augustus vero secundam pro prima, & pro secunda tertiam, & ita deinceps usus fuit. Hic in Mutinensi bello in maxima mole rerum, cotidie & legisse & scripsisse traditur, ac etiam declamasse. Tiberius lyricum carmen scripsit, & poemata quædam Græca. Claudius similiter tam Græci quàm Latini sermonis peritus, varios libellos fecit. Sed præ aliis & his Titus in scribendi peritia floruit, qui cuiuscunque volebat literam mutuavit facillime. Unde se fatebatur falsarium maximum, si libuisset, fieri potuisse. Hæc omnia Suetonius de vita VII. Cæsarum annotavit.

Capitulum XVII. de libris munde tractandis & collocandis.

NOn solum Deo præstamus obsequium novorum librorum præparando volumina, sed & sacratæ pietatis exercemus officium, si eosdem nunc illæse tractemus, nunc locis idoneis redditos illibatæ custodiæ commendemus, ut gaudeant puritate dum habentur in manibus, & requiescant secure dum in suis cubilibus reconduntur. Nimirum post vestes & vascula corpori dedicata dominico, sacri

ſacri libri merentur à clericis honeſtius contrectari, qui totiens præſumunt attingere manu fœda. Quamobrem exhortari ſtudentes ſuper negligentiis variis reputamus expediens, quæ imitari faciliter ſemper poſſent, & mirabiliter libris nocent. In primis quidem circa claudenda & aperienda volumina ſit matura modeſtia, ut nec præcipiti feſtinatione ſolvantur, nec inſpectione finita ſine clauſura debita dimittantur. Longe namque diligentius librum quàm calceum convenit conſervari. Eſt enim ſcholarium gens perperam educata communiter, & niſi maiorum regulis refrenetur, infinitis inſcitiis inſoleſcit. Aguntur petulantia, præſumptione tumeſcunt; de ſingulis iudicant tanquam certi, cum ſint in omnibus inexperti. Videbis fortaſſe iuvenem cervicoſum, in ſtudio ſegniter reſidentem. Et dum hyberno tempore hyemis alget, naſus irriguus frigore comprimente diſtillat, nec prius ſe dignatur emunctorio tergere, quam ſubiectum librum madefecerit turpi rore. Cui utinam loco codicis, corium ſubderetur ſutoris. Unguem habet fimo fœtente refertum, giganti ſimillimum, quo placentis materiæ ſignat locum. Paleas diſpartitur innumeras, quas diverſis in locis collocat evidenter, ut feſtuca reducat, quod memoria non retentat. Hæ paleæ quia nec venter libri digerit, nec priuſquam eas extrahit primo

qui-

quidem librum à solita iunctura distendunt, & tandem negligenter oblivioni commissæ putrescunt. Fructus & caseum super librum expansum non veretur comedere, atque cyphum hinc inde dissolute transferre. Et quia non habet eleemosynarum sacculum præparatum, in libris dimittit reliqvias fragmentorum. Garrulitate continua sociis oblatrare non desinit,& dum multitudinem rationum adducit à sensu physico vacuarum, librum in gremio subexpansum humectat spargine salivarum. Quid plura? statim duplicatis cubitis reclinatur in codicem & per breve studium soporem invitat prolixum, ac pro reparandis rugis limbos replicat foliorum ad libri non modicum detrimentum. Iam imber abiit & recessit, & flores apparuerunt in terra nostra, tunc scolaris, quem describimus, librorum neglector potius quàm inspector, viola primula atq; rosa, nec non quadrifolio, farciet librum suum: tunc manus aquosas & scatentes sudore, voluendis voluminibus applicabit: tunc pulverulentis undique chirothecis in candidam membranam impinget, & indice veteri pelle vestito venabitur paginam lineatam: tunc ad pulicis mordentis aculeum sacer liber obiicitur, qui tamen vix clauditur infra mensem, sicque pulveribus introiectis tumescit, quod claudentis instantiæ nõ obedit. Sunt autem specialiter co-

her-

hercendi à contractatione librorum iuvenes impudentes qui cum litterarum figuras effigiare didicerint, mox pulcherrimorum voluminum si copia concedatur incipiunt fieri glossatores incongrui, & ubi largiorem marginem circa textum perspexerint, monstruose apparitant alphabetum, vel aliud frivolum qualecunque quod imaginationi occurrit incastigatus calamus protinus exarare præsumit. Ibi Latinista, ibi sophista, ibi quilibet scriba indoctus, aptitudinem pennæ probat, quod formosissimis codicibus, quoad usum & pretium, creberrime vidimus offuisse. Sunt iterum fures quidam libros enormiter detruncantes, qui pro epistolarum cartis schedulas laterales abscindunt, littera sola salva, vel finalia folia quæ ad libri custodiam dimittuntur ad varios usus & abusus assumunt. Quod genus sacrilegii sub interminatione anathematis prohiberi deberet. Convenit autem prorsus scolarium honestati, ut quotiens ad studium à refectione reditur, præcedat omnino lotio lectionem, ne digitis sagimine delibutis, aut signacula libri solvat, aut folia prius volvat. Puerulus autem lachrimosus capitalium litterarum non admiretur imagines, ne manu fluida polluat pergamenum. Tangit enim illico, quicquid videt. Porro laici, qui librum æque respiciunt resupine transversum, sicut serie naturali expan-

sum,

ſum, omnium librorum communione penitus ſunt indigni. Hoc etiam clericus diſponat, ut olens ab ollis lixa cineriis librorum folia non contingat illotus, ſed qui ingreditur ſine macula, præcioſis codicibus miniſtrabit. Conferret autem plurimum tam libris quàm ſcholaribus manuum honeſtarum mundicia, ſi non eſſent ſcabies & puſtulæ characteres clericales. Librorum defectibus, quotiens advertuntur, eſt citius occurrendum: quoniam nihil grandeſcit citius quàm ſciſſura & fractura, quæ ad tempus negligitur, reparabitur poſtea cum uſura. De librorum armariis mundiſſime fabricandis, ubi ab omni læſione ſerventur ſecuri, Moyſes mitiſſimus nos informat Deutronomii.XXI. *Tollite,* inquit, *librum iſtum, & ponite eum in latere arcbiſœderis Domini Dei veſtri.* O locus idoneus & bibliotheca conveniens, quæ de lignis Cethmi imputribilibus facta fuit, auroque per totum interius & exterius circuntecta. Sed & omnem in honeſtatis negligentiam circa libros tractandos, ſuo Salvator excluſit exemplo, ſicut legitur Lucæ quarto. Cum enim ſcripturam propheticam de ſe ſcriptam in libro tradito perlegiſſet, non prius librum miniſto reſtituit, quàm eundem ſuis ſacratiſſimis manibus plicuiſſet. Quo facto ſtudentes docenter clariſſime circa librorum cuſtodiam quantumcunq; minima negligi non debere.

Capi-

Capitulum XVIII. auctor contra suos detractores.

NIhil iniquius in humanis perpenditur, quàm quòd ea, quæ geruntur iustissime, malignorum obliqviis pervertuntur Et inde reportat quis famam criminis, unde magis meruit speciem honoris. Oculo simplici perpetrantur plurima, nec sinistra dextræ se commiscet. Nullo fermento massa corrumpitur, neque vestis ex lino lanaque contexitur. Perversorum tamen præstigiis opus pium mendaciter transformatur in monstrum. Hæc est nimirum peccatricis animæ reprobanda conditio, quod non solum in factis moraliter dubiis pro peiore sententiat; immo frequenter illa quæ speciem boni habent, nequitiosa subversione depravat. Quamvis enim amor librorum ex obiecti natura præferat honestatem, miro tamen modo obnoxios nos efficit iudiciis plurimorum, qvorum admirationib. obtrectati nunc de curiositate superflua, nunc de cupiditate in illa duntaxat materia, nunc de vanitatis apparentia, nunc de voluptatis intemperantia circa literas notabamur. Quorum revera vituperiis non plus quam caniculorum latratibus movebamur, illius solius testimonio contentati, ad quem renes & corda pertinet perscrutari. Cum enim voluntatis secretæ finalis intentio homines lateat, cordium inspectori perniciosæ temeritatis merentur

redargui, qui humanis actibus, quorum non vident fontale principium, epigramma tam faciliter superscribunt sinistrum. Finis enim se habet in operabilibus, sicut principia in speculativis, vel suppositiones in mathemathicis, teste Philosophorum principe VI. ethicorum Quapropter sicut ex principiorum evidentia conclusionis veritas declaratur, ita plerumq; in agibilibus ex honesti finis intentione bonitas moralis in opere sigillatur, ubi alias opus ipsum iudicari deberet indifferens, quoad mores. Nos autem ab olim in præcordiis mentis nostræ præpositum gessimus radicatum quatenus oportunis temporibus expectatis divinitus aulam quandam in reverenda universitate Oxoniensi, omnium artium liberalium nutrice præcipua, in perpetuam eleemosynam fundaremus necessariisq; reditibus ditaremus numerosis scolaribus occupatam nostrorum librorum iocalibus superditaremus, ut ipsi libri & singuli eadem communes fierent quantum ad usum & studium non solum scholaribus aulæ tactæ, sed per eos omnibus universitatis prædictæ studentibus in æternum secundum modum & formam, quam sequens capitulum declarabit, Quapropter sincerus amor studii zelusque orthodoxæ fidei ad ædificationem ecclesiæ confirmandæ pepererunt in nobis sollicitudinem hanc stupendam nummicolis, ut collectos codi-

codices undecunque venales neglectis sumptibus emeremus, & qui venundari non debebant, transcribi honestius faceremus. Cum enim delectationes hominum ex dispositione corporum cœlestium, cui mixtorum complexio frequenter obedit, diversimode distinguantur: ut hi in architectura, illi in agricultura: hi in venationibus, illi in navigationibus: hi in bellis, illi in ludis, eligant conversari: cecidit circa nostræ Mercurialis species voluptatis honestæ, quam ex recte rationis arbitrio, cuius nulla sidera dominantur imperio, in honorem ordinavimus maiestatis supremæ, ut unde mens nostra tranquillitatem reperit requiei, inde devotissime cresceret cultus Dei. Quamobrem desinant obtrectantes sicut cæci de coloribus iudicare. Vespertiliones de luce disceptare non audeant, atque trabes gestantes in oculis propriis, alienas festucas eruere non præsumant. Cessent commentis satyricis suggillare, quæ nesciunt, & occulta discutere, quæ humanis experientiis non patescunt. Qui nos fortassis affectu commendassent benivolo, si ferarum venatui, alearumq; lusui, dominarum applausui vacassemus.

Capitulum XIX. de ordinatione provida, qualiter libri extraneis concedantur.

Difficile fuit semper sic homines limitare legibus honestatis, quin astutia suc

ceſſorum terminos niteretur præcedentium transilire & ſtatutas infringere regulas inſolentia libertatis quamobrem de prudentum consilio certum modum præfiximus, per quē ad utilitatem ſtudentium librorum noſtrorum communicationem & uſum volumus devenire, In primis enim libros omnes & ſingulos, de quibus catalogum fecimus ſpecialem, concedimus & donavimus intuitu charitatis comitati ſcolarium in aula Oxonienſi degentiū, in perpetuam eleemoſynam pro anima noſtra & parentum noſtrorum, nec non pro anima illuſtriſſimi Regis Angliæ Eduardi Tertii poſt conqueſtum, & devotiſſimæ dominæ Reginæ Philippæ conſortis eiuſdem, ut iidem libri omnibus & ſingulis univerſitatis dictæ villæ ſcholaribus & magiſtris tam regularibus quàm ſecularibus commodentur pro tempore, ad profectum & uſum ſtudentium, iuxta modum quem immediate ſubiungimus, qui eſt talis. Quiqve de ſcolaribus in aula præfata commorantibus aſſignentur per eiuſdem aulæ magiſtram, quibus librorum cuſtodia deputetur, de quibus quinq; perſonis tres & nullatenus pauciores librum vel libros ad inſpectionem & uſum duntaxat ſtudii valeant commodare: ad copiandum vero & tranſcribendum nullum librum volumus extra ſepta domus concedi. Igitur cùm ſcolaris quicunque ſecularis vel religioſus, quos in præſenti favore ad paria iudi-

iudicamus, librum aliquem commodandum petiveris, considerent diligenter custodes, an librum talem habuerint duplicatum. & si sic, commodent ei librum cautione recepta, quæ librum traditum in valore transcendat iudicio eorum: fiatq; statim tam de cautione quã de libro commodato memorialis scriptura continens nomina personarum quæ librum tradunt, & illius qui recepit cum die & anno Domini quo contingit fieri commodatum. Si vero custodes invenerint, quod ille liber qui petitur duplicatus non fuerit, talem librũ non commodent cuicunq;, nisi fuerit de comitiva scholarium dictæ aulæ nisi forte ad inspectionem infra septa domus vel aulæ prædictæ, sed non ad ulterius deferendum. Scholari vero cuilibet prædictæ aulæ liber quicunque per tres de prædictis custodibus valeat commodari, nomine tamen suo cum die, quo librum recipit, primitus annotato: nec tamen ipse possit librum sibi traditum alteri commodare, nisi de assensu trium de custodibus supra dictis: & tunc deleto nomine primi nomen secundi cum tempore traditionis scribatur. Adhæc omnia observandum custodes singuli fidem præstent, quando eis custodia huiusmodi deputatur. Recipientes autem librum vel libros, ibidem iurabunt, quod eum vel eos ad alium usum nisi ad inspectionem vel studium nullatenus applicabunt, quodq; illum

vel illos extra villum Oxonienſem cum ſuburbio, nec deferent nec deferri permittent. Singulis autem annis computum reddent prædicti cuſtodes magiſtro domus & duobus, quos ſecum duxerit de ſuis ſcholaribꝰ aſſumēdum: vel ſi eidem non vacaverit, tres deputet inſpectores alios à cuſtodibus, qui librorum catalogum perlegentes, videant quod omnes habeant vel in voluminibus propriis vel ſaltem per cautiones præſentes. Ad hunc etiam computum perſolvendum temporis credimus oportunius, à kalendis Iunii uſque ad feſtum ſequens glorioſiſſimi martyris ſancti Thomæ. Hoc autem omnino adiicimus, quod quilibet, cui liber aliquis fuerit commodatus, ſemel in anno librum præſentet cuſtodibus, & ſuam ſi voluerit videat cautionem. Porro ſi contingit fortuitò per mortem, furtum, fraudem vel incuriam librum perdi, ille qui perdiderit vel eiuſdem procurator, ſeu etiam executor precium libri ſolvat, & ejuſdem recipiat cautionem. Quod ſi qualitercunque cuſtodibus ipſis lucrum evenerit, in nihil aliud quam in librorum reparationem & ſubſidium convertatur.

Capitulum XX. Auctor petit orationes & notabiliter docet orare ſtudentes.

TEmpus iam efflagitat terminare tractatum, quem de amore librorum compegi-

gimus: in quo contemporaneorum nostrorum admirationibus de eo, quod tantum libros dileximus rationem reddere nisi sumus. Verum quia vix datur aliquid operari mortalibus, quod nullius pulvere aspergatur vanitatis, studiosum amorem quem ita diuturnum ad libros habuimus iustificare penitus non audemus, quin fuerit forsitan nobis quandoque occasio alicuius negligentiæ venialis, quamvis amoris materia sit honesta, & intentio regulata. Si namque cum omnia fecerimus, servos nos inutiles dicere teneamur; si Iob sanctissimus sua opera omnia verebatur; si iuxta Esaiam quasi pannus menstruatæ, omnes sunt iustitiæ nostræ: quis de perfectione cuiuscunque virtutis præsumat iactare, quin ex aliquâ circumstantia valeat reprehendi, quæ forsitan à seipsa non poterat deprehendi. Bonum enim ex integris causis, malum omnifarie, sicut Dionysius de divinis nominibus nos informat. Quamobrem in nostrarum iniquitatum remedium, quibus nos omnium creatorem crebrius offendisse cognoscimus, orationem suffragia petituri studẽtes nostros futuros dignũ duximus exhortari, quatenus sic tam nobis quàm aliis eorundem futuris benefactorib. fiant grati, quod beneficiorum nostrorum providentiam spiritualibus retributionib. recompensent. Vivamus in eorum memoriis funerati, qui in nostris vixe-

runt benivolentiis nondum nati, nostrisque nunc vivunt beneficiis sustentati. Clementiā redemptoris implorent instantiis indefessis, quatenus negligentiis nostris parcat, peccatorum reatibus pius iudex indulgeat, lapsus nostræ fragilitatis pallio pietatis operiat, & offensas quas & pudet & pœnitat commisisse, benignitate divina remittat: conservet in nobis ad sufficiens spacium pœnitendi suarum munera gratiarum, fidei firmitatem, spei sublimitatem, & ad homines latissimam charitatem: flectat superbum arbitrium ad culparum suarum lamentum, ut deploret transactas elationes vanissimas, & retractet indignationes amarissimas ad delectationes insanissimas detestetur. Vigeat sua virtus in nobis cum nostra defecerit, & qui nostrum ingressum sacro baptismo consecravit gratuito, nostrum processum ad statum Apostolicum sublimavit. Laxetur à nostro spiritu amor carnis: evanescat penitus metus mortis, desideret dissolvi & esse cum Christo. Et in terris solo corpore cōstitui cogitatione & aviditate in æterna patria conversemur. Pater misericordiarum & Deus totius consolationis filio de siliquis revertenti benignus occurrat, dragmam denuo repertam recipiat, & in thesauros æternos per sanctos angelos transmittat. Castiget vultu terrifico exitus nostri hora spiritus tenebrarū, ne latens in limine portæ mortis Leviathan ser-

ſerpens vetus inſidias improviſas calcaneo noſtro paret. Cum vero ad terrendum tribunal fuerimus advocati, ut cuncta quæ corpore geſſimus atteſtante conſcientia referamus. Conſideret humanitas iuncta Deo effuſi ſui ſancti ſangvinis precium, & advertat divinitas humanata carnalis naturæ figmentum, ut ibi tranſeat fragilitas impunita, ubi clemens pietas cernitur infinita: & ibi reſpiret ſpiritus miſeri, ubi inſtat iudicis proprium miſereri. Amplius refugium ſpei noſtræ poſt Deum, Virginem & Reginam theotocam benedictam, noſtri ſemper ſtudentes ſalutationibus ſatagant frequentare devotis, ut qui propter noſtra facinora triplicata meruimus iudicem invenire turbatum, per ipſius ſuffragia ſemper grata mereamur eundem reperire placatum. Deprimat pia manus brachium æque libræ, qua noſtra tam parva quam pauca merita penſabuntur, ne quod abſit præponderet gravitas criminum, & damnandos deiiciat in abyſſum. Clariſſimum autem meritis Cuthbertum, cuius gregem paſcendum indigni ſuſcepimus, omnium cultu ſtudeant venerari, devote rogantes aſſidue, ut ſuum quidem licet indignum vicarium precibus excuſare dignetur feliciter: & quem ſucceſſorem admiſit in terris, procuret effici confeſſorem in cœlis. Puris denique tam mentis quam corporis precibus rogent Deum, ut ſpiritum ad

imaginem Trinitatis creatum post præsentis miseriæ incolatum, ad suum reducat primordiale prototypum, ac eidem concedat perpetuum fruibilis faciei conspectum, Per dominum nostrum Iesum Christum. Amen.

BESSARIONIS PATRIARchæ Constantinopolitani, & Cardinalis Thusculani

EPISTOLA

DE SUA BIBLIOTHECA

Illustrissimo atque invictissimo Principi D. Christophoro Moro Duci & inclyto Venetorum Senatui S.

EQuidem semper à tenera fere puerilique ætate omnem meum laborem, omnemque operam, studium, curamque adhibui, ut quoscunque possem, libros in omni disciplinarum genere compararem. Propter quod non modo plerosque & puer & adolescens manu mea conscripsi, sed quicquid pecuniolæ seponere interim parca frugalitas potuit, in his coëmendis absumpsi. Nullam enim magis dignam atque præclaram suppellectilem, nullum utiliorem præstantioremque thesaurum parare mihi posse existimabam. Vocibus pleni, pleni antiquitatis exemplis, ple-

pleni moribus, pleni legibus, pleni religione vivunt, conversantur, loquunturque nobiscum. Docent nos, instituunt, consolantur: resq; à memoria nostra remotissimas quasi præsentes nobis exhibent & ante oculos ponunt. Tanta est eorum potestas, tanta dignitas, tanta maiestas, tantum denique numen, ut nisi libri forent rudes omnes essemus atque indocti: nullam fere præteritarum rerum memoriam, nullum exemplum, nullam denique nec humanarum nec divinarum rerum cognitionem haberemus. Eadem una, quæ hominum corpora contegit, etiam nomina obrueret. Quamvis autem huic rei toto animo semper incubuerim, ardentiori tamen studio post Græciæ excidium & detestandam Byzantii captivitatem in perquirendis libris Græcis omnes meas vires, omnem curam, omnemque operam, facultatem industriamque consumpsi. Verebar enim & vehementissime formidabam, ne cum cæteris rebus tot excellentissimi viri, tot summorum virorum sudores atque vigiliæ, tot lumina orbis terræ brevi tempore periclitarentur atque perirent. Quemadmodum etiam superiori tempore tantam iacturam fecimus, ut ex ducentis viginti millibus librorum, quæ Plutarchus refert in bibliotheca Apamæorum fuisse, vix mille ætate nostra supersint. Conati autem sumus, quantum in nobis fuit, non

& vires & nomen propagaturam. Dehinc intelligebam, nullum locum à me eligi posse commodiorem, ac nostris præsertim hominibus aptiorem. Quum enim in civitatem vestram omnes fere totius orbis nationes maxime confluant, tum præcipue Græci, qui è suis provintiis navigio venientes, Venetiis primum descendunt. Ea præterea vobiscum necessitudine devincti, ut ad vestram appulsi urbem, quasi alterum Byzantium introire videantur. Post hæc quomodo poterit hoc beneficium à nobis honestius locari quam apud eos homines, quibus ego multis eorum in me beneficiis devinctus obstrictusq; essem, & in ea civitate, quam mihi subiugata Græcia pro patria elegissem: & in quam accitus à vobis atque honorificentissime receptus fuissem. Itaque conscius mortalitatis meæ, & ingravescentem iam ætatem diversosque, quibus affligimur, morbos, & cætera quæ evenire possent, considerans, omnes libros meos utriusque linguæ sacratissimæ Ædi B. Marci vestræ inclytæ civitatis dono dedi atq; dicavi: sentiens talem me animum & Excellentiæ vestræ & gratitudini meæ, & quam mihi communem esse voluistis, patriæ debuisse, ut vos ac liberi posterique vestri, qui me virtute ac sapientia vestra multisque in me beneficiis addictum, deditum obstrictumque habetis, heredes laborum meorum fructus uberes diu-

Index rerum ac verborum, in hocce Epistolico Opusculo, contentorum locuples.

Arti-

D.

Here.

K.

L

Lau-

 mo-

Pau-

Phæ-

Va-

FINIS.